1500
1

36.15.D.17

NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
36
15D
17
CENTRALE V. E. II
ROMA

36. 15 D. 17

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

13.8.C.14

# DE
# DEI BENEDICTIONE
## COMMENTARIOLVS:

*Seù ad ſelectiora*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PP. Excalceatorum Ordinis Eremitarum
S. AVGVSTINI

*De vocali DEI cultu Statuta*

## OBSERVATIONES VARIÆ,
MORALES, ASCETICÆ, RITVALES,

*Quibus binæ accedunt Diſquiſitiones:*

I. De Hymni TE DEVM LAVDAMVS Auctoribus:
II. De Cantu à D. AMBROSIO in Mediolanenſem Eccleſiam inducto.

*AVCTORE*

P. EVSTACHIO A S. VBALDO
ex eiſdem Excalceatis
S. Mediolanenſis Inquiſitionis
Conſultore.

MEDIOLANI, M DC XCV.

Ex Typographia Caroli Antonij Malateſtæ.
*Superiorum permiſſu; Et Priuilegio.*

EMINENTISSIMO, AC REV.MO PRINCIPI

# D. D. GALEATIO MARESCOTTO

S.R.E. Cardinali Ampliſſimo.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

*ET hunc, quicumque ille ſit, de Dei benedictione Tractatulum prælo committere debui Princeps Emin.me. Cui inſcriberem haud longa opus fuit meditatione. Materia ſiquidem ipſa, quæ ſacra eſt, et Diuinas laudes exornat, non niſi ſacrum, et qui Deum benedicere conſueſcat, appe-*

*tere poterat Mæcenatem: Inter tot autem, tantoſque huiuſmodi prærogatiuis, glorioſiſque titulis decoratus & ipſa ſe ſe E.V. vt ſuperexcellens, præ omnibus obtulit inſpiciendam, et eamdem mei obſequentis animi deuotio venerabunda ſelegit. Nec certè aut oculis fauſtior aſpectus, aut menti ſanior cogitatio, quàm vnitìm in eum Principem aciem figere, quem Auitæ nobilitatis ſplendor illuſtrat, illibatus morum candor honeſtat, liberalis munificentiæ generoſitas exornat, ſingularis prudentiæ diadema coronat. In eum, inquàm, quem ſuaui cordis benignitate, continuo pietatis ſtudio, conſtanti iuſtitiæ zelo, ſolerti Diuinorum cultu, ſelectarum virtutum cumulo non tàm Purpura nitentem, quàm Purpuræ nitorem et verax fama loquitur, et plaudens Orbis colit, et omnium vox vna concelebrat. Quis enim aut dignitatis æſtimatione, aut auctoritatis amplitudine, aut alio quouis ex capite optabilior Patronus, quam qui hiſce dotibus à communi Heroum numero diſtinctus, & in Hierarchico Eccleſiæ Cælo ſydus vnum ex maioribus, vnicè tueri poteſt quà luce, quà influxibus? Terrebat tantùm Maieſtas, ne dum meæ tenuitati tàm altum patrocinium niterer implorare, nimiæ reus arguerer audaciæ.*

*Aſt*

*Aſt timorem vicit neceſsitudo. Quæ in me reiterata E.V. beneficia mente reuoluo, ipſa huiuſmodi auſum inſinuant; dum etenim meam ſibi vindicant venerationem, grati animi obſequium publicare compellunt. Quod ſi tàm digno Principe rem haud dignam exhibeo, liceat ſic audere; & vbi generoſi Magnatis eſt et humiles patrocinari, ſic & mea exilitati detur et in exiguo papyro obſeruantiæ meæ memoriam æternare. Patiatur itaque E.V. Opuſculum hoc auſpicatiſsimo ſuo nomine inſigniri, vt de tanto Patrono et ego gloriari, et alij mihi queant gratulari. Sic de mea ſorte lætabor, quod, dum exoptato fruor patrocinio, palàm quoque ſit meæ perennis ſubiectionis monumentum, ſeu quod fuerit, ſit, et erit ſemper*

*Em. V. R.ma*

*Mediolan. 15. Februar. 1695.*

Humillimus, & addictiſſimus Seruus
*F. Euſtachius à S. Vbaldo Ordinis Diſcalceatorum S. Auguſtini.*

NOS FR. SIMPLICIANVS A S. DOROTHEA
*Fratrum Eremitarum Diſcalceatorum Ordinis S. AVGVSTINI Congregationis Italiæ, & Germaniæ Generalis Vicarius.*

OPvs, cui inſcriptio: DE DEI BENEDICTIONE COMMENTARIOLVS, à Reu. Patre Euſtachio à S. Vbaldo eiuſdem noſtræ Congregationis Theologo, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Mediolanenſis Conſultore, elucubratum, Theologorumq; noſtrorum cenſuræ ſubſtratum, inoffenſoq; ab eiſdem decurſum pede, quin diuinis benedictionibus refertum, & publica luce dignum exiſtimatum; vt prælo exprimi queat, licentiam, & facultatem, ſeruatis cæteris de iure ſeruandis, in Domino concedimus, ac impartimur. Datum Romæ in Cænobio noſtro Ieſu, & Mariæ hac die 8. menſis Maij 1694.

Fr. Simplicianus à S. Dorothea Vic. Gen.

Loco ✠ ſigilli.

*Fr. Alphonſus à Matre Dei Secretarius Generalis &c.*

Regiſt. lib. 3. fol. 136.

---

ERuditam æquè, ac vtilem Adm. R. Patris Euſtachij à S. Vbaldo ex Ordine Eremitarum Excalceatorum Diui Auguſtini, Theologi, Sanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultoris, &c. Lucubrationem de Dei benedictione, &c. ſingulari cum mentis delectatione, & profectu luſtraui; nec aliquid in ea offendi, quod pro Catholici, religioſiq; Doctoris viribus ſapienter non enuncietur. Quarè Opus non minus publico typo, quàm omnium, præſertim Eccleſiaſticorum oculis, ingenijſue melioribus dignum puto. Ita Calendis Auguſti, Anno MDCLXXXXIV.

Ego D. Hieronymus Meazza Clericus Regularis, Sacræ Theol. Profeſſor, S. Antonij Mediolani Cœnobij Præpoſitus, pro Sancto Officio Cenſor Librorum, &c.

---

*IMPRIMATVR*

*Fr. Proſper de Leonibus Inquiſitor Generalis Mediolani &c.*

*Bartholomæus Craſſus Canonicus Ordinarius pro Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo D. D. Archiepiſcopo.*

*Franciſcus Arbona pro Excellentiſſimo Senatu.*

# INDEX
## OBSERVATIONVM, ET SECTIONVM.

Obſeruatio prima.

Sect. I. *DE Diuino Officio, & Horarum numero.*

II. *De Diuini Officij diurni, & nocturni partibus, numero, earum in recitando ſeparatione, & Hymno* Te Deum laud.

III. *De veneratione, diſtinctione, attentione, atque deuotione ad Officij recitationem requiſitis.*

IV. *De Officio ſine nota perſoluendo iuxtà antiquum Cleri, & Monachor. ritum, & S.P.Auguſt. mentem; vbi de harmonici cantus origine; & quæ in cantu obſeruãda.*

V. *De recitationis Officij loco, obligatione, & modo: vbi de priuilegio recitandi mentaliter, & alijs, ac de Oratione* Sacroſanctæ &c.

VI. *De Ritu Romano in Officijs ſeruando, eius obligatione, intelligentia, & quoad illum priuilegijs.*

Obſeruatio ſecunda.

Sect. I. *De Matutini tempore, & mediæ noctis ſenſu.*

II. *De Octaua SS. Corporis Chriſti, & in eius expoſitione ſeruandis.*

III. *De Officijs tenebrarum, & eorum quibuſdam ritibus.*

Obſeruatio tertia.

Sect. I. *De Hebdomadario.*

II. *De Miſſæ Conuentualis ſenſu, tempore, neceſſitate, & applicatione.*

III. *De eiuſdem Miſſæ audiendæ obligatione.*

Obſeruatio quarta.

Sect. I. *De Antiphona B.V. poſt Miſſam Conuentualem.*

II. *De*

II. *De ritu eam canendi.*

Obſeruatio quinta.

Sect. I. *De Suffragijs Sanctorũ, & alijs Officio Romano additis.*
II. *An liceant huiuſmodi additiones.*

Obſeruatio ſexta.

Sect. I. *De Oratione Serotina, & in ea peragendis.*
II. *De Communi flagellatione.*

Obſeruatio ſeptima.

Sect. I. *De Chori (& occaſionaliter aliorum actuum communium) frequentia; vbi propter particulares deuotiones non omittendos.*
II. *De completa ad actus communes Chori aſſiſtentia, recedendi licentia, & contrauenientium pœna.*
III. *De Exemptione ab actibus cõmunibus, & qualiter licita.*

Obſeruatio octaua.

Sect. I. *De celeri ad chorum, alioſque communes actus acceſſu.*
II. *De tardè accedentium pœna.*

Obſeruatio nona.

Sect. I. *De Calendario.*
II. *De Officijs, & Feſtis Sanctorum Ordinis; quibus diebus celebranda ſint; & an in alium diem poſſint mutari.*
III. *De alijs Officijs Ordinis; vbi de genuflexione in Officio, & eleuatione Sanctiſſimi Sacramenti.*
IV. *De alijs Officijs peculiaribus Conuentuum.*
V. *De Feſtis Sanctorum Diœceſis.*

Obſeruatio decima.

Sect. I. *De Officio Laicorũ, ritu in eo obſeruãdo, & ſub quo onere.*
II. *De Officio paruo B. V. eius Auctore, & obligatione.*
III. *De Officio Defunct. eius Auctore, et onere illud recitãdi.*

Obſer-

OBSERVATIONVM, ET SECTIONVM.

Obſeruatio vndecima.

Sect. I. *De Litanijs B. Virginis Mariæ.*
II. *De Litanijs Sanctorum. Vbi de Maiorum, & Minorum Auctoribus, & earum ritibus.*

Obſeruatio duodecima.

Sect. I. *De Miſſa quotidiè celebranda; vbi de eius applicatione.*
II. *De cauſis à quotidiè celebrando excuſantibus, & de Superioris conſenſu.*
III. *De Miſſa in triduo maioris Hebdomadæ.*
IV. *De qualitate Miſſæ priuatæ.*
V. *De tempore, & loco Miſſæ priuatæ; vbi de Oratorijs, & Altari priuilegiato.*

Obſeruatio tertiadecima.

Sect. I. *De Menſæ benedictione.*
II. *De poſt Menſam gratiarum actione.*
III. *De benedictione, & gratiarum actione in collatione.*
IV. *De benedictione in principio lectionis in Menſa. Vbi de capite ad nomen Ieſu, & ad ſalutationem Angelicam diſcooperiendo.*
V. *De Pſalmis* De profundis, *&* Miſerere; *& quando dicendi ſint. Vbi de Hoſpitum pedibus abluendis.*

Obſeruatio quartadecima.

Sect. I. *De Religioſorum ſalutationibus.*
II. *De benedictione Prælati in Religioſorum egreſſu.*

Diſquiſitio prima.

*De Hymni* Te Deum laudamus *Auctoribus.*
*Vbi de S. Datij Chronico.*

§. I. *De Hymni* Te Deum &c. *antiquitate.*
II. *Vnde deſumptus Hymnus* Te Deum laudamus.


III. *De*

III. *De huius hymni Auctoribus opiniones, et de eis iudiciũ.*
IV. *Communior de eiuſdem hymni Auctore ſententia.*
V. *An hic hymnus à ſolo S. Ambroſio compoſitus.*
VI. *Probatur vera ſententia ex S. Datij Chronico.*
VII. *Quæ aliorum de hoc Chronico opiniones, & rationes.*
VIII. *An exiſtat hoc S. Datij Chronicon.*
IX. *An extiterit S. Datij Chronicon.*
X. *An alius à S. Datio Chronici auctor Datius.*
XI. *Probatur iterum S. Datius Chronici auctor.*
XII. *Aliæ pro eodem coniecturæ.*
XIII. *Eiuſdem hymni auctores confirmantur SS. Ambroſius, & Auguſtinus.*
XIV. *Tentzelij ſatisfit rationibus.*

## Diſquiſitio ſecunda.

*De cantu à S. Ambroſio in Mediolanen. Eccleſiam inducto.*

§. I. *Rationes dubitandi.*
II. *Prima ſententia de cantu alterno.*
III. *Secunda ſententia de cantu Populi cum Clero.*
IV. *Tertia, & vera de cantu modulato ſententia.*
V. *Probatur ex S. P. Auguſtino tripliciter.*
VI. *Aliæ ex eod. S. P. Auguſtino probationes.*
VII. *Idem iterum ex S. P. Auguſtino euincitur.*
VIII. *Vltimum, & efficacius ex eod. S. P. argumentum.*
IX. *Examen primæ ſententiæ. Vbi fusè de Antiphona.*
X. *Examen ſecundæ. Vbi de cantu Plebis in Eccleſia.*
XI. *Reſpondetur Thomaſſini argumentis. Vbi de alterni cantus origine.*
XII. *Aliæ obiectiones ſolutæ.*

DE

# DE
# DEI BENEDICTIONE
## Præfatio.

QVis huius Opuſculi ſcopus, quæ ſcribendi ratio, & de quibus agatur, ſic breuiter aperio. Plura in Conſtitutionibus noſtris ad Dei laudes ſpectantia continentur, quæ, vtpotè quotidiana, nullum dubium, quod eo ſecurius obſeruari continget, quo magis fuerint elucidata; explanatis ſiquidem dubijs, remotis difficultatibus, & vna pro eis celebrandis firmata regula, eo item facilius vni Deo vacare poterit animus, quo liberior à perplexitatibus. Ideò quæ obſcura, vel ambigua, vel in quæſtionem vocantur, declarare, explicare, & ſoluere rem haud inutilem duxi; ratus me Deum meum benedicere, ſi eius laudibus explendis operam nauauerim. Atque hinc *De Dei Benedictione* Operi titulus, quià circà vocales Dei laudes, vel quæ illas iuxtà noſtra ſtatuta concernunt, verſantur Obſeruationes; quæ, dum ſtrictim in lege præſcripta, vberius exponunt, commentarij loco non immeritò haberi poſſunt.

Nec quemquam mihi ſuccenſurum puto, quod non *Commentariolum*, vt Eruditi quidam maluiſſent, ſed *Commentariolus* inſcripſerim; cum & huiuſmodi lectio accepta fuerit tum Ambroſio Calepino in *Dictionar. verb. Commentarium*, tum Pyrrho Perotto in *Cornucop. col.* 877.30. ibi: *Dicimus autem tam in maſculino genere Commentarius, quam in neutro Commentarium*; & Ciceroni ipſi quandoque familiaris, nempè *Epiſt.* 69. *n.* 6. *de Clar.* 289. *A.* iuxtà adnotationem Nizolij, & Gerardi Voſſij in *Ethymolog. ling. lat. verb. Commentum*; &, vt plures omittam, à Matthæo Radero in *Martial.* Roberto Stephano in *Theſaur. ling. latin.* non ſemel vſurpata. Pergratam eam video Anonymo Monacho in *nouiſs. Bibliothec. PP. tom.* 27. ex conſimili Epigraphe: *Benedictio Dei. Commentariolus*; Et

hunc

hunc præeuntem non diſplicuit ſequi; quod ſatis eſt, ne videar aut erraſſe, aut non aduertiſſe.

Quia verò plura ea ſunt, quibus veluti per capita, & genericè quoad Dei laudes præſcribuntur a Legislatoribus, vt Officium Diuinum tum Romanum, tum Religionis proprium: item Miſſa tum Conuentualis, tum priuata, Oratio ſerotina, Roſarium, Litaniæ, & ſimilia, non ea eſt mens omnia adamuſſim examinare, nec de ſingulis omnes quæſtiones, quæ moueri poſſunt, inſtituere: ſed ea dum taxat, quæ vel ipſæ ſuppeditant Conſtitutiones, vel quæ coherenter ad eas apud noſtros, aut communiora ſunt, aut vt plurimum controuertuntur, elucidare.

Agitur etiam tum de Menſæ, tum de Religioſorum benedictione; nec non de pijs eorum ſalutationibus, quia, licet alia ſit benedictio, qua Deus laudatur, & alia, qua vel homines, vel creaturæ benedicuntur, vt diſtinguit Pamelius in *Not. ad Tertull. cap. 2. lib. de Teſtim. Anim. num. 6.* Cum autem & in ſupradictis omnibus aut ipſe Deus colatur, aut inuocetur, aut in eius nomine ipſæ fiant, & ipſas ad vocales Dei laudes ſpectare non dubito.

Cæterum nihil puto aut gratis dictum, aut quod tædium generare poſſit, quis offendet, cum omnia claſſicorum DD. ſententijs comprobata ſint; & pluribus tum quoad ritus, tum quoad res Eccleſiaſticas eruditionibus referta, vt iuxta præſentis ſæculi genium, quod varietate gaudet, habeat quiſque vndè poſſit oblectari.

Binæ accedunt diſquiſitiones; de Hymni *Te Deum laudamus* Auctoribus, & cantu à D. Ambroſio in Mediolanenſem Eccleſiam inducto; Cum namque quoad primam *num.* 22. & quoad ſecundam *num.* 37. aliqua reſpectiuè tangenda occurriſſent; & aliàs attenta, quæ de eis circumferuntur, opinionum varietate, plura vel inquirenda, vel producenda ſupereſſent, videns, quod ſi ſtrictim id præſtarem, rei exigentiæ ſatisfieri non poſſet; etſi, vt par erat, tractaſſem, valdè digrediendum fuiſſet; conſultò ſpeciales diſquiſitiones inſtitui, vt congruo ſtudio vtriuſque difficultatis veritas inueſtigaretur; Et quia, vt potè ad Dei laudes, & benedictionem ſpectantes, omittendæ non erant, vt & ipſæ communes ſint, poſt Commentariolum exhibentur.

OB-

# OBSERUATIO PRIMA.

## Ad Text.

1 PRacipimus, *vt Diuinum Officium tam diurnum, quàm nocturnum ſumma cum veneratione, diſtinctè, attentè, atque deuotè, ſine nota tamen à Fratribus in Eccleſia, vel Choro iuxtà ritum Romanum celebretur. Matutinum ſemper media nocte dicatur, exceptis die, & Octaua Sanctiſſimi Sacramenti, & tribus vltimis diebus maioris hebdomadæ, in quibus morem aliarum Eccleſiarum ſequantur.* Conſtit. *p.* 1. *cap.* 1. *num.* 1.

## SECTIO PRIMA.

### *De Diuino Officio, & Horarum numero.*

2 DIuinum Officium, ſi nominis ethymologia attendatur, idem eſt, ac efficium, ſic ab efficiendo dictum ex D. Ambroſ. *de Diuin. Offic. lib.* 1. *cap.* 8. & Raban. Mauro *de Inſtit. Cleric. lib.* 1. *cap.* 32. ibi: *Officium autem dicitur ab efficiendo, quaſi efficium, propter decorem ſermonis vna mutata littera*; ex eo quod vnicuique conueniat ſuum efficere officium, vt ſubdunt Gauant. in *Rubr. Breuiar. ſect.* 1. *cap.* 1. *nu.* 1., & Dominicus Magrius in *Notit. vocab. Eccleſ. verb. Officium*. Quod non diſcrepat ab Iſidori explicatione, per quam nomine Officij venit actus proprius, & congruus vnicuique perſonæ ſecundùm mores Ciuitatis, vel

 inſti-

inſtitutæ profeſſionis, per Magr. *ibid.* ſeu proprium officium à certis perſonis efficiendum, vt notat Bernard. Biſſus in *Hierurgia litt. N. num. 39.* Additur verò *Diuinum*, quia ad Dei cultum eſt primariò inſtitutum, per Peyrin. *in Regul. Minim. cap. 4. §. 16. q. vnic. nu. 3.* ſeu eſt actus laudandi Deum, ex Bonacina *de Hor. Canon. diſp. 1. q. 1. punct. 1. prop. 1. n. 4.* Baldel. *tom. 2. l. 3. diſp. 20. nu. 2.* & quia eſt actus proprius eorum, qui ſunt Deo dicati, per Gauant. *loc. cit.* ſeu, vt habent Bellarminus *tom. 4. Controu. tit. de bonis operibus lib. 1. c. 10.* & Bonacina *ibid.* quia in hoc munere Officij recitandi debent præcipuè exerceri Clerici, & Monachi.

3 Si verò res attendatur, importat laudes illas, & preces, quæ ex inſtituto Eccleſiæ ſtatutis horis quolibet die funduntur ad Deum. Ità Bonacina *ibid. nu. 1.* Hieronymus Carellus *in Doctrin. Sacr. Rit. Dialog. 1.* Caſtaldus *in Prax. Ceremon. lib. 2. ſect. 3. cap. 1. n. 1.* & definitur à Bellarmin. *d. cap. 10. verſ. Porrò ſi quis.* Filliuc. *tom. 2. tract. 23. cap. 3. q. 4. n. 87. Certa ratio publicè laudandi Deum, precandique mente ſimul, ac voce auctoritate Præſulum Eccleſiæ conſtituta.* Vbi notandum ly *publicè* denotare idem ac publico Eccleſiæ nomine, iuxta Gobat. *in experim. Theolog. tract. 5. nu. 554.* Bernard. Biſſum *ibid. verb. Nomen officij. §. 6.* quod verificatur, etiamſi priuatim recitetur, cum ſemper & priuatè dicatur *Dominus vobiſcum, Oremus. Benedicamus Domino &c.* vt aduertunt Bellarmin. *d. cap. 10.* Filliuc. *ibid.* Bonacina *loc. cit. num. 2.* Trullench. *in Expoſit. Decalog. lib. 1. cap. 7. dub. 11. n. 1.* Carrier. *Digeſt. Fid. Cathol. pag. 571. de Offic. Diuin. §. additur ſecundò.*

4 Et quia ex inſtituto Eccleſiæ certis horis huiuſmodi Officium, ſeu laudes recitandæ ſunt, horæ item Canonicæ nuncupantur iuxtà Marcellum Francolinum *tract. de tempor. Hor. Canon. cap. 25. nu. 12.* Carellum, & Caſtaldum *loc. cit.* Bernard. Biſſum *d. verb. Nomen Officij §. 1,* Bonacinam *ibid. nu. 4.* ni, & fortè melius Officium Horas Canonicas dici velimus, quia ex omnibus horis canonicis tamquam partibus integralibus, vt habet Hiacynthus Donatus *Prax. Regul. tom. 4. tract. 18. q. 1. nu. 1.* componitur Officium.

5 Porrò partes huius Officij, ſeu Horæ Canonicæ ſeptem ſunt. Matutinum (de quo ſeq. ſect.) Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ, & Completorium. Ità expreſsè in *Cap. Presbyter. de Celebrat. Miſſar.* Vnde Gloſa *ibi,*

*Hæc ſunt, ſeptenis per quæ nos pſallimus horis,*
*Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat;*
*Prima replet ſputis; cauſam dat Tertia mortis;*
*Sexta Cruci nectit; latus eius Nona bipertit;*
*Veſpera deponit; tumulo Completa reponit,*

Totidem enumerantur etiam in *Clementin. de Reliqu. & Venerat. Sanctor. fin.* & in *Can. 59. Concil. Cabilonen. II.* & talis eſt ſenſus Dominic. Soto de *Iuſt.*

*&*

*& Iur. lib.* 10. *q.* 5. *art.* 4. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 6. Fagnani *ad d. Cap. Presbyter. num.* 10. & Barboſ. *num.* 12. & communiorem eſſe ſententiam teſtantur Emanuel Gonzalez *d. cap.* 1. *de Celebrat. Miſſ. num.* 18. Eligius Baſſæus in *Flor. Theol. tom.* 1. *verb. Horæ Canonicæ.* 1. *num.* 2. Bonacina *loc. cit. punct.* 3. *num.* 4. Donatus *d. tract.* 18. *q.* 1. *num.* 5. Carellus *ſupr. Dialog.* 2. Gauantus *ead. ſect.* 1. *cap.* 3. *num.* 1. Benedictus Hæftenus *diſquiſit. Monaſt. lib.* 7. *tract.* 2. *diſqu.* 4. quin communiſſimam. Francolinus *ibid. cap.* 6. *num.* 8. & iuxta conſuetudinem Eccleſiæ. Filliucius *t.* 2. *tract.* 23. *cap.* 3. *num.* 107. & Trullench. *eod. dub.* 11. *num.* 5. Quarum myſteria præ cæteris videre eſt apud Stephanum Durant. *de Ritib. lib.* 3. *cap.* 6. *ad.* 12. Ioann. Baptiſt. de Rubeis in *nou. Rational. Diuin. Offic. lib.* 3. *cap.* 1. *& ſeq.* & Gonzalez *ibid. num.* 18. ſicut & ſeptenarij numeri, apud eoſdem Durant. *lib.* 3. *cap.* 3. *nu.* 3. Gonzalez *ibid. nu.* 13. & Barboſ. ad *cit. Cap. Presbyter. nu.* 17.

## SECTIO SECVNDA.

### *De Diuini Officij diurni, & nocturni partibus, numero, earum in recitando ſeparatione, & Hymno* Te Deum Laudamus.

6 NOcturni, diurnique Officij mentio habetur in *Clemen.* 1. *de Celebrat. Miſſar.* & *Cap. Dolentes. tit. eod.* ibi: *Vt Diuinum Officium nocturnum pariter, & diurnum.* Et eſt ſatis recepta diuiſio, de qua Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 3. *à nu.* 18. Tancredus *de Relig. tract.* 3. *lib.* 4. *diſp.* 2. *q.* 1. à Regio Propheta præſignata: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, Septies in die laudem dixi tibi*, Pſal. 118. *v.* 62. *&* 164. & propter myſticam ſignificationem, de qua Rubeus in *nou. Rational. Diuin Offic. lib.* 3. *cap.* 17. §. *ſuppoſito ergò.*

7 Sed difficultas eſt in aſſignandis vtriuſque Officij horis, quænam nocturni, diurniue ſint propriæ. Et omiſſa opinione eorum, qui octo horas admittentes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam diurnas; Veſperas, Completorium, Matutinum, & Laudes nocturnas volebant; & de quibus Stephan. Durant. *d. lib.* 3. *cap.* 3. *nu.* 1. & quos impugnat Rubeus *loc. cit. d.* §. *ſuppoſito ergò.* Sicut & eorum, qui Matutinum, Primam, & Completorium prò Nocturnis ponebant, quos quantum ad Primam, & Completorium refellunt Francolinus *d. tract. de tempor. Hor. Canon. cap.* 6. *nu.* 14. *&* 36. & *cap.* 16. *à nu.* 1. Rubeus *ibid.* §. *Hæc tamen imaginatio*, & Suarez *ibid. cap.* 4. *nu.* 1. & *cap.* 5. *nu.* 1. Dico prò Officio nocturno, & quoad rem Matu-

tinum cum Laudibus venire: Cæteras verò prò Diurno, cum Suarez *d. n.* 1. Molfeſio *Summ. tract. 5. cap. 1. nu. 20.* Rubeo *lib. 3. cap. 17. §. De Veſpera. fin.* & *cit. §. Hæc tamen imaginatio*. Tancred. *ibid. q. 2. & 3.* Trullench. *in Decal. lib. 1. cap. 7. dub. 11. nu. 7.* Donato *t. 4. tract. 18. q. 1. verſ. cum autem ibidem*.

8 Nomine autem Matutini, iuxtà morem Eccleſiæ, Nocturnos intelligo, qui ſub ea appellatione veniunt in Breuiario, ſed cum Laudibus, quia & ipſæ ſub Matutino comprehenduntur per Trullench. *d. dub. 11. num. 5.* & ex dd. *Cap. Presbyter.* & *Cap. Dolentes. de celebr. Miſſ.* & *Clement. in fin. de Reliq. & Vener. Sanct.* deducunt Francolinus *loc. ſup. cap. 6. nu. 20. & 21.* & *cap. 7. n. 1.* & Suarez *cit. nu. 1.* & mox probabitur; adeòque benè Officio nocturno Matutinum aſſignari, quia ex nocturnis conſtat; & vna cum Laudibus, quia Laudes noctis partem ſibi vindicant, per Hugonem de S. Vict. *lib. 2. Diuin. Offic. cap. 10.*

9 Sed ſtatim hinc dubium. Si nocturnis conſtat, & de nocte recitatur, quomodò Matutinum, quod à mane dicitur? Et reſpondetur, nocturnos Matutinum dici non per ſe conſideratos, ſed quatenùs vna cum Laudibus continuantur. Francolinus *d. cap. 6. num. 2.* & *cap. 7. num. 2.* Cum namque antiquitùs Laudes canerentur à Clericis quarta noctis vigilia, vt referunt Dominic. Soto *lib. vlt. de Iuſt. & Iur. q. vlt. art. 1. concl. 5.* & Theodorus Peltanus *de trib. bonor. oper. generib. lib. 3. cap. 8.* quæ vſque ad Solis ortum protenditur, per Hugon. de S. Vict. *d. lib. 2. cap 10.* & Arnobium *ad Pſal. 129.* apud Caramuel. *Theolog. Regul. t. 1. nu. 1116.* ſeu in Aurora, vt Suarez *cit. lib. 4. cap. 4. num. 9. & 10.* Rubeus *d. §. de Veſpera.* & *§. Tertiò paululùm*. Baldel. *tom. 2. lib. 3. diſp. 20. num. 9.* Tancred. *d. lib. 4. diſp. 2. n. 6.* Carellus *in Doctrin. Sacr. Rit. Dialog. 2.* hinc matutinale Officium dicebantur, vt apud Amalarium *lib. de Ordine Antiphonarij cap. 4.* vbi ſic de Romanæ Eccleſiæ conſuetudine: *Ipſa quotocumque ordine, vel numero lectionum viderit Matutam, ideſt, Auroram procedere, dimittit nocturnale officium, & incipit matutinale*, ſcilicet Laudes, vt interpretantur Francolinus *loc. dict. cap. 5. nu. 22.* & Edmundus Martene *de Ritib. Monach. lib. 1. cap. 3.* dicens: *Matutinum S. Benedictus, alijque Scriptores antiqui vocabant illud officium, quod illuceſcente Aurora celebratur, & à nobis Laudes appellatur, à voce Matuta, ideſt, Aurora, eo quòd ad Auroram decantaretur.* Ex hac inquàm coniunctione, & continuatione cum Laudibus, & quatenùs in ratione horæ canonicæ complentur per Laudes, quæ ex ſui origine Matutinum tempus reſpiciunt, Officium nocturnum Matutinum appellari, cum denominatio horæ canonicæ non ſumatur niſi à poſtrema parte, in qua complementum, & perfectionem accipit, iuxtà doctrinam Francolin. *d. cap. 6. num. 3. & 24.* & Peyrin. *Comment. ad Reg. Minim. cap. 4. §. 12. q. 3. num. 2.* Sed, hoc non obſtante, re vera propter dicta Officium nocturnum eſſe.

10 Dubitatur modò, an Matutinum, & Laudes ſint vna tantùm hora canonica, vel duæ. Et quidquid ſit de more Monachorum, in quorum Regula *cap. 16.* nocturni à Laudibus ſeparantur, vt habet Hæftenus *diſquiſit. Monaſt. lib. 7. tract. 2. diſq. 4.* quique, vt refert Hugo de S. Vict. *in Specul. Eccleſ. cap. 3.* & *lib. de Eccleſ. Offic. cap. 1.* & *cap. 9. in fin.* nocturnale Officium Oratione, ſicut cætera terminant, & qua de cauſa octo enumerantur horæ canonicæ ab Archidiac. *in Cap. Presbyter. diſt. 91.* Nauarr. *in Enchirid. de Hor. canon. cap. 3. num. 27.* Amalar. *lib. de Ordin. Antiphon. cap. 7. in princip.* Io. de Turrecrem. *in cap. 16. Regul. S. Benedicti tract. 73.* Radulph. Tungrenſ. *lib. de Can. obſer. propoſ.* 14. Certum eſt, quod ex Eccleſiæ conſuetudine non ſeparantur à Laudibus. Suarez *d. cap. 4. num. 10. fin.* vnde nullum fuiſſe Romæ interſtitium inter Matutinum, & Laudes, teſtatur idem Amalarius *in Prolog. ad d. lib. de Ord. Antiph.* & iuxtà eumdem Hugonem *ibid.* Nocturni cum Laudibus terminantur, & vna Oratione clauduntur: *Nunc autem conſuetudo* ( ſic Hugo *loc. cit.*) *humanæ infirmitati parcens, & labori, Officio prædicto laudes Matutinas continuat, & Oratione vna duo claudit Officia;* Et cum non ſit attendendus ritus particularis aliquorum Monachorum, ſed praxis vniuerſalis ſecundùm Breuiarium Romanum, per Francolin. *d. cap. 6. num. 21.* & Donat. *d. t. 4. tract. 18. q. 1. num. 9.* vnam horam canonicam Matutinum, & Laudes conſtituere dicendum eſt. Sicut enim ea vna eſt quantitas, quæ proprijs principio, & termino clauditur; ità in moralibus vna eſt hora canonica, quæ proprium habet principium, & terminum, ſeu finem horæ canonicæ, ex Suarez *d. lib. 4. cap. 6. num. 15.* Filliucius *tom. 2. tract. 23. cap. 3. num. 110.* & Bonacina *d. diſp. 1. q. 1. punct. 3. §. ad ſecundum.* Atque ità ex hac duplici ratione, quod ſimul perſoluantur, & eodem terminò, ſeu oratione, & *Benedicamus Domino* finiantur, præter mox adductos ſentiunt Francolin. *cit. cap. 6. num. 10.* Rubeus *lib. 3. cap. 17. §. Suppoſito ergò.* Carellus *Dialog. 2.* Donatus *d. q. 1. num. 8.*

11 Nec obſtat, quod Laudes habeant proprium initium, ſeu *Deus in adiutorium &c.* aut quod in nocte Natiuitatis Domini diuidantur, & poſt Miſſam recitentur; quia quoad primum (prterquamquòd hæc ratio per ſe non diuerſificat horas, vt in Prima, in qua ter repetitur eadem identitate horæ remanente; & ſi ſic inchoantur, hoc non fit cum terminatione antecedentium nocturnorum per Orationem, & *Benedicamus Domino, & Fidelium &c.* vt notat Carellus *d. Dialog. 2.*) carere Laudes principio horarum proprio, nempè *Pater*, & *Aue Maria* reſpondent Carellus, & Donatus *loc. cit.* Et quoad ſecundum, quia etſi ea nocte diuidantur, & duæ horæ fiant ratione termini, quem tunc accipiunt nocturni, non ſunt ſimpliciter, & abſolutè dicendæ duæ horæ; nam moralia accipiunt denominationem à frequentioribus, & communioribus: non verò a caſu particulari,

lari, vt docent Suarez *d. cap. 6. num.* 11. & Leander *part. 6. tract. 8. diſp.* 1. *q.* 5. §. *ſed ego reſpondeo;* vel quia per accidens interponitur Miſſa, nec in ſignum diſtinctionis horarum, ſed ad laudandum Deum ſpeciali modo ea nocte per Miſſæ Sacrificium, in qua ſpeciali modo ſe dignatus eſt nobis oſtendere; ex quo non eſt deſumenda regula prò diuerſitate horarum, cum lex reſpiciat quæ per ſe, & non per accidens fiunt, ex Donato *d. q.* 1. *num.* 8.

12 Quidquid tamen ſit de his rationibus, ſententia ipſa abſque dubio cohæret cum Eccleſiæ ſenſu, à qua ſola horæ canonicæ ſicut habent inſtitutum, ita & numerum, & diſtinctionem per Donatum *ibid. num.* 5. De mente autem Eccleſiæ eſt, ſeptem, vt *num.* 5. vidimus, tantùm eſſe horas canonicas, (quod ſtare non poſſet, ſi Laudes eſſent hora diuerſa, vt notant Francolin. *d. cap. 6. num.* 21. Suarez *eod. cap. 6. num.* 6. Trullench. *cit. dub.* 11. *num.* 5. Filliuc. *ibid. num.* 107. Carellus *Dialog.* 2. & Donatus *d. q.* 1. *nu.* 5. *verſ. tum etiam quia*, & *num.* 9. *verſ. vnde benè dicit.*) & ſub Matutino Laudes quoque comprehendi, vt dictum eſt *num.* 7. *&* 8.

13 Quod adhuc amplius, & clarè ſuadetur tum ex Rubricis Breuiarij, in Rubr. *de Precibus*, vbi ſic legitur: *In Vigilijs autem preces feriales dicuntur tantùm ad Matutinum, & per horas;* cum namque dicantur ſolùm poſt Laudes, ſignum eſt, quod prò Matutino, ſeu prò eadem hora accipiuntur nocturni cum Laudibus; tum ex Clemen. *de Reliq. & Venerat. Sanctor. fin.* & Concilio Cabilonen. II. *cap.* 59. vbi horæ canonicæ numerantur, ſeu *Matutinum, Prima &c.* nulla facta de Laudibus mentione; & non alia de cauſa, niſi quia ſub Matutinali Officio comprehenduntur, vt explicant Francolinus *ibid. cap. 7. num.* 5. & *cap.* 8. *num.* 1. & Suarez *d. cap. 6. num. 6.* ſecus, ſi hora diſtincta eſſent, & ipſæ ſpecificari debuiſſent; adeòque & vnam horam conſtituere ſupponuntur. Ex quibus ſequitur, diſpenſatum à Papa à recitatione vnius horæ canonicæ, Matutinum cum Laudibus omittere poſſe, vt colligunt Bonacina *d. punct. 3. fin.* Donat. *cit. num.* 8. *fin.*

14 Quæritur ſecundò, an poſſint Laudes à Matutino ſeparatim recitari; ſi enim vna ſunt hora, quæ vtrumque comprehendit, diuidi nequaquàm poterunt; & ſi admittatur, id poſſe fieri, iam duæ horæ erunt; & poterunt inſuper & nocturni, quin pſalmi vnius horæ ſeparatim ab alijs recitari. Reſpondetur tamen poſſe, ſaltem extra Chorum; quia, etſi ab Eccleſia Romana prò vna hora canonica habeantur, ſunt duæ tamen partes inter ſe diſtinctiſſimæ; & quia iam antiquitùs ſeorſim recitabantur, & in Aurora, vt *num.* 9. dictum eſt; cuius moris veſtigia etiam nunc apparent, tum in earum principio, *Deus in adiutorium &c.* vt in alijs horis, tum in pulſatione campanarum, dum ipſæ inchoantur, vt ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine Miranda in *Manual. Prælat. tom.* 1, *q.* 37. *art.* 2. *in Concluſ.*

& Ro-

& Romæ in Baſilica Apoſtolorum, & alibi etiam hodiè obſeruari teſtatur Nauarr. in *Manual. de Orat. cap. 3. num.* 28. & nobis in noſtro Ceremoniali Eccleſiaſt. *lib.* 1. *cap.* 18. præſcribitur; quas ad ſingulas horas canonicas pulſandas eſſe præcipitur in *Cap.* 1. *& 2. de offic. Cuſtod.* Vnde etiam nunc poſſe ſeparatim recitari, tenent Nauarr. *d. cap.* 3. *nu.* 64. Francolin. *cap.* 27. Suarez *d. cap.* 6. *num.* 9. Bellarmin. *tract. de bonis operibus in particul. lib.* 1. *cap.* 11. *§. Iam verò Laudes*. Bonacina *de Hor. Canon. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 3. *num.* 11. Filliucius *tract.* 23. *cap.* 3. *nu.* 111. Baſſæus *in Flor. verb. Horæ Canon.* 3. *in ſupplem. num.* 2. Silueſter Bartoluccius in *Declarat. Regul. S. Franc. ad cap.* 3. *§. Quarta innuit.* alijque, quos adducit, ſequiturque Leander *d. tract.* 8. *diſp.* 1. *q.* 6. & vt infrà *num.* 17.

15 Nec per hoc ſequitur, aut quod ſint duæ horæ. Barboſ. in *Cap. Presbyter. de Celebrat. Miſſar. num.* 5. eo modo, quo, etſi antiquitùs ſeparatim vnus ab altero recitarentur nocturni, vt aliquibus placet, & videre eſt apud Francolin. *cap.* 1. *num.* 14. Suarez *ibid. cap.* 4. *à num.* 3. *& ſeq.* Stephan. Durant. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. non per hoc tres horas canonicas conſtituebant, vt ex Soto *de Iuſt. & Iur. lib.* 10. *q.* 5. *art.* 1. ſcribit Sanchez *Conſil. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 3. & non obſcurè Suarez *ibid. cap.* 6. *num.* 5. Bonacina *d. q.* 1. *punct.* 3. *§. ad ſecundam*. Trullench. *cit. dub.* 11. *num.* 6. *verſ. Hoc tamen benè*. Baldellus *eod. lib.* 3. *diſp.* 20. *num.* 14. *&* 15. vbi, ſicut continuatio horarum non probat vnitatem, nec tollit pluralitatem, ità interruptionem, vel diſcontinuationem temporis non probare pluralitatem, nec tollere vnitatem.

16 Aut quod poſſint ſeparatim recitari nocturni, tum ob diuerſam rationem; nam Laudes ex ſui inſtitutione ſeparatim à nocturnis dicebantur, iuxtà dicta *num.* 9. de nocturnis autem non ità conſtare, an inſtituti, vt ſeparatim recitarentur, ſcribunt Azor. *Inſtit. moral. lib.* 10. *cap.* 2. *q.* 2. Suarez *loc. ſupr. cap.* 4. *à num.* 3. *& ſeq.* & *cap.* 6. *num.* 5. *&* 10. tum ob diuerſam conſuetudinem, quæ non eſt ſeparandi ad inuicem nocturnos, ſicuti a nocturnis Laudes. Tancred. *cit. lib.* 4. *diſp.* 2. *num.* 14. Et ſic ex ſeparatione Laudum à nocturnis non benè infertur & hos ſeparari poſſe, vt benè reſpondent idem Suarez *ibid. d. num.* 10. & Baldellus *ead. diſp.* 20. *num.* 14. & *diſp.* 32. *num.* 2. Quin nec ſequitur etiam admiſſo, quod à ſui inſtitutione ad inuicem diuiderentur nocturni, cum nullum huius ſeparationis remanſerit veſtigium, ſicut remanent veſtigia ſeparationis Laudum à nocturnis, vt dictum eſt *num.* 14. Vndè illationem ex hoc eodem capite redarguendo non admittit Francolinus *d. cap.* 27. *num.* 8.

17 Quod ſi dicatur, eſſe opinionem probabilem, quod poſſit ſeparatim vnus nocturnus ab alio recitari aliquo ſpatio temporis interpoſito, quod ad tres horas extendit Filliucius *d. tract.* 23. *cap.* 7. *num.* 238. quem ſequuntur Bonacina *d. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 3. *num.* 13. Barboſ. *loc. cit. num.* 6. Reſ-

pon-

pondebitur, hoc non videri licere niſi ex cauſa aliqua iuſta, vt *d. num.* 10. notat Suarez, & *d. num.* 13. *fin.* inſinuat Bonacina, & clarè Azor. *t.* 1. *Inſtit. moral. lib.* 10. *cap.* 8. *q.* 4. Buſembau *Medull. Theolog. mor. lib.* 4. *cap.* 2. *dubit.* 2. *art.* 4. *num.* 4. Baldell. *d. num.* 14. & *diſp.* 32. *num.* 2. vbi è contrario Laudes prò ſolo libito, & ſine cauſa à nocturnis ſeiunctim recitari poſſunt, vt cum Gauant. in *Rubr. Breuiar. ſect.* 1. *cap.* 6. *tit.* 9. Gobat. *tract.* 5. *num.* 672. Tobias Lohner in *Prax. Diuin. Offic. part.* 2. *tit.* 1. §. 11. cum id ſit multùm conforme earum inſtitutioni, iuxtà Suarez *d. cap.* 6. *num.* 10. Pellizzar. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 80. & ideò ſic recitare laudabile per Filliucium *d. num.* 238. *fin.* Quod ſanè diuerſum eſt. Nec ſermo eſt in præſenti de diuiſione Laudum cum cauſa, ſed ex puro arbitrio, & voluntate, vt aduertunt Suarez *ibid.* Sanchez *Conſil. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 20. quod certè nequit habere locum in nocturnis.

18 Multò minus ſequitur, poſſe pſalmum vnius horæ, & poſt temporis interuallum recitari, quia interpolatio hæc, ſeu interruptio eſt contrà vnitatem moralem cuiuſque horæ, & conſuetudinem; nec eſt earum inſtitutioni conſentanea per Suarez *ibid. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 9. & Filliucium *loc. ſupr. cap.* 6. *num.* 201. *&* 202. quæ non militant in ſeparatione Laudum à nocturnis.

19 Aduertendum tamen primò, vbi à nocturnis Laudes diuidantur, concludendos eſſe nocturnos per Orationem, *Benedicamus Domino*, & *Fidelium*, & *Pater*, vt ex obſeruatione Eccleſiæ docent communiter Nauarr. *de Orat. cap.* 3. *num.* 64. Suarez *d. cap.* 6. *num.* 2. Filliuc. *ibid. num.* 110. *&* 138. Trullench. *d. dub.* 11. *num.* 6. cum Io. Bapt. de Fabris, Lezana, Gauanto Diana in *coordinat. t.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 70. & Leander *cit. diſp.* 1. *q.* 7. Licet enim non id præcipiatur in Rubricis, & quam ob cauſam non eas eſſe recitandas vult Thomas Sanchez *d. lib.* 7. *Conſ. cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 5. *& dub.* 20. *fin.* ex more tamen Eccleſiæ in nocte Natiuitatis colligitur, quod idem in alijs diebus ſeruaret, ſi Laudes ſepararet, vt notat Leander *ibid. & diſp.* 4. *q.* 71. vbi factum Eccleſiæ ius facere. Et ideò ſaltem laudabile eſſe ita obſeruare concludit Bonacina *loc. cit. num.* 14. Sicut & præmittendas Orationes Dominicalem, & Angelicam, dum ſeorſim inchoantur Laudes, vt tenent laudati DD. etiamſi Leander non eſſe id neceſſarium ſuſtineat, ex eo quia in nocte Natiuitatis abſolutè ſine illis inchoentur; nam reſponderi poteſt cum Gauanto ad *Rubr. Breu. ſect.* 4. *cap.* 2. *nu.* 4. non applicari exemplum, quia tunc vniuntur cum Miſſa, & ideò non eas preces prærequiri, & concluſionem procedere, quando ſeparatim omninò, & ſolæ recitantur.

20 Aduertendum ſecundò, ſermonem eſſe hic de recitatione priuata, & extra Chorum; nam in Choro ſeparandas non eſſe Laudes à nocturnis firmant Francolin. *d. cap.* 27. *num.* 1. Suarez *cit. cap.* 6. *num.* 10. Tancred.

*d. lib.*

*d. lib.* 4. *diſp.* 2. *num.* 14. cum in Choro conſuetudo ſemel introducta, & approbata ſeruari debeat; nec nouitas, aut varietas in ritibus publicis priuata auctoritate fieri poſſit, ſecus ſequerentur perturbationes; Vnde in Choro Matutinum, ſeu nocturni cum Laudibus ſimul perſoluendi ſunt, excepta nocte Natiuitatis, iuxta Breuiarij Romani diſpoſitionem.

21 Aduertendum tertiò, in caſu priuatæ ſeparationis Laudum à Matutino, Hymnum *Te Deum Laudamus* poſt nocturnos recitandum eſſe, & poſt ipſum Orationem cum verſ. *Benedicamus Domino &c.* per Suarez *d. cap.* 6. *num.* 13. Gauant. *ibid. ſect.* 4. *cap.* 2. *num.* 3. quia iuxtà communiorem opinionem, de qua teſtatur Gauantus *ibid.* huiuſmodi hymnus ad Matutinum, non verò ad Laudes pertinet, & illius, & non harum pars eſt, vt diſertè Nauarr. *de Orat. cap.* 3. *num.* 64. Francolin. *cap.* 7. *à num.* 8. *& ſeq.* Suarez *d. num.* 13. Tancred. *loc. ſupr. num.* 15. & Dominicus Magri. in *Notit. Vocab. Eccleſ. verb. Te Deum laudamus.* Primò ex eo, quod nocte Natiuitatis ante Miſſam prò fine Matutini dicatur, vt *ibid.* Nauarr., & Rutil. Benzonus in *Magnific. lib.* 1. *cap.* 19. prò quo faciunt etiam verba Microlog. *lib. de Eccleſ. obſeruat. cap.* 34. ibi: *In Natali Domini finito nono Reſponſorio, Euangelium, Liber generationis legitur, deinde Te Deum laudamus cum pulſatione ſignorum dicitur, ſicque finitis nocturnalibus vigilijs Miſſa ante Matutinales Laudes &c.* ſi namque tali hymno finiuntur nocturnales vigiliæ, ſeu Matutinum, ad ipſum ſpectare non eſt dubium. Secundò, ex eo quod poſt Miſſam incipiant Laudes, & per verſ. *Deus in adiutorium &c.* qui eſt horarum principium, vt Nauarr. *ibid.* Trancred. *ibid. num.* 16. Et tertiò, ex inſcriptione ipſa *Ad Laudes*, quæ, vt obſeruat Francolinus *ibid. num.* 10. ponitur in Breuiario poſt *Te Deum*; & ea ſola afficit, quæ poſt ipſum ſequuntur. Ob quod Io. Baptiſta Rubeus in *Nou. Rational. Diuin. Offic. cap.* 20. agit de *Te Deum laudamus* vna cum Matutino; de Laudibus verò ſeorſim, *cap.* 21. Addi etiam poteſt, hunc hymnum additum fuiſſe Officio canonico loco lectionis nonæ, quæ teſte Durando *Rational. Diuin. Offic. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 50. antiquitùs ſemper erat de Trinitate, & loco noni Reſponſorij, *Duo Seraphim*, ſubdit idem Rubeus *ibid. cap.* 19. ſeu quod ſubinde poſitum eſt prò octauo, vt notat Bernardus Biſſus in ſua Hierurgia *verb. Te Deum laudamus.* §. 3. adeòque, cum in dictorum locum ſucceſſerit, ad Matutinum ſpectare, prout ſpectabant prædicta, vt non obſcurè *d. num.* 13. innuit Suarez.

22 Hic porrò hymnus, qui alias hymnus Dominicalis inſcribitur ab Alcuin. *lib. de Offic. per ferias.* & ea de cauſa ait Edmundus Martene *Comment. ad cap.* 11. *Regul. S. Bened.* quia ab huius Sancti Monachis canitur in omnibus anni Dominicis Quadrageſimæ etiam, & Aduentus, vt etiam teſtantur Hugo Menard. in *Concord. Regular. cap.* 23. *in not. ad append.* 3. Hæftenus *diſquiſit. Monaſt. lib.* 7. *tract.* 6. *diſq.* 8. & Bernardus Biſſus *ibid.*

ad *d. verb. Te Deum &c.* Sed melius, quia, vt habet Hugo Menardus ad *dict. appendic. 3. pag. 350. proprius ſolemnitatis Dominicalis hymnus eſt*; quique in Eccleſia Romana, (vbi olim, iuxta Amalarij fidem in *prolog. Antiphonarij*, canebatur ſolùm in natalitijs Pontificum) in præſenti canitur frequentiùs, vt videre eſt apud eumdem Bernard. Biſſ. *ibid.* §. 1. in meo Eremitarum Ordine in die, qua celebratur feſtum Conuerſionis S. P. Auguſtini, quæ eſt. 5. Maij, ſolemniter cani debet iuxtà Rubr. *in fin. 3. nocturni eiuſd. feſt.* ibi; *Te Deum laudamus. Et vbique ſolemniter in hoc feſto cantetur*; & non alia de cauſa, niſi quia eſt ab ipſo vna cum S. Ambroſio in ſuo baptiſmo compoſitus, vt ex ſpeciali diſquiſitione his ad calcem annexa,

## SECTIO TERTIA,

### *De veneratione, diſtinctione, attentione, atque deuotione ad Officij recitationem requiſitis,*

23 OMnium ferè Ordinum leges idem, ſi non eiſdem, confimilibus verbis ſuis Profeſſoribus inculcant; & meritò, cum omnibus inuigilandum, vt quæ Diuinum cultum reſpiciunt, debita perfectione compleantur. Nobis porrò quatuor circà Diuinum Officium iniunguntur; Veneratio, ſeu reuerentia, diſtinctio, attentio, atque deuotio: *ſumma veneratione, diſtinctione, attentione, atque deuotione*; & omnes in ſummo gradu, ſeu quantum fieri poſſit, vt ex ſimilibus verbis *Cap. Dolentes, De celebrat. Miſſar. Quantum eis Deus dederit.* & vtique iniunguntur cohærenter ad Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 12.* ibi: *In Choro ad pſallendum inſtituto, hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuotèque laudare.* Quæ ſic in *d. Cap. Dolentes. num. 39.* explicat Fagnanus. *Reuerenter, quantum ad humiliationem, & compoſitionem corporis* (& vt loquitur S. Bonauentura in *Spec. diſcipl. ad Nouit, p. 1. cap. 15.* quantum ad timorem, & humilitatem, & inclinationes, atque debitas proſtrationes) *Diſtinctè, quantum ad oris pronunciationem: Deuotè, quantum ad mentis eleuationem*; ſeu quantum *ad cordis affectum*, vt idem *ibid. num. 142.* Attentè verò, quantum ad *aduertentiam ad id, quod recitatur*, Peyrin. in *Regul. Minim. cap. 4. §. 12. q. 9. num. 10.* & hanc tum interiorem, tum exteriorem iuxtà diſtinctionem eiuſdem Peyrin. *ibid. num. 13.* & Leandri *part. 6. tract. 8. diſp. 4. q. 4.* hoc eſt, cum mentis applicatione, & à negotijs, & occupationibus exterioribus feriatione. Per quæ patet, non idem ſub diuerſis nominibus, ſed plura, & diuerſa demandari, cum vna ſine altera ex prædictis conditionibus poſſit haberi.

24 Dixi interiorem, quia exterior non ſufficit ex D. Paulo 1. *Corinth.* 14. *v.* 15. *Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Ex S. Hieronymo in *Cap.* 5. *ad Epheſ.* & habetur in *Cap. Cantantes. diſt.* 92. ibi: Cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino. *Audiant ij, quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt: Deo non voce, ſed corde cantandum.* Ex S. Cypriano *ſerm.* 6. *de Orat. Dominica*, relat. in *Cap. Quando. de Conſecrat. diſt.* 1. ibi: *Quando autem ſtamus ad orationem, Fratres dilectiſſimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus; Cogitatio omnis carnalis, & ſæcularis abſcedat; nec quidquam tunc animus quàm id ſolum cogitet, quod precatur. Ideò & Sacerdos ante orationem præfatione præmiſſa parat Fratrum mentes dicendo, ſursùm corda; vt, dum reſpondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur nihil ſe aliud, quàm Deum cogitare debere.* Et ex d. *Cap. Dolentes.* per hæc verba: *Diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, vt Diuinum Officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudiosè celebrent, pariter & deuotè.* Quod decretum explicans Anacletus Siccus *de Eccleſiaſt. hymnod. lib.* 2. *cap.* 1. ſic habet benè quidem, & verè. In hoc decreto, quod præcipuè reſpicit publicam Chori hymnodiam, vti ex contextu cognoſci libet, non ſola præcipitur prolationis integritas: Nec ſola item exterior attentio, vti quibuſdam placuit aſſerere, quaſi veniam concedentes orantibus impunè, & abſque reatu culpæ Deum irridendi; dum enim aſſerunt, ſolam exteriorem deuotionem præcipi ad rectam canonicarum precum perſolutionem, vtique concedunt poſſe orantes liberè vagari; quod certè repugnat recto fini Eccleſiæ, quæ ſicut Deum orare intendit omni, quo poteſt, perfectiori modo, ita cauere decreto voluit omnibus abſurdis. Nec hoc decretum poteſt dici merè humanum: ſed potiùs declaratorium iuris naturalis, & Diuini; nam & natura, & ſcriptura oſtendunt, Deo orandum, & cantandum non ore, ſed corde. Hæc ille.

Saltem ex noſtris Conſtitutionibus non ſufficere patet, cum præter corporis humiliationem, & compoſitionem, per quam exterior attentio ſignificatur, attentio vlterius iniungitur, *Attentè*, quæ alia nequit eſſe, niſi interior; & vtique cohærenter ad S. P. Aug. Regulam *cap.* 2. ibi: *Pſalmis, & hymnis cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore,* vt explicat Michael Florentinus in *Dilucidar. d. Regul. pag. mihi* 41. & 44., & ante ipſum B. Humbertus, & Vgo à S. Vict. in *expoſit. ad eadem verb.*

25 Et ità requiritur, vt aduertenter recitantes officium ſine vlla attentione non ſatisfaciant præcepto; quia recitare officium eſt vocaliter orare: de ſubſtantia autem orationis eſt attentio, vt docent Peyrin. *d. q.* 9. *nu.* 12. Siccus *ibid.* & cum Mendo in *Epitom. verb. Horæ Canonicæ. num.* 2. Bernardus Biſſus in *Hierurgia verb. Attentio. num.* 470., & cum pluribus probat, ac communem ſententiam eſſe dicit Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 3. & poſt illum Stephanus à S. Gregor. *de Diuin. pietat. Vincul. cap.*

68. *num.* 7. Oratio enim eſt locutio; & ſine attentione nequit eſſe vera; & propria humana locutio per Peyrin. *ibid. num.* 9. Leandr. *dict. diſp.* 4. *q.* 2. & definitur *Aſcenſio mentis in Deum* à S. Damaſceno *lib.* 3. *de Fid. Orthodox. cap.* 24. & in 3. *de Trinit. cap.* 12. in quo inuolui attentionem dicunt Baldell. *tom.* 2. *lib.* 3. *diſp.* 37. *num.* 10. Auguſtinus Redeingh *Theol. Schol. tom.* 11. *q.* 6. *art.* 1. *controu.* 3. *num.* 26. nam ſine attentione non aſcenditur corde ad Deum. Suarez *ibid. num.* 5. adeòque nec habetur Oratio. Tancred. de *Virt. Relig. tract.* 3. *lib.* 3. *diſp.* 2. *q.* 2. Siccus *ibid. cap.* 2. §. *nullus autem*. Vnde ad rem Caſſianus relatus à Gloſſ. in *Clement. de Reliqu. & venerat. Sanctor. verb. Orationes*. *Numquam* (ait) *orat quiſquis etiam flexis genibus, ſi vagatione diſtrahitur*, & alijs pluribus exornat Fagnanus in *d. Cap. Dolentes. à num.* 41. *& ſeq.* Quo fit, vt dum Eccleſia præcipit orationem, ſeu Officij recitationem, eleuationem mentis in Deum, ſeu attentionem præcipiat, vt Fagnanus *ibid.*

26 Licet enim attentio ſit actus internus, & propterea nequeat fortè directè, & per ſe præcipi, tamen poteſt indirectè, & concomitanter præcipiendo debitam, & humanam Diuini Officij recitationem, quæ neceſſariò requirit, & annexam habet eleuationem mentis in Deum, & attentionem, vt diſertè Fagnanus *ibid. num.* 57. Gonzalez in *d. Cap. Dolentes, num.* 7. Suarez *ibid. lib.* 4. *cap.* 26. *num.* 15. Vincentius Candidus *diſp.* 25. *art.* 21. *dub.* 7. §. *dico vndecimò*. Siccus *loc. cit. pag.* 143. Trullench. in *Decal. t.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 17. *nu.* 4. Carolus Mallet. *Moral. Theol. tom.* 1. *Malleat.* 30. *Bract.* 45. Marchant. in *Tribunal. tom.* 2. *tract.* 2. *part.* 2. *tit.* 3. *ſect.* 4. *q.* 1. *art.* 2. Hieronymus à Politio in *Regul. S. Franciſci. cap.* 3. *nu.* 25. Leander *loc. ſupr. q.* 2. Redeingh. *d. num.* 26. Vel licet non poſſit præcipi actus interior ſimpliciter, præcipi tamen poteſt ex ſuppoſitione; quatenùs ex ſuppoſitione quod quis velit fieri Eccleſiaſticus, illum non recipit Eccleſia niſi cum onere dicendi Officium Diuinum eo modo, quo ipſa præcipit, ſeu cum interna attentione, vt Peyrinus *d. q.* 9. *num.* 15. & Baldellus *ibid. num.* 16. Ex quo ſequitur, non ſatisfacere præcepto recitandi Officium, qui voluntaria diſtractione, ſeu nulla attentione illud perſoluit, vt benè Fagnanus *ibid. à num.* 17. *& ſeq. per tot.* Suarez *cit. lib.* 4. *cap.* 26. *num.* 13. Barboſ. ad *d. Cap. Dolentes. num.* 19. *&* 20. Leander *loc. cit.* Siccus vbi *ſupr.* §. *Tunc perfecta*. & *cap.* 2. §. *Nullus tamen*. *verſ. Is enim*. Mallet. *ibid.* Homobonus de Bonis in *Comment. reſolutor. tract.* 4. *q.* 40. Baſſæus *tom.* 1. *verb. Horæ Canonicæ II. num.* 21. Baldellus *d. diſp.* 37. *nu.* 14. Candidus *cit. dubit.* 7. Peyrin. *ead. q.* 9. *num.* 14. Tancred. *dict. tract.* 3. *diſp.* 6. *q.* 2. & *diſp.* 13. *q.* 1. A Politio *cit. cap.* 3. *num.* 27. Redeingh. *ibid.* & quamplures, quos refert, ſequiturque Donatus *Prax. Regular. tom.* 4. *tract.* 18. *q.* 41. & apud Tamburin. *de Iur. Abb. tom.* 2. *diſp.* 10. *quæſit.* 2. *num.* 7. & apud Dianam in *Coordinat. tom.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 47. §. 1.

27 Hinc

27 Hinc eſt, quòd ad effectum conſeruandæ attentionis pluribus in Eccleſijs alios libros in Choro legere prohibitum ſit; ſic enim *de Orat. cap.* 10. *num.* 14. Nauarrus: *Inſtatutis Gallicanis tit. quomodò Offic. ſit dicen., & aliquibus alijs Eccleſijs ſtatutum eſt, quod nemo in Choro, dum canitur Miſſa, aut recitatur hora, legat, aut recitet aliud quicquam præter id, quod canitur, & recitatur*. Et item ſtatutum legitur in 1. *Concil. Prouincial. Mediol. p.* 1. *tit. quomodò verſandum in Choro*; ſicut & in Eccleſia Colonienſi in *Concil. de* 1536. *cap.* 5. vt refert Cornelius Schultingius in *Biblioth. Eccleſ. tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 4. Vnde & noſtræ Conſtitutiones *part.* 4. *cap.* 3. *num.* 1. leui pœna, de qua infrà *num.* 171. eum afficiendum decernunt, qui *in Choro in aliquo libro legerit, quod ad Officium non pertineat, vel in quocumque libro alijs cantantibus ipſe legerit*. Et ratio ea eſt, quam Nauarrus *ibid.* quia *dum recitat, aut legit aliud, non poteſt recitare, aut canere id, ad quod tenetur*; ſcilicet attentè, vt debet. Qua etiam de cauſa eidem pœnæ ſubdunt & eum, *Qui in Choro legendo, vel cantando errorem admiſerit, maximè ſi ſe non proſtrauerit, terramque oſculatus fuerit*, iuxtà morem antiquorum Monachorum, de quo Edmundus Martene in *not. ad cap.* 45. *Regul. S. Benedicti*, vbi variæ pro erroribus in Choro pœnæ; ſicut & illum, *qui in Eccleſia, vel Choro ſtrepitum fecerit*, qui *lectionem in Choro legendam non præuiderit*, qui *in Choro dormitauerit*. Quæ omnia, ſicut ad attentionem in Officij recitatione ordinata dignoſcuntur, ità hanc ſpecialiter à Conſtitutionibus intentam oſtendunt.

28 Non eſt tamen neceſſe, quòd hæc attentio ſit ſemper actualis, & ſemper duret quoad actum, cum hoc poſſibile non ſit ob mentis humanæ inconſtantiam, & euagationem, vt fatentur Petrus de Palude in 4. *Sentent. diſt.* 15. *q.* 5. S. Antoninus *3. p. ſumm. tit.* 13. *cap.* 4. §. 8. & Sylueſter *verb. Hora Canonica num.* 15. ſed ſufficit, quod duret ſecundùm virtutem; & taliter manet, & durat quando quis ad Officium accedit cum intentione Deo debitum obſequium reddendi, etiamſi in proſecutione Officij mens ad alia rapiatur, niſi tanta ſit euagatio, vt omninò depereat vis primæ intentionis; & ideò oportet, vt frequenter homo cor reuocet ad ſe ipſum iuxtà D. Thom. 4. *Sent. diſt.* 15. *q.* 4. *art.* 2. docentque Suarez *d. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 6. & 7. Baldell. *cit. diſp.* 37. *num.* 13. Pax Iordan. *tom.* 2. *lib.* 10. *tit.* 39. *num.* 24. Tancred. *d. diſp.* 2. *q.* 5. *num.* 16. Baſſæus *ibid. num.* 22. Leander *eod. tract.* 8. *q.* 8. & communiter DD.

29 Quod idem dicendum de deuotione, quæ pariter præcipitur in *cit. Cap. Dolentes*, & notat Fagnan. *ibid. num.* 39. Suarez *d. lib.* 4. *cap.* 14. *nu.* 4. Sanchez *Conſil. lib.* 7. *dub.* 29. Leander *ibid. q.* 29. quod ſcilicet non exigatur, vt ſit ſemper actualis, ſed ſufficiat virtualis per Sanchez *ibid.* Peyrin. *d. cap.* 4. §. 12. *q.* 9. *num.* 16. Vbi idem eſſe, deuotè recitare, ac propoſitum habere attentè recitandi, vt Sanchez *d. q.* 29. *num.* 3. Leander *q.* 31.

adeò-

adeòque eo ipſo quem peccare non recitando deuotè, quoties non attentè; ſicut & præceptum implere circa deuotionem, quando implet illud attentionis, vt vult Peyrin. *d. num.* 16. non quia vna formaliter ab altera non diſtinguatur, ſed quia vna comes eſt alterius.

30 Sicut neceſſe non eſt, quod hæc attentio habeatur per aduertentiam ad ſenſum verborum, aut conſiderationem Dei: ſed ſufficit, quod vel ſit ad verba ipſa, ne error committatur, aut omnia benè proferantur, vt Suarez *d. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 8. Filliucius *tract.* 23. *cap.* 2 *q.* 2. *dict.* 3. *nu.* 74. Trullench. *lib.* 1. *Decalog. cap.* 7. *dub.* 10. *num.* 7. & *dub.* 17. *num.* 4. & 5. Palaus *tom.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 2. *punct.* 3. *num.* 4. Homobonus de Bonis *d. q.* 40. & cum multis Bernardus Biſſus *verb. Attentio* . §. 2, & omnes, qui dicunt vnam ex illis tribus ſufficere, inter quos Peyrin. *ibid. nu.* 9. Donat. *d. q.* 41. *num.* 7. Tancredus *lib.* 3. *diſp.* 2. *q.* 3. *num.* 8. & eſt communiſſimus DD. ſenſus. Vel etiam per aliquam piam ex. gr. Chriſti paſſionis meditationem, vt cum pluribus Leander *ibid. q.* 12. Barboſ. ad *Cap. Dolentes. De celebrat. Miſſ. num.* 19. & 21. & Seruatius Lairuelz in *Optic. Regul. ſpec.* 59. *inſtruct.* 6. & etiam per conſcientiæ examinationem per Redeingh. *loc. ſupr. num.* 23.

31 Addenda eſt his intentio, ſeu & ipſam requiri ad Officij recitationem per Suarez *d. lib.* 4. *cap.* 26. Trullench. *d. cap.* 7. *dub.* 17. *num.* 1., alioſque plures, quos adducunt, ſequunturque Leander *eod. tract.* 8. *diſp.* 4. *q.* 32. & *part.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 1. *q.* 81. Gobat. *Theol. experim. tract.* 5. *num.* 740. & *ſeq.* ſed ſufficere virtualem, Suarez *ibid. & de Orat. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 6. Trullench. *cit. cap.* 7. *dub.* 10. *num.* 5. & *dub.* 17. *num.* 3. Baldell. *tom.* 2. *lib.* 3. *diſp.* 37. *num.* 1. Palaus *ead. diſp.* 2. *punct.* 3. *num.* 5. Peyrin. ad *dict. cap.* 4. §. 12. *Regul. Minim. q.* 9. *nu.* 11. Gobat. *ibid. num.* 762. quæ eſt illa, quæ remanet a præexiſtente actuali intentione ſoluendi Officium, etſi, quando ſoluo, non id actu intendam. Suarez *d. cap.* 3. *num.* 6. & *cit. cap.* 26. *num.* 6. Peyrin. & Gobat. *ibid.* qui ſubdit: *Porrò ne dubites, quin præceſſerit hæc intentio, ſi cæpiſti orare, vt ſatisfaceres quam optimè tuo officio.* Vnde ſequitur requiri, quod præceſſerit hæc actualis intentio, & non ſufficiat, vt admittunt Nauarr. *de orat. cap.* 13. *num.* 16. & Leander *d. diſp.* 4. *q.* 33. & 34. quod ſi quis interrogetur, cur acceperit Breuiarium, reſpondeat, ſe id facere ad recitandum, quia id potius habitualem, quam virtualem intentionem importat, vt Suarez *d. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 6. & Gobat *ibid. num.* 374. *fin.*

32 Quæ omnia aduertendum eſt habere locum non ſolùm in communi recitatione, & in Choro: ſed & in priuata, & extra Chorum; Licet enim Conſtitutiones videantur hic aliquibus loqui de Chorali officij recitatione: *Officium Diuinum tam diurnum, quàm nocturnum à Fratribus in Eccleſia, vel Choro celebretur.* & item *Cap. Dolentes. de celebrat. Miſſ.* à quo attentionem,

nem; & deuotionem præceptas vidimus, loquatur apertè de recitatione communi, & in Choro; ad eamdem nihilominùs attentionem, atque deuotionem teneri & Officium priuatim recitantes declarat Suarez *d. lib.* 4. *cap.* 26. *num.* 13. quia etiam præciſo præcepto *d. Cap. Dolentes*. ex ſui natura Officij recitatio eſt Oratio, quæ oratio non eſt ſine attentione, vt iam vidimus; adeòque præcepta oratione, ſeu officij recitatione, præcepta vtique intelligitur & attentio, præter alia, quæ *ibi* Suarez. Præterquamquod Conſtitutiones, ſi benè perpendantur, non eas conditiones limitant ad recitationem in Choro: ſed eas requirunt ad recitationem Officij, ad quam tenentur Fratres indefinitè, ſeu in omni recitatione, vel communi, vel priuata, ſiue habeatur in Eccleſia, ſiue in Choro, vt infrà *num.* 50.

33 Quo verò ad deuotionem exteriorem, quæ pariter in Officij recitatione requiritur, & non obſcurè importatur in verbis *cum ſumma veneratione*, quæ reuerentiam, & corporalem compoſitionem ſignificare diximus; etſi in iure non deſcribatur, qualis eſſe debeat, cum ſolum aliqua prohibeantur, vt fabulationes, ſermoneſque profani in *d. Cap. Dolentes*. & alia quædam in *Clementin. tit. eod. de celebrat. Miſſ. Cap. Graui*; talis tamen eſſe debet, vt quoad recitantes, *animum componat, & excitet ad deuotionem, & compunctionem*; & quoad circumſtantes, *vt alios non perturbet*. Suarez *d. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 16. ſeu, vt Tancredus *de Virt. Relig. tract.* 3. *lib.* 3. *diſp.* 4. *num.* 7. talis, vt *Deo reuerentiam debitam exhibeat in voce, & geſtu corporis, & habitu animum noſtrum componat, & circumſtantes non ſcandalizet.* Et tunc adeſſe dicetur, quando ea fiant, ad quæ ex *d.* 1. *Concil. Prouinc. Mediol. p.* 1. *tit. quomodo verſandum in Choro*, monet Peyrinus ad *d. cap.* 4. §. 12. *q.* 8. hoc eſt *omnes vno & eodem tempore, vno & eodem modo ſedeant, ſurgant, genuflectant, inclinent, erigant, caput aperiant, diſcooperiant,* vno verbo *cæremoniæ ſint vniformes vno tempore, eodemque modo editæ*, perfectèque obſeruentur; & ea impleantur, quæ in noſtro Ceremoniali Eccleſ. *lib.* 2. *cap.* 1. ſic ad rem præſentem præſcribuntur. *Maxima cum modeſtia interiùs, & exteriùs, oculis non hinc inde reſpicientibus, ſed demiſſis, vel clauſis, aut ad librum intentis; manibus intrà manicas, cum librum non tenent, continuò aſſiſtant, ne ſua immodeſtia collateralium orationem impediant. Nullus tamquàm otioſus oſcitet, & multò minus dormitet, nec pedem ſuper pedem teneat; neque, dum aliqui ſedent, aut detecto ſunt capite, ſtet, aut caputium teneat, vel è contrà.* Et iterùm; *Summum ſilentium in Choro die, noctuque obſeruetur; hinc emungere nares, excreare, & expuere non debent, niſi rarò, modeſtè, & quietè. Ab omni ſtrepitu penitus abſtineant, præcipuè dum ſingulariter ab vno, vel duobus aliquid canitur, vel recitatur,*

34 Vnde, vt quid ſentio proferam, in Choro tabbaccum ſumere, ſaltem dum recitatur Officium, illicitum mihi videtur. Quamuis enim cum Diana

na in *Coordinat. tom. 2. tract. 1. reſol.* 122. admittatur, illud in Eccleſia; & atrijs extra Diæceſim Hiſpalenſem ſumere, peccatum mortale non eſſe, vt aliàs tenet Paſqualigus in *Centur. 2. q.* 175. negari tamen non poteſt, actum profanum eſſe, indecentem, inhoneſtum, ac irreuerentem, & ſcandaloſum; cum omnibus his de cauſis illud in Eccleſijs, & earum ambitu dictar. Ciuitatis, & Diæceſis Hiſpalen. ſumere ſub pæna excommunicationis prohibuerit Vrbanus VIII. in incipien. *Cum Eccleſiæ.* ſub 30. Ianuar. 1613. ibi: *Nos, quibus cunctarum per Orbem vniuerſum Eccleſiarum cura à Deo commiſſa eſt, inuigilare conuenit, vt ab eiſdem Ecclesijs quicumque actus profani, & indecentes procul arceantur.* Et iterùm: *Vt vtriuſque ſexus perſonæ, ac etiam Sacerdotes, & Clerici tam ſæculares, quàm Regulares Clericalis honeſtatis immemores illud ſumere &c. magno cum proborum ſcandalo, rerumque ſacrarum irreuerentia. Hinc eſt, quod Nos, vt abuſus tam ſcendaloſus ab Ecclesijs huiuſmodi eliminetur &c.* Vnde ſic arguit *ibid. num. 3.* Paſqualigus. *Ergò ſumptio tabbacchi in Eccleſia ex declaratione Pontificis eſt actio ſcandaloſa, & irreuerentialis*; Sicut & Cardinalis de Lugo in *Reſponſ. moral. dub. 9. num. 6. fin.* per hæc verba: *Monerem tamen, ne id in Eccleſia, vel eius ambitu fiat; cum propter reuerentiam illorum locorum Sanctiſs. D. N. Vrbanus VIII. in Diæceſi Hiſpalenſi prohibuerit, vt vidimus: quæ prohibitio, licet ad alias Prouincias non extendatur, ſupponit tamen ſine irreuerentia aliqua loci ſacri id fieri non poſſe*; eadem enim ratio eſt de Eccleſia, & Choro, cum & ipſe domus Dei, quin & pars Eccleſiæ vt obſeruat Peyrin. *in Regul. Minim. cap. 8. §. 36. q. 2. nu. 4.* & in terminis præfatæ prohibitionis Vrbanæ, Ioannes Baptiſta Neri in *Opuſcul. de Iudice S. Inquiſitionis cap. 26. q. 1. dict. 3.* vbi prò Choro non intelligit ſolùm inferiorem, & iuxtà Altare, ſed & Chorum ſuperiorem; *cum ſit infrà tectum Eccleſiæ, & quicumque Chorus ſit deputatus ad Diuinas laudes decantandas, & non ad excitanda corporis excrementa.* Hæc ille. Nec capere valeo, quomodò tabbaci ſumptio deuotionem, & attentionem promouere poſſit in Choro; quando, ſi qui inter ſtudendum, dum tabbaco vtuntur, cur ſumant, interrogentur, communis eſt reſponſio: ad diuertendum ſumo. Saltem cum excreatus, ſputa, tuſſis, naſi ſibilus, oriſque ſtrepitus tabbaci vſum comitentur, cum externa in noſtro Ceremoniali, vt vidimus, præſcripta deuotione nullatenùs certè poteſt concordare.

35 Sed vt dicta meliùs perpendantur, hæc addo ex laudato Io. Baptiſta Neri *d. cap. 26. q. 6.* vbi ſic: Quæres ſextò. Si aliquis Regularium Conuentus haberet Chorum, vbi Religioſi ſolitum habent perſoluendi nocturnum Officium, qui Chorus non haberet communem murum cum Eccleſia, ſed inter Eccleſiam, & ipſum Chorum interlocetur lata quædam alia nauis Eccleſiæ, an in iſto Choro, tempore, quo cantatur nocturnum officium, ſumentes tabbaccum, peccatum mortale committere dicantur? Duo dicerem, ſalua ſemper Superiorum cenſura: Primum eſt, quod ſi perturbaren-

barentur cantantes Diuinum Officium, & ſumentes commouerentur ad expellenda corporis, & capitis excrementa, cum maxima perturbatione Diuini Officij, præſertim inordinatè, hoc eſt multoties, tabbaccum ſumentes peccant mortaliter; & ratio eſt, quia ſunt grauis incommodi moralis; nam ſinguli ex hypotheſi perturbarentur, & ità graui ſubiaceret incommodo Diuinum Officium. Et iterùm *q.* 12. vbi ſic: Cum aliquis obligatus ad recitandum Canonicum Officium in actuali recitatione priuata ſi vtatur tabbacco, an peccet mortaliter? Præmitto prò reſponſione, quod iuxtà probabiliorem ſententiam iſte talis teneretur recitare Diuinum Officium cum interiori attentione ſub pæna culpæ capitalis, cum hæc recitatio ſit abſque dubio oratio, ad quam eſſentialiter attineat attentio, vt grauiſſimi ſentiunt Theologi, de qua doctrina alibi erit ſermo. Hoc præmiſſo: Dicerem primò, quod ſi ſemel vtatur tabbacco, cum ſe periculo exponat ad perdendam attentionem per parum temporis, peccatum erit veniale; & eius doctrinæ ratio eſt, nam excuſaretur à paruitate amiſſionis attentionis debitæ ad recitandum Officium Diuinum à peccato mortali. Dicerem ſecundò: Quod ſi pluries vtatur tabbacco, maximè cum narium ſtrepitu in ſumptione, non excuſarem à peccato mortali; & ratio eſt, nam moraliter loquendo videtur eſſe impoſſibile, vt debitam habeat interiorem attentionem iſte talis in recitandis horis Canonicis; Experto credendum eſt. Hæc ille.

36 Hæc item addo ex Thoma Hurtad. *Reſol. moral. tract.* 11. *cap. vltim. num.* 391. vbi ſic: Etiam poterit prohiberi, ne Clerici, (etiamſi Sacerdotes non ſint) dum Choro adſunt, vel ſacris induti ſunt ad miniſtrandum ſolemniter, illum ſumant, argumento ex *Cap. Dolentes. de celebrat. Miſſar.* ob reuerentiam loci, in quo ſunt, & quò pergunt, & ob deuotionem, & attentionem debitam tali actioni. Et iterùm *nu.* 399. Si autem Clemens V. in *Clementin. vnica de Vit. & honeſt. Clericor.* quæ confirmata fuit à Sacro Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. & a Sixto V. in quadam Bulla, quæ eſt. 96. & incipit: *Cum ſacroſanctum*. 5. Ianuar. 1586. prohibet, ne Clerici caligas ex ſerico viridis coloris, vel alterius indecentis portent, quod obligat ad mortale, vt dico in Controuerſia *de obligationibus Miniſtrorum Altaris. membr.* 1. §. 4. Multò melius conſuetudo vitioſa ſumendi tabbaccum poterit Clericis prohiberi, de quibus optimè dici poſſunt Concilij verba: *Tanta* aliquorum hodiè inualuit temeritas, Religioniſque contemptus, vt propriam dignitatem, & honorem Clericalem paruipendentes, per plateas, & loca publica tabbaccum ſumptitare non deſinant: res prorsùs ſtatui diſſona, & perſonis Eccleſiaſticis aduerſa, quos omnis nitor, munditia, puritas, & decentia decet, quibus omnis tabbaccus in puluere, folioque ſumptus contrarius omninò eſt. Hæc Hurtadus. Ex quibus inferri poteſt, quid de ſumptione tabbacci in Choro dicendum.

# SECTIO QVARTA.

## *De Officio ſine nota perſoluendo iuxtà antiquum Cleri, & Monachorum ritum, & S. P. Auguſtini mentem; vbi de Harmonici cantus origine; & quæ in cantu obſeruanda.*

37 DE hac re plura in Quodlibet. Regular. *Quodlib. 5. dub.* 10. diximus, & quæ ſufficerent ad oſtendendùm hunc ſine nota pſallendi ritum, quem hic Conſtitutiones Apoſtolicæ ſic præſcribunt, *ſine nota tamen*, S. Patris Auguſtini menti quadrare, & genio. Pauca nunc tantùm, & prò huius legis notitia. Et ſimplicem cantum demandari conijcio primò, quia talis & erat primitiuæ Eccleſiæ, ac etiam priſcorum Monachorum canendi forma. Et quoad Eccleſiam, docent clarè S. Iſidorus *de Eccleſ. offic. lib. 1. cap. 5.* & ex illo Rabanus Maurus *de Inſtit. Cleric. lib. 2. cap.* 48. ſic: *Primitiua Eccleſia ità pſallebat, vt modico flexu vocis faceret pſallentem reſonare; ità vt pronuntianti vicinior eſſet, quàm canenti; Propter carnales in Eccleſia, non propter ſpirituales conſuetudo canendi eſt inſtituta; vt, quia verbis non compunguntur, ſuauitate modulaminis moueantur.* Et non iam per paucos dies, aut annos, ſed per tria ſæcula, vt præter Nicephorum (de quo mox) Edmundus Martene in ſuo & ſtudioſè elaborato opere de *Antiquor. Monachor. Ritibus. lib. 1. cap. 2. num.* 50. ibi: *Conſtat primis Eccleſiæ ſæculis pſalmos ità modico vocis flexu decantatos fuiſſe, vt pronuntianti vicinior eſſet pſallens; quàm canenti: ſed refrigeſcente poſtmodùm charitate, ad excitandam Chriſtianam fidem, & deuotionem, cum ſuaui vocis modulatione diuina celebrari cœperunt officia.* Qui mos pariter obſeruabatur in Eccleſia Alexandrina ſub Athanaſio, teſte S.P. Auguſtino *Confeſſ. lib.* 10. *cap.* 33. ibi: *Tutius quidem mihi videtur, quod de Alexandrino Epiſcopo Athanaſio ſæpè mihi dictum commemini, quia tam modico flexu vocis faciebat ſonare lectorem pſalmi, vt pronuntianti vicinior eſſet, quàm canenti*; ſicut & Claudio Eſpencæo, qui in *Epiſt.* 1. *ad Timoth. lib.* 1. *digreſſion. cap.* 10. ſic habet: *Pſalmos certè à Diaconis recitari, hoc eſt, legi magis, quàm cantari conſuetos, nos anteà docuit Athanaſij exemplum*; & fortè, vt infra videbimus, etiam in Eccleſia Mediolanenſi.

38 Et talem re vera fuiſſe, ex prælibatis Sanctorum Auguſtini, & Iſidori verbis admittunt Thomas Vualdenſis *tom. 3. tit. 2. cap.* 18. *num.* 14. *fin.* Cornelius Schultingius *Biblioth. Eccleſ. tom.* 1. *cap.* 25. Gauantus ad *Rubric. Breuiar. ſect. 5. cap. 8. nu.* 14. Franciſcus M. Maggius de *Sacr. Cerem.*

*opuſc.* 1. *diſquiſ.* 25. Petrus Marchant. in *Tribunal. Sacram. tract.* 2. *part.* 2. *tit.* 3. *ſect.* 1. *q.* 2. *dub.* 5. *reſpon. ad.* 3. Peyrin. in *Regul. Minim. cap.* 4. §. 12. *q.* 6. Caracciolus in *Synopſ. vet. Relig. Rit. part.* 1. *not. ad cap.* 1. §. 13. Carolus Dufreſne in ſuo *Gloſſar. latinit. verb. Cantus.* & Ludouicus Thomaſſinus de *Vet. & nou. Eccleſ. Diſcipl. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 71. *num.* 3. & 4. vbi ſic ex Iuſtino Martyre idem colligere videtur: *Iuſtinus Martyr de Pſalmod. Eccleſiaſtica Horarum Canonicarum ſiluit in Apologia ſecunda, vbi Dominicam Synaxim deſcripſit; eamque, quæ tunc celebrabatur, Miſſam, in qua & legi ſolitas ſcripturas, & multas preces Deo fundi. Quamquàm poſſet contendere non immeritò quis & in his precibus, & in illis ſcripturarum lectionibus Pſalmos comprehendi, qui recitarentur, aut etiam leuiſſimo vocis flexu canerentur.* Et iterùm *cap.* 76. *num.* 1. dum recitatis ſuprapoſitis S. Iſidori verbis, *Primitiua Eccleſia &c.* probabile & ipſe putat, talem re vera fuiſſe in tota Eccleſia antiquum pſallendi morem, dicens: *Quod de Alexandrina dixit Auguſtinus, hoc de primitiua Eccleſia tota Iſidorus intelligit; atque id ità fuiſſe, mihi probabile eſt.*

39 Sed clariùs huius ſimplicis Pſalmodiæ ritus dignoſcitur ex origine cantus melodici, quam tangit Theodoretus *lib.* 4. *hiſt. cap.* 29. refert Sozomenus *Hiſt. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 15. & Nicephorus *Hiſt. lib.* 9. *cap.* 16. fuſiùs ſic deſcribit: *Cum iam per tria à Chriſto nato ſæcula ſimplex cantus, ſiue potius recitatio nullo modulationis fuco permixta Chriſti populos nutriuiſſet. Eccè tibi Harmonius quidam Bardeſani hæreſiarchæ hæreticus filius, mali corui malum ouum, cum ſua praua dogmata muſicis numeris includeret, & multi ex Syris propter verborum venuſtatem, & ſonoram ſuauitatem demulſi paulatim hæreſes imbiberent, B. Ephrem ea re cognita, carmina catholicam fidem reſonantia veneficis Harmonij verſibus oppoſuit, clauo ſcilicet clauum tundens. Ea itaque ſuaui vocum, ſonorumque flexu accommodata Syris audienda præbuit, & canenda.* Hæc ex Nicephoro, Martene *loc. cit.* Verùm in Nicephoro hæc tantùm lego: *Alij inſuper apud Oſroenos fuere eodem præclari modo Bardeſanes, & filius eius Harmonius. Et pater quidem nominis ſui hæreſim inſtituit; filius autem Græcis diſciplinis ſatis eruditus patris vocibus legitimis modis, muſicisque numeris incluſis ordine circulari in Choro eas cani inſtituit, quos ex eo tempore huc uſque Syri pſallentes vſurpant. Nam ille ad paternam delapſus hæreſim, eademque cum Græcis de animæ generatione, & corporis interitu, & non de futura regeneratione opinatus, lyricis modulis doctrinas huiuſmodi aſperſit. Quibus multi ex Syris propter verborum venuſtatem, & ſonorum numeros demulſi, paulatim opinionibus talibus recipiendis ſunt aſſuefacti. Cæterùm D. Ephraim ea re cognita, quamuis Græcarum artium expers Harmonij numeros moderatus eſt, atque eiuſdem modulis, carminibus eccleſiaſticæ ſententiæ conſonis, adiectis, Syris ad hoc vſque tempus ea canenda dedit. Nam diuinos hymnos plurimos, quibus Deum in primis celebrat, & laudes præterea virorum, qui inſtituto Deo pla-*

*placuere, cauit, ad Harmonij carminum leges compoſuit: à quibus, vt equidem puto, per æmulationis ardorem poſteriores Eccleſiæ cantores modulorum formas mutuati, magis etiam, atque magis augere, atque propagare eas aggreſſi ſunt.* Ex quibus nihilominùs vltimis verbis modulati Eccleſiaſtici cantus origo dignoſcitur. *Ex his habemus* ( verba ſunt Antonij Monchiaceni Democharis aduerſ. Miſſoliturgos *lib.4.cap. 12.pag.37. litt. G.*) *à quo primùm formæ modulandi, ac canendi harmonicè principium acceperunt, nempè ab Ephrem diuinitùs inſpirato*: quod infert & Franciſcus Biuarius *de Veter. Monach. tom. 2.lib.5.cap.2.§.2.num.18.* & Martene *loc.cit.* dum ſubdit, *hinc cum ſuaui vocis modulatione diuina celebrari cæperunt officia*, & nouiſſimè Iacobus Pignatellus in *tom.4. conſult. Canonic. conſ.41.* ſic ſcribens: *Sanctiora namque ea Apoſtolorum tempora, & quæ ſucceſſere proximè ſacula nullos habuiſſe iſtiuſmodi ad lyram concentus, nullis non litteris conſtat. Inuecti ſubindè fuere, cum ijs vſi aurium lænocinijs hæretici inſtillare per ea vocum frequentamenta in piorum animos luem occæpere. Opponenda ſiquidem, vt lib. 9. cap. 16. Nicephorus ſuis in hiſtorijs adnotauit, cantica canticis, cytharæque cytharis veluti pila minantia pilis, fuere, inductique expugnandis nouatorum artibus chori caſtrorum. Idem tradit Theodoretus lib. 1. Hiſt.* Ex quo rursùs ſequitur, huiuſmodi modulatum cantum ante S. Ephrem à Diuinis Officijs abfuiſſe, & ſolam ſimplicem pſalmodiam viguiſſe.

40 Facit item adhoc, quod ab initio Diuinum Officium ( ſunt verba Radulphi Tungrenſis *lib. de Canon. obſerua. propoſ. 12.*) omnimodò conſtitutum erat in Pſalmis, abſque hoc quod aliqua cantarentur &c. Miſſæ autem in Eccleſia Dei primitùs fiebant cum lectionibus vtriuſque Teſtamenti, & Euangelio abſque cantu; ad quas Cæleſtinus Papa pſalmos, ſicut ad alia officia decantari inſtituit &c. Tamen ex hoc vniuerſaliter in Eccleſiam Dei non fuit introductus: ſed poſtmodùm tempore Theodoſij iunioris, ſicut in vita B. Ambroſij legitur, in Eccleſia Mediolanenſi Cantus, & hymni cæperunt frequentari, & tempore ſucceſſiuo à B. Ambroſio apud Latinos & ad Miſſam, & ad alias horas diuinas cantus publicus cum hymnis metricis eſt introductus. Hæc ille. Facit inſuper, quod cum *creſcente Eccleſia* ( verba ſunt Vualdenſis *d. cap. 18. num. 1.*) *creuerit & cantus ad laudem Dei in triplici ſpecie ſua*; & hinc fortè abſurda quædam ſuborta; ad ea tollenda ſimplex canendi modus reaſſumptus fuerit; vt ex his Auctoris Reſponſionum ad Orthodoxos, præfato S. Iuſtino, vt notant Bellarminus de *Scriptor. Eccleſ.* & Sixtus Senenſis in *Biblioth. verb. Iuſtinus.* falsò adſcriptarum *q.107.* verbis: *Quo circà in Eccleſijs non vſus carminum per eius generis inſtrumenta, & alta inſipientibus congruentia receptus, ſed ſimplex cantio in eis manet*, colligit Cornelius Schultingius *ibid. cap. 20.* & veluti antiqua canendi conſuetudo reſtituta.

41 Quo verò ad Monachos habetur à Caſſiano, qui *lib. 2. Inſtit. cap. 5.*

huiuſ-

huiuſmodi cantum eos ab Angelo edoctos deſcribit: *Vnus* (quem Angelum crediderunt) *in medium pſalmos Domino cantaturus exurgit. Cumque ſedentibus cunctis, & in ſpallentis verba omni cordis intentione defixis, vndecim pſalmos orationum interiectione diſtinctos contiguis verſibus, parili pronunciatione cantaſſet &c. ab vniuerſorum oculis repentè ſubtractus, quæſtioni pariter & cerimonijs finem impoſuit;* per parilem namque pronunciationem non certè cantus ille venit, qui eleuationem, & imminutionem importat; ſed qui voce ſemper pari pronunciationi magis, quàm cantui vicinior eſt, vt obſeruat Peyrin. in *d. cap. 4. Regul. q. 6. notab. 2.* Et ità ab ijſdem obſeruatum, vt Caſſianus ipſe *ibid. cap. 4.* ſic ſcripſerit: *Qui modus antiquitùs conſtitutus idcircò per tot ſæcula penes cuncta illarum Prouinciarum Monaſteria intemeratus nunc vſque perdurat, quia non humana adinuentione ſtatutus à ſenioribus affirmatur, ſed cælitùs Angeli magiſterio patribus fuiſſe delatus;* cum enim loquatur de cantu, quem Angelus eos docuerat, vt ſtatim proſequitur enarrare Caſſianus, & notat Chriſtianus Lupus in Concil. *tom. 5. pag. 46.* benè dignoſcitur, hunc cantum cum parili pronunciatione apud Monachos tanto tempore vſitatum.

42 Nec dictis obſtat, quod ſæpè, ac ſæpiùs qui de Clericorum, Monachorumque antiqua pſalmodia ſcripſerunt, *canendi* verbo vſi fuerint, quaſi modulatum eorum cantum etiam prò tunc inſinuare voluerint; quia voces iſtæ *Cantus*, & *Cantare* ex vſu ſupponunt prò recitatione, vt ad verba illa S. P. Auguſt. *ſerm. 251. de Temp.* ibi: *Conqueri vobiſcum volo, quia ſunt aliqui, & maximè potentes iſtius mundi, qui, cum veniunt ad Eccleſiam, non ſunt deuoti ad laudes Dei celebrandas, ſed cogunt Presbyterum, vt abbreuiet Miſſam, & ad eorum libitum cantet,* obſeruat Lorinus in *præfat. ad pſalm. cap. 14.* vbi & ſubdit: *Hoc tempore Galli cantare Miſſam dicunt quomodolibet celebretur, etiam ſine cantu;* & pluribus probant, & exornant Stephanus Baluzius *tom. 2. Capitular. col. 1168. verb. Miſſam cantare.* Mabillon. in *Liturg. Gallican. Diſquiſit. de Curſu Gallicano. nu. 40. 46. 65. & 66.* & Martene *d. cap. 2. num. 52.* oſtendentes & priuatam recitationem, quæ certè pronunciatione, & non cantu completur, hac voce *cantare* explicatam; & in ſpecie loquendo de Scriptoribus antiquis Ioſeph Vicecomes de *Miſſæ Ritib. lib. 5. cap. 7. fin.* per hæc verba: *Verùm hic mihi quis obijciet,* Miſſæ cantandæ *vſum videri in Chriſtianæ Reipublicæ incunabulis receptiſſimum fuiſſe, quia Scriptores plurimi ſuppares eorum temporum* Miſſam cantare *dixerunt.* Cui ità reſponſum volo, *cantandi* vocem prò *dicendi* verbo vſurpatam eſſe, ità vt nihil aliud fuerit *Miſſam cantare*, quam *Miſſam celebrare*; quod ſenſit & Gauantus infrà *num. 112.*

43 Saltem huiuſmodi ſimplicem cantum Monaſticam ſimplicitatem magis decere habemus ab ipſo Martene, qui *cit. cap. 2. num. 51.* de antiquorum Monachorum cantu loquens, ſic habet: *Nonnullis tamen magis*

*placuit*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*placuit ſola pſalmorum recitatio, tamquàm Monaſticæ ſimplicitati magis conueniens*. Qua fortè de cauſa nec S. Benedictus eum excluſit, ſed licet vna cum cantu modulato admiſit, vt habent Hæftenus *diſquiſit. Monaſt. lib. 7. tract. 4. diſq. 3.* & Martene *eod. cap. 2. num. 53.*

44 Conjicio ſecundò, hunc ſimplicem cantum nobis demandari, quia S. P. Auguſtini menti magis conformis fuit; vt ex eius *Confeſſ. lib. 10. cap. 33.* ſupra adductis verbis, *Tutius mihi videtur &c.* & ex his etiam: *Et cum mihi accidit, vt me ampliùs cantus, quàm res, quæ canitur, moneat, pænaliter me peccare confiteor, & mallem tunc non audire cantantem*, apparere in *Quodlib. Regular. à num. 36. & ſeq.* cum Caracciolo, Maggio, Hæfteno, & Mabillone oſtendimus. Quibus addendi Valafridus Strabo *lib. de Reb. Eccleſ. cap. 12.* Claudius Eſpencæus in *Epiſt. 1. ad Timoth. lib. 1. Digreſſion. cap. 9.* & Antonius Bellotta de *Ritib. Eccleſ. Laudunen. obſeruat. 16. pag. 67. num. 8.* omnes enim S. Patris mentem benè declarant. Ille quidem ſic: *Cumque omne genus laudationis diuinæ ſecundùm rationem exhibitæ ſit laudandum, illud probabilius eſt dicendum, quod habuerit vanitatis, & iactantiæ minimum. Lege libros Confeſſionum S. Auguſtini, & inuenies quantum ille iudicauerit eſſe periculi in cantilenarum cum melodia dulcedine.* Alter verò ſic: *Pſalterium ſuaui, liquida, artificioſa, & conuenientiſſima modulatione olim iam cantaretur, vt Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 33. lachrymarum, quas ad Eccleſiæ cantum fuderat, memor magnam inſtituti huius vtilitatem agnoſceret; tutius tamen ſibi viſum non diſſimulat, quod D. Athanaſius modico inflexu faciebat ſonare lectorem pſalmi, vt pronuncianti vicinior eſſet, quàm canenti.* Et tertius: *Quamobrem illud de cantu obſeruari olim certiſſimum eſſe, nec muſicas, nec modulos, nec organa, veteres Eccleſiaſticos ea maximè pompa, qua nunc vtimur, adhibuiſſe; nec etiam vt plurimùm approbaſſe, ſicut ex ſola S. Auguſtini ſententia facilè colligi poteſt, quam in Confeſſionibus ſuis profert his verbis: Vt omne melos cantilenarum ſuauium, quibus Dauidicum pſalterium frequentatur, ab auribus meis reuocare velim, atque ipſius Eccleſiæ: tutiuſque mihi videtur, quod de Alexandrino &c.* Cum namque S. Pater de cantu non organico, ſed tantùm de modulato locutus fuerit, hic certè cantus eſt ille, quem S. Auguſtinus in ſenſu Bellottæ ſaltem non abſolutè approbauit.

45 Quod ſi ſtatim ſubdidit: *Verumtamen, cum reminiſcor lachrymarum mearum, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ in primordijs recuperatæ fidei meæ, & nunc ipſe commoueor non cantu, ſed rebus, quæ cantantur quum liquida voce, & conuenientiſſima modulatione cantantur, magnam inſtituti huius vtilitatem rursùs agnoſco: Ità fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum ſalubritatis, magiſque adducor, non quidem irretractabilem ſententiam proferens, cantandi conſuetudinem approbare in Eccleſia, vt per oblectamenta aurium animus in affectum pietatis aſſurgat;* non hoc ad mentis mutationem

dixit,

dixit, cum ex praxi ſuæ Eccleſiæ, in qua cantus Alexandrinæ Eccleſiæ cantui conſimilis obſeruabatur, & ob quod illum irridebant Donatiſtæ (vt *dd. Quodlib. Regul. num.* 438. *&* 439. videre eſt) ſed ea addidit, ne introductæ in Eccleſiam conſuetudini cantus melodici aduerſari videretur; & quoniam ipſe ex eo animi teneritudinem fuerat expertus, hac de cauſa illum approbauit, ſeu permittendum cenſuit, *vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis exurgat*; vt notant S. Iſidorus *d. cap.* 5. Rabanus Maurus *cit. cap.* 48. Thomas Valdenſis *eod. cap.* 18 *num.* 14. *pag.* 42. *col.* 3. *princip.* Caracciolus ad *d. cap.* 1. *num.* 13. Io: Bapt. Rubeus in *nou. Rational. lib.* 3 *cap.* 34. & Franciſcus M. Maggius de *Sacr. Cerem. opuſc.* 1. *diſqu.* 27. *num.* 153. numquàm verò quatenùs quantum ex ſe illum vellet, & intenderet, vt idem Valdenſis *ibid. col.* 2. *propè fin.* clarè ſic explicat: *Et quamuis ſtatim ſubdat* (Auguſtinus) *accidiſſe ſibi, vnde mallet non audire cantantem, parcit tamen cantui SIBI NON PLACITO, propter infirmos.* Vnde *cap.* 18. *pag.* 43. *col.* 3. *in princip.* hunc cantum ab Auguſtino prò infirmioribus ad deuotionem excitandis permiſſum, in Monaſterijs non eſſe opportunum, per hæc verba concludit: *Maximè autem in Monaſterijs, & cum viris religioſis delicatos cantus cum triplis, & quadruplis reſonantes non exiſtimem opportunos, quia infirmi non ſunt, aut eſſe non debent, propter quos ſolos cantus prouidentur dulcis ſoni*; vt huc vſque vidimus.

46 His ergò de cauſis cantus ſimplex, ſeu ſine nota nobis præſcribitur Conſtitutionibus, vt eam omittam, quam prò ſua Religione adducunt Minores Reformati (qui ex ſuis ſtatutis planè, & ſine nota Officium Diuinum perſoluere debent) vt videre eſt apud Rouſſerium de *Stat. & orig. Ordin. S. Franciſci cap.* 3. *q.* 5. ſimilem illi, quam prò ſua *loc. cit. num.* 13. adducit ſub his verbis Caracciolus: *Quod per haſce cantilationes, & chromaticos flexus bono quidem, & magno temporis diſpendio à grauioribus nos ſtudijs auocari facilè poſſe cenſuerunt*. & quam prò ſua ex *Cap. In Sancta Romana, diſt.* 92. *Ne dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur, & cantor miniſter Deum moribus ſtimulet, cum Populum vocibus demulcet*, cum Montoya in Chronicis refert Peyrinus ad *Conſtit.* 6. *Iulij II.* §. 1. *num.* 2. Nobis inquàm præſcribitur, vtpotè antiquo Eccleſiæ ritui, & S. P. Auguſtini menti magis conformis. Quod vtique intelligendum tam in Officiorum, quàm in Miſſarum celebratione, cum ad vtraq; munera diſtinguenda poſſint, vt. *n.* 49. dicitur, intelligi ea Conſtitutionum verba *in Eccleſia, vel Choro*. Non tamen ſequitur, non poſſe & modulatè, ſeu organicè, & muſicali cantu in Eccleſijs noſtris vel Miſſas, vel Veſperas, ſi vel Benefactorum, vel piarum perſonarum in noſtros Sanctos, vel alios deuotio poſtulauerit iuxta item laudabilem Eccleſiæ morem ſolemniter celebrari; prohibitio namque cantus cum nota ſolos afficit Religioſos, *ſine nota tamen à Fratribus in Eccleſia, vel Choro celebretur*, quod benè obſer-

uaretur

uaretur & in caſibus ſupradictis, cum non Fratres, ſed ſæculares eſſent, qui canerent, & celebrans ſemper ſua munera ſiue in Miſſa, ſiue in Veſperis ſine nota perſolueret; Et talis eſt obſeruantia etiam aliquarum aliarum Religionum, quæ nec cantum Gregorianum, nec vllum cum nota modulatum admittunt.

47 Vnum reſtat ſoluendum obiectum: Implicare ſcilicet cantũ *ſine nota* cum ſubſequenti diſpoſitione, (de qua infra ſect. 6.) *iuxtà ritum Romanum*; quandoquidem cantus cum nota exigitur a ritu Romano per Cordub. in *Regul. S. Franciſci cap. 3. q. 1. §. tertium punctum*, & Rouſſerium de *ſtat. & origin. ordin. S. Franciſci cap. 3. q. 5. §. Hanc ferè formam in med.* vbi: *Et re vera ego credo, quod ordo, quo nunc Eccleſia in Officio Diuino perſoluendo vtitur, ſit quaſi indiuiſibiliter cum cantu Eccleſiaſtico coniunctus &c.* Soluitur inquàm, & dupliciter; primò, quia quando cantus ſine nota non eſſet ritui Romano conformis, clauſula illa *iuxta ritum Romanum* intelligenda eſſet præter expreſſa, ſcilicet, quod hic ritus ſeruetur in reliquis præterquàm in cantu cum nota, vt de conſimili clauſula, *iuxtà formam*, ex mente Rotæ dictum eſt in *Quodlibet. Regular. n.* 1378. vbi corrigendus impreſſionis error, *Lexana conſult.* 44. & reponendum: *apud Lexanam conſult. 44. fin.* Secundò, quia ſi indiuiſibilis eſſet à ritu Romano cantus cum nota, non tot Ordines, vt S. Franciſci de Paula, Carmelitarum Diſcalceatorum, Capuccinorum, & Clericorum Regularium, quin & Minorum Obſeruantium, qui ab initio ſine nota, & planè cantabant; & ad cuius rei memoriam in Conuentu Mirabelli ſic ex ſtatuto cantatur, teſte eod. Rouſſer. *ibid. §. Noſtra autem*, & ſignanter Minorum Recollectorum, qui per eumdem Rouſſer. *cit. §. Hanc verè formam &c.* ex ſtatutis ſuis Diuinum Officium ſine nota perſoluere debent, licet ex Clementis VIII. ſanctione modò in Conuentibus, quos ab Obſeruantibus reformandos accipiunt, & in quibus conſuetus erat cantus cum nota, eumdem cantum ſequantur; non, inquàm, tot Ordines, qui ritui Romano ex Regula, vel Conſtitutionibus adſtringuntur, illo dimiſſo, cantum planum recepiſſent; quin & ideò receperunt, vtpotè ab antiquo, vt probatum eſt, in Eccleſia vſitatum. Hoc tamen omiſſo, non eſt contrà ritum Romanum obſeruare, quod Summi Pontifices concedunt, vt ex Rouſſer. ipſo *ibid. §. Dico tertiò*. vbi de Capuccinorum cantu, colligitur. Vnde bene dicitur, Regulares quoad huiuſmodi, & conſimilia in materia Diuinorum Officiorum propria ſtatuta obſeruare debere, vt infra *num.* 83. maxime prout noſtra, a Sede Apoſtolica approbata.

48 Hoc tamen & in hoc ſine nota cantu obſeruandum, quod ex quodam ſermone, (quem ipſe S. P. Auguſtino adſcribit) refert Valdenſis *loc. cit. cap. 19. Vox omnium noſtrum diſſona non debet eſſe, ſed conſona. Non vnus inſipienter protrahat, & alter contrahat; aut vnus humiliet, alter vocem extollat:*

*lat: ſed nitatur vnuſquiſque humiliter vocem intrà ſonum chori concinentis includere, non extrinſecus extollentes, aut protrahentes quaſi ad ſtultam oſtentationem.* Accinit D. Bernardus, qui ſuis Monachis, vt habet Caramuel *Theolog. Regul. n.* 1327. formulam hanc conſcripſit: *Pſalmodiam non nimium protrahamus, ſed rotundè, & viua voce cantemus, metrum, & finem verſus ſimul intonemus, & ſimul dimittamus. Nullus ante alios incipere, & nimis currere præſumat, aut poſt alios pneuma trahere, vel punctum tenere. Non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſilientes, non fractis, & remiſſis vocibus muliebre quiddam, & balba de nare ſonantes; ſed virili, vt dignum eſt, & ſonitu, & affectu Sancti Spiritus depromentes.* Et omiſſis pluribus, de quibus Maggius *d. opuſc.* 1. *diſq.* 25. Peyrinus *d. cap.* 4. *Regul. §.* 12. *q.* 8. *n.* 2. & Cardinalis Bona de *Diuin. Pſalmod. cap.* 17. *§.* 5. idem (quod nobis ſufficere debet) in noſtro Ceremoniali *lib.* 2. *cap.* 2. ſub hac forma ordinatur: *Diuinum Officium tam diurnum, quàm nocturnum deuotione maxima, voce clara, diſtincta, & ſonora, non autem rigida, aſpera, & inflata, ſed cum quadam eius dulcedine, & ſuauitate ad deuotionem, & compunctionem excitante à Fratribus recitetur, qui pſalmos, & cantica ſono vniſono, & vniformi dicere, & canere debent. Vt verò Diuinum Officium non feſtinanter, indiſtinctè, & confusè dicatur, in medio verſus pſalmorum, & inter binos verſus hymnorum ſemper adhibeatur pauſa, ſeu reſpiratio quædam vocis, vt omnes ex illa parte reſpirare poſſint, & Fratres deuotionem non amittant: ſed inter verſum, & verſum talis pauſa non fiat; numquàm tamen verſus ſubſequens incipiatur, donec præcedens à recitantibus fuerit terminatus.* Ex quorum obſeruantia non niſi cordis hilaritas, & deuotio non recitantium tantùm, ſed & audientium; & ex quibus argui poſſunt, qui, vt *ibid. n.* 140. loquitur Maggius, *planè decepti dierum feſtorum ſolemnitatem fieri putant, ſi vocem ſolito altiùs attollamus, ac ſi immani illo clamore, ſtridoreque nobiſmet, & audientibus quibuslibet obtundere caput, parietes transfigere, ferireque nubes, ſydera, & Cœlum niteremur.*

## SECTIO QVINTA.

### *De recitationis Officij loco, obligatione, & modo; vbi de priuilegio recitandi mentaliter, & alijs, ac etiam de Oratione,* Sacroſanctæ. *&c.*

49 DEſignatur per hæc verba, *à Fratribus in Eccleſia, vel Choro*, pro Officij celebratione locus, ſeu Eccleſia, vel Chorus, iuxtà *Cap. Si quis Presbyter. diſt.* 92. *cap. Dolentes. de celebrat. Miſſar.* & *Clemen. tit. eod.* per Bellarmin. *de bon. operib. in particul. lib.* 1. *cap.* 18. &

iuxtà Eccleſiæ traditionem, & conſuetudinem per Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 1. n. 5.* Bordon. *reſol. 30. n. 5.* Lezan. *tom. 2. verb. Offic. Diuin. n. 10.* Baſſæum *verb. Horæ Canon. III, in Supplem. n. 3.* Et ſenſus eſſe poteſt primò, quod totum Officium Diuinum, quatenus horas Canonicas, & Miſſas complectitur, *in Eccleſia, vel Choro* diſtributiuè loquendo perſoluatur. Secundò, quod Diuinum Officium, vt ad horas Canonicas reſtrictum, in Eccleſia, vel Choro celebretur, accipiendo pro *Eccleſia* Chorum inferiorem, & qui retrò Altare maius de more Eccleſiam complet, & prò *Choro* ſuperiorem Chorum, qui cum correſpondeat Eccleſiæ, & ad pſalmodiam deſtinatus ſit, Chorus pariter denominatur, & eſt, vt ſcribunt Tobias Corona de *Sacr. Templ. part. 1. cap. 9.* Bernardus Biſſus in *Hierurgia litt. C. n. 274. §. 2.* & *litt. L. n. 125. §. 2.* Michael Anton, Frances de *Cathedral. cap. 5. num. 178.* & Io. Baptiſta Neri in *Opuſc. de Iudic. S. Inquiſit. cap. 26. q. 1. Dico. 3.* Et ideò in ſuperiori parte collocatus *ad publicas preces quietiùs*, hoc eſt ſeparatim à Populo *perſoluendas*. Nebrid. à Mundelheim de *Antiquit. Monaſtic. epiſt. 67.*

50 Quæ porrò diſpoſitio, licet videatur directa ad recitationem publicam, & communem; non tamen abs re erit dicere, quod comprehendat & priuatam, cum ſit indefinita *à Fratribus*, adeòque omnes Officio Diuino adſtrictos complectatur; & ſenſus ſit, quod omnes Fratres, qui ad præfatum Officium tenentur, illud, ſiue cum alijs communiter, ſiue ſeorſim, & priuatim in Eccleſia, vel Choro perſoluant. Nec mirum; cum namque & ad priuatam recitationem requiratur decentia loci, & talis, vt attentionem non impediat, & deuotionem, vtique alienum à re non eſt dicere, & prò priuata recitatione aſſignatam ibi Eccleſiam, vel Chorum, prout ibi & priuatim recitandum eſſe ſuadent Molfeſius *tract. 5. cap. 2. n. 79.* & Donatus *Prax. Regul. tom. 4. tract. 18. q. 18.* Et confirmo, quia ſi diſpoſitio, de qua *ſect. 3.* quoad reuerentiam, diſtinctionem, attentionem, & deuotionem; & hæc quoad celebrationem Officij iuxtà ritum Romanum *à Fratribus in Eccleſia, vel Choro iuxtà ritum Romanum celebretur*, & de qua *obſeruat. ſeq.* afficit & communem, & priuatam recitationem, omneſque complectitur Fratres, quare non & omnes tum priuatim, tum in communi recitantes in hac diſpoſitione *à Fratribus in Eccleſia, vel Choro* comprehenſi?

51 Non tamen peccatum eſſe dixerim, ſi quouis alio honeſto, & decenti in loco priuatim recitetur, cum id licere admittatur à Suarez *d. lib. 4. cap. 27. num. 1.* Peyrin. in *Regul. Minim. cap. 4. §. 12. q. 8. num. 7.* Palao *tom. 2. tract. 7. diſp. 2. punct. 4. num. 7.* Caramuel, *Theol. Regul. num. 1326.* Gobat. *Theolog. experim. tract. 5. num. 687.* Leandr. in *Decal. tract. 8. diſp. 4. q. 114.* Maggio de *Sacr. Ceremon. opuſc. 1. diſqu. 32. num. 188.* & Eccleſia, vel Chorus non deſignentur ibi à Conſtitutionibus ſub præcepto, ſeu

verbis

verbis ad obligandum ſub mortali ſufficientibus. Nec dicendum, etiam recitationem Officij in communi, ſicut & ritum Romanum ſub præcepto non demandari; & tamen ſine peccato nec recitationem communem in Choro poſſe omitti, nec ritum alterari. Hoc enim procedit non ex Conſtitutionum obligatione, ſed aliundè, quia ſubiecta materia, ſeu recitatio in communi, & ritus Romanus per ſe obligant ad mortale, ſicut & alia præcepta tum Diuina, tum Eccleſiaſtica, prout in *Quodlibet Regular. num.* 961.

52 Quo ergò ad recitationem in communi, & publicam, teneri ad eam noſtros Religioſos certum eſt ex d. Clement. *de Celebrat. Miſſ.* ibi: *In Eccleſijs Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis deuotè pſallatur: in alijs verò conuenienter, & debitè celebretur Diuinum Officium diurnum pariter, & nocturnum*; &ità Laurentius Landmeter in *Regul. S. Auguſt. cap.* 2. *num.* 6. & vtique ſub mortali, ſicut omnes Communitates Religioſas habentes vſum Chori, ex conſuetudine ſaltem vniuerſali Eccleſiæ, vt docent Suarez *d. lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 7. Lezana *t.* 1. *part.* 1. *cap.* 12. *num.* 9. & *tom.* 2. *verb. Officium Diuinum. num.* 2. & 3. Baldellus *tom.* 2. *lib.* 3. *diſp.* 36. *num.* 12. Palaus *tract.* 7. *diſp.* 3. *punct.* 1. *num.* 4. Peyrinus de *Offic. Prælat. q.* 1. *cap.* 4. *nu.* 123. Leander *d. tract.* 8. *diſp.* 6. *q.* 9. Baſſæus *d. ſupplem. nu.* 5. Diana in *coordin. t.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 19. *num.* 3. & *ſeq.* Bordon. *reſol.* 30. *num.* 5. Caramuel *Theol. Regul. num.* 1320. & 1321. vbi communem eſſe DD. ſententiam. Peregrinus in *Conſtit. Theatin. p.* 1. *cap.* 1. *in comment.* Bernardus Biſſus *ibid. verb. Obligatio ad Horas* §. 5.

53 Quæ obligatio præcipuè afficit Prælatos ex ead. Clementin. ibi: *Vt illi, ad quos pertinet: Si verò exempti fuerint, aut aliàs priuilegiati Superiores &c.* ad quos ſpectat curare, vt in Choro perſoluatur Officium Diuinum. Suarez *d. cap.* 10. *num.* 8. & 15. Landmeter. *loc. dict. cap.* 1. *num.* 5. & *cap.* 2. *num.* 7. Baſſæus *ibid.* Lezana *d. num.* 9. Diana *ibid. nu.* 5. Bordon. *loc. cit.* Leander *ibid. q.* 16. Quarti in *Rubric. Miſſ. p.* 1. *tit.* 3. *ſect.* 1. *dub.* 1. Ità quod peccarent mortaliter, ſi ex eorum negligentia vel vnam horam non recitari in Choro permittant. Peregrinus *loc. ſupr.* Baſſæus *verb. Horæ Canonicæ.* 1. *num.* 8. Peyrin. *ibid. num.* 124. Donat. *Prax. Regul. tom.* 4. *tract.* 18. *q.* 21. *num.* 2. quod intelligendum eſt tamen, niſi aliqua iuſta cauſa impediat. Peregrinus *ibid.* Deinde afficit quemlibet ex communitate; cum non poſſit exiſtere obligatio in communitate, niſi aliquo modo tangat etiam particulares. Baſſæus *d. ſupplem. num.* 5. Biſſus *ibid.* §. 6. Pellizar. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 7. Quod ſic explicatur à Suarez *d. cap.* 10. *num.* 15. & Palao *cit. punct.* 1. *num.* 12. quatenùs cogi poſſint a Prælato, vt aſſiſtant Choro; qui vtique præcipere poteſt, & debet, ſi in hoc nimis eſſent ſubditi negligentes. Suarez *ibid.* Pellizar. *tract.* 5. *cap.* 8. *ſect.* 1. *q.* 4. *num.* 9. Bordon. *ead. reſol.* 30. *num.* 5. Et quatenùs aliàs ſine ipſo, vel ipſis

omittendæ eſſent horæ. Tancredus de *Relig. tract. 3. lib. 4. diſp. 4. num. 9.* Palaus *d. diſp. 3. punct. 1. num. 12.* Leander *cit. diſp. 6. q. 13.* Caſſaingh. de *Priuil. Regul. part. 2. tract. 8. cap. 4. propoſ. 4.* Donatus *ibid. q. 24.* & cum pluribus Diana *ibid. reſol. 19. num. 5.* aut ſaltem non cum debita ſolemnitate perſoluerentur. Hieronym. à Politio in *Regul. S. Franc. cap. 3. nu. 7.* Quarti *loc. ſupr.* non verò quatenùs ſi quis abſit à Choro, peccare intelligatur. Suarez *cit. cap. 10. num. 15. & 16.* Landmeter. *d. cap. 2. num. 7. & 8.* Pellizar. *ibid.* Leander *loc. cit. q. 14. & 20.* Biſſus *ibid. §. 9.* Caramuel *eod. loc. num. 1317.* Diana *ibid. reſol. 20.* niſi per modum vnius obiecti proponeret notabili tempore ſe à Choro ſine cauſa abſentare; tunc enim non excuſaretur à mortali. Landmeter. *d. num. 8.*

54 Cui porrò obligationi vt ſatisfiat, perſolui debet Officium in Eccleſia, vel Choro; vt ex *Clementin.* & *Conſtitutionibus* iam vidimus, & cum Caietan. Sanchez, & Soto Caramuel *ibid. num. 1325.* Trullench. in *Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 20. num. 1.* & communiter DD. niſi alibi, vt in Sacriſtia, vel Oratorio, aut Capitulò perſoluere neceſſitas cogat. Palaus *cit. diſp. 3. punct. 4. num. 2.* Baldell. *ead. diſp. 36. num. 12.* quia Officium in dictis locis recitando dirigitur ad Eccleſiam, & moraliter in dictis locis canendo, dicuntur Religioſi in Eccleſia canere. Diana *ibid. reſol. 22 nu. 2.*

55 Et ad quam, ſeu vt vigeat ſufficere, quod in eo Conuentu quatuor ſint Choriſtæ, tradunt Peyrinus in *Regul. Minim. cap. 4. §. 12. q. 10.* Leander *diſp. 6. q. 11. num. 4.* Bordon. *reſol. 30. q. 4. num. 8.* Pellizar. *tract. 5. cap. 8. ſect. 1. q. 23. num. 50.* A Spiritu Sancto in *Director. Regul. tract. 3. diſp. 6. num. 1589.* eo quod duo, vel tres commodè Officium recitare non valeant publicè in Choro. Sed cum ad huiuſmodi Officij recitationem teneantur Eccleſiæ Collegiatæ ex *d. Clemen.* diſpoſitione, & Collegium re vera conſtituatur ex duobus, vel tribus Clericis, ſeu Religioſis. Gloſſ. in *Cap. Si ex laicis. 9. q. 1. verſ. vbi Congregatio*: ibi: *Sed quot homines faciunt Collegium Monachorum? Reſpondet, duo, vel tres.* Et in *Cap. Nobis. de Iur. Patron. verb. in Conuentuali.* Item *Cap. Nullus. de elect.* ibi: *vbi duo, vel tres fuerint in Congregatione.* vbi Barboſ. *num. 3.* ſic: *Notatur ad hoc, quod duo faciunt Collegium.* Item *l. Neratius. ff. de verbor. ſignific.* Peyrinus *loc. ſupr. num. 1.* Graff. *p. 1. deciſ. cap. 53. num. 1.* Frances de *Cathedrali cap. 25. num. 222.* Baſſæus *verb. Hor. Canonic. I. num. 8.* videtur dicendum & in hoc caſu teneri, ſi non ad pſallendum, ſaltem ad recitandum in Choro Officium, vt inſinuat Bruno Caſſaingh. *ibid. §. obligantur*; & de Canonicis concludit Leander. *d. diſp. 6. q. 30.* cum id tali modo poſſit commodè præſtari. Et ità quoad duos Thomas à Ieſu in *Regul. Carmel. p. 3. cap. 7. §. ſed circà prædicta.* ibi: *Tamen, vt ſaltem recitentur publicè, & in communi, ſufficit duorum numerus, qui Chorum componunt, & tantum ipſis aſſiſtentibus Chorus propriè dici poteſt.* Et quoad duos, vel tres Donatus *t. 4. tract. 18. q. 29.* qui-

bus

bus addi poſſunt, qui ad Chorum ſaltem tres requiri volunt, vt Naldus in *annot. pract. ad diſt.* 5. *Cap. Non mediocriter* . apud Pellizar. *d. num.* 50. Macignus de *Hor. Canon. cap.* 56. *num.* 24. Diana *d. t.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 21. & *reſol.* 56. *num.* 6. & Caramuel *ibid. num.* 1325. *dub.* 5. vbi quærenti, quot ſufficiant in Choro, vt dicatur Communitas, ſic reſpondet: *Credo tamen, tot requiri ad Communitatem, quot ad Collegium: ad hoc autem requiruntur tres in omnium opinione* .

56 Nihilominùs cum agatur de obligatione ſub mortali, cenſerem non recedendum à ſuprapoſita opinione; nam ſine quatuor Choriſtis id vix vna, vel altera vice ob alias Conuentus exigentias poſſet adimpleri; & illud dicitur fieri non poſſe, quod commodè fieri non poteſt. Menoch. *conſ.* 2. *nu.* 10. & ad quod non poſſumus non datur obligatio. Nec obſtant dicta de Collegio, quod duobus, vel tribus conſtituatur, quia ibi ſermò eſt de Collegio in ordine ad electionem: non verò in ordine ad Officium publicè in Choro recitandum, quæ rationes diuerſæ ſunt; & vlteriùs dignoſcitur ex eo, quod ius Collegij ſeruatur in vno. *l. ſicut* . *§. vlt. ff. Quod cuiuſque vniuerſ.* Gloſſ. ad *verb. duo* . *Cap. Nullus. de electione.* & *d. verb. Conuentuali. Cap. Nobis* . *de Iur. Patron.* Fagnanus in *Cap. Cum ſit arſ. de ætat. & qualit.* & in *Cap. Poſtulaſti. de Iur. Patron. num.* 7. & alijs deficientibus, poteſt ſolus eligere, vt oſtendi in Quodlibet. Regular. *num.* 1203. *&* 1350. quod nullo modo aptari poteſt obligationi Officij reſpectu Chori. Et licet concedatur ex dictis, in Collegiatis ſæcularium, etiam à tribus tantùm reſidentibus debere in Choro Officium recitari, non ſequitur, ait Peyrinus *d. cap.* 4. *§.* 12. *q.* 10. *num.* 5. eadem obligatio quoad Eccleſias Regulares, quia non eodem iure hæ, ac illæ ad huiuſmodi recitationem tenentur, vti communiter DD. ſecus, ſi vbi duo ſunt, daretur hæc obligatio, & omnes Parochi habentes vnum Clericum tenerentur Officium in Choro celebrare. Peyrin. *ibid.* quod ſaltem ratione conſuetudinis non admittitur. Leander *d. diſp.* 6. *q.* 27.

57 At quid, ſi tres tantummodò Choriſtæ in Conuentu, cui ex fundatione, vel horas, vel Mortuorum Officia, aut Miſſas canendi annexa obligatio? En quid reſpondet Bordonus *d. reſol.* 30. *num.* 9. quoad huiuſmodi obligationem reſpectu horarum: *Si abeſt numerus quaternarius, non eſt obligatio recitandi in Choro, vt probatur à ſimili de Voto, quod dubium interpretatur iuxtà alias obligationes legis: ità & hæc priuata impoſitio obligationis explicari debet eo modo, quo exponitur obligatio impoſita ab Eccleſia, quæ non præſumitur obligare ad Chorum, niſi ad ſummum quatuor Clerici interſint Choro* .

58 Non ſubſcribo tamen; primò; quia non eſt certum, Eccleſiam non præſumi obligare ad Chorum, niſi vbi quatuor Choriſtæ; & potiùs contrarium deduci poteſt ex dictis *num.* 55. Secundò; quia obligatio maximè

cum

cum prouentu adimplenda eſt eo meliori modo quo. Suarez *d. lib. 4. cap. 28. num. 6. 10. & ſeq.* Frances in *Var. vtriuſque Iur. reſolution. cap. 36. nu. 23. & 28.* & Paſqualigus de *Sacrif. nou. leg. q. 886. num. 3.* qua de cauſa Canonicus ineptus ad perfectam Officij recitationem, tenetur ad eam, quam poteſt; & qui caret Breuiario, recitare quod mente tenet; & cæcus, vel cum ſocio, vel quod ſcit. Suarez *d. num. 6. 10. 14. & 15.* & vbi in Collegiata Eccleſia cum Miniſtris celebrari non poſſit Miſſa Conuentualis, canenda eſt ſine illis. Paſqualigus *d. q. 886.* & excommunicato Capitulo, per ſubſtitutos Officia celebranda. Frances *ibid. num. 24. & 32. & ſeq.* & Capellanus impedito per accidens Altari, in quo prò mortuis ſacrificium offerre tenetur, in altero debet celebrare. Riccius *prax. for. prim. edition. deciſ. 405. nu. 5.* Amoſtazo de *Cauſis pijs tom. 1. lib. 2. cap. 5. nu. 25.* Et ſic, ſi duo ſint in tali caſu Choriſtæ, debere horas, & Officia mortuorum perſoluere; etſi tres Miſſas canere; maximè cum (præter adductos *dict. num. 55.* qui duos, vel tres ſufficere dicunt) abſolutè loquendo *ad rigorem Chori duo ſufficiant*, vt loquitur Thom. Tamburin. in *Decalog. lib. 2. cap. 5. §. 1. num. 12.* quorum doctrina ſaltem locum habere debet, vbi agatur de perſoluendo onere poſito in fundatione, quod validius eſt, & magis ligat, vt ex Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de Reform. cap. 5.* ibi: *Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque creatione, ſeu fundatione, aut alijs Conſtitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, ſeu certa illis onera ſunt iniuncta, in beneficiorum collatione, ſeu in quacumque alia diſpoſitione, eis non derogetur.* Barboſ. in *Vot. deciſ. lib. 3. vot. 76. num. 23.* Tertiò; quia obligatio hæc ſpecialis eſt; & cum Fundator poſſit in limine fundationis apponere conditiones etiam contrà ius, niſi ſint ex ſua natura impoſſibiles, vel turpes, aut aliàs à iure reprobatæ, vt ex Lambertin. de *Iur. Patron. lib. 1. part. 1. artic. 1. q. 9. à num. 32. & 54.* & alijs Barboſa *d. vot. 76. num. 24.* cenſenda eſt appoſita talis conditio ad effectum, vt Diuinum Officium omninò in Choro perſoluatur, etiamſi alias non eſſet perſoluendum. Vnde, quamuis ad hoc non teneantur fortè ex defectu quatuor Choriſtarum, tenentur tamen vigore huius ſpecialis obligationis, vt in ſimili Bruno Caſſaingh *dict. propoſ. 4. §. Quæ autem. fin.* Quartò; quia, etſi legatum ad cauſam piam nequeat adimpleri eo modo, quo diſponit Teſtator. v. g. legatum cum onere Miſſarum relictum Monaſterio incapaci, non propterea inualidatur, ſed ſuſtinetur, & alio modo adimplendum eſt ad fauorem legatariorum. Fagnanus in *Cap. Nos quidem. de Teſtam. numer. 27.* Amoſtazo *dict. tom. 1. l. 4. cap. 2. nu. 1. & 4.* Lezana *tom. 2. verb. legatum. num. 24.* quare viciſſim prò adimplenda Fundatoris mente, ſuſtinenda non erit obligatio perſoluendi Diuina Officia in Choro etiam per tres Choriſtas, quando adimpleri non poſſit per quatuor? Et Quintò; quia cum ita conuentum ſit inter partes, ſeu Fundatorem, & Religioſos, & ab his acceptata obligatio

gatio recitandi in Choro Officia, Miſſaſque canendi, obſeruare eam vtique debent, vt pluribus probat Barboſ. *d. vot.* 76. & in terminis, etiamſi quatuor non ſint, tenet Lezana *tom.* 2. *verb. Officium Diuinum*. *num.* 8. ſecus, ſi ob defectum quatuor Choriſtarum ad dicta non tenerentur, deceptus dici poſſet Fundator, & illuſus, & retraherentur Fideles a pijs erogandis legatis, Eccleſijſque fundandis. Barboſ. *ibid. num.* 69. Et inſuper teneretur Monaſterium ad reſtitutionem, vt benè *ibid.* Lezana *num.* 7. cum ex Soto. 4. *de Iuſt. q.* 7. *art.* 3. & Sayr. in *Clau. Reg. lib.* 11. *tract.* 2. *cap.* 1. ex violatione iuſtitiæ commutatiuæ, ſiue contractus oriatur eius obligatio; & concludo cum Gobat, *Theol. experim. tract.* 5. *num.* 698. de eis, qui excuſant ab onere canendi, vbi non ſunt quatuor, ſic quæſtionem ſoluente: *An vbique excuſabilis cognoſcetur, quando ſtandum erit coràm Tribunali Diuino, & pijs Fundatoribus*.

59 Quo verò ad recitationem priuatam, ad eam etiam teneri, quotieſcumque Officium non perſoluunt in Choro, omnes profeſſos, etſi ſacro ordine non inſignitos, non eſt ampliùs dubitandum ex conſuetudine ſaltem præſcripta vniuerſalis Eccleſiæ quoad eas Religiones, quæ vi ſui ſtatus Chorum profitentur. Suarez *d. lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 6. Landmeter ad *d. cap.* 2. *num.* 9. Macign. *ibid. cap.* 13. *num.* 28. Sanchez *lib.* 7. *conſil. cap.* 2. *dub.* 3. Trullench. *d. cap.* 7. *dub.* 12. §. 1. *num.* 1. Palaus *part.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 2. *punct.* 1. §. 3. *num.* 1. Stephanus à S. Gregor. *de Diuin. Piet. vincul. lib.* 3. *cap.* 72. *num.* 16. Auguſtinus Redeingh. *Theol. Schol. tom.* 11. *q.* 6. *art.* 1. *controu.* 2. *à num.* 8. *& ſeq.* vbi huius conſuetudinis legitimitatem eruditè probat; alijque plures, quos adducunt, ſequunturque Diana in *Coordin. tom.* 3. *tract.* 6. *à reſol.* 12. *ad.* 17. Franciſcus Bardi in *Select. Moral. lib.* 8. *q.* 1. Leander *d. tract.* 8. *diſp.* 2. *q.* 10. Donatus *cit. tract.* 18. *q.* 8. *&* 9. Biſſus *ibid. verb. Regulares*. *num.* 28. & omnes ferè Scholaſtici, & Canoniſtæ communiter, vt notat Peyrinus *d. cap.* 4. §. 12. *q.* 1. *num.* 3. *Regul. Minim.* cum de tali conſuetudine quaſi omnes teſtentur, & materia ſit grauis, & ex modo conſuetudinis conſtet eſſe acceptatam, idem Suarez *ibid.* Leander *d. q.* 10. Donatus *cit. q.* 8. *num.* 5. Vnde moraliter certam hanc ſententiam appellat Franciſcus Bardi *ibid.* §. 2. & contrariam in praxi *minimè tutam*; quin cum Sanchez, *non eſſe probabilem*; cum Aſcanio Tamburino, *ab omnibus reiectam*, & cum Euſebio Herrera in *deciſ. moral. de ſtat. Relig. deciſ.* 8. *num.* 2. Reginaldo, & Pellizario, *temerariam*. Saltem apud nos eſt certum, cum pæna grauiori à Conſtitutionibus *p.* 4. *c.* 6. puniantur, qui *poſt emiſſam profeſſionem Diuinum Officium non perſoluerint*; & in dies doceantur Nouitij ad illud poſt profeſſionem teneri; quæ ſunt ea, quibus poſitis & ipſe Caramuel *ibid. num.* 1359. *dub.* 1. 2. *&* 3. concedit, profeſſos, licet ſacris non initiatos, ad priuatam Officij recitationem teneri ſub mortali.

60 Et

60 Et ità teneri, vt prò valida recitatione debeant voce, & non mente Officium perſoluere, vt ex hac Concil. Baſiliens. *ſeſſ. 21. §. 2.* diſpoſitione: *Vt non ingutture, vel inter dentes, ſeu deglutiendo, aut ſyncopando dictiones: ſed ſiue ſoli, ſiue aſsociati diurnum, nocturnumque officium reuerenter, verbiſque diſtinctis peragant &c.* Sanchez *Conſil. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 8. num. 3.* Leander *part. 2. tract. 6. diſp. 13. q. 19.* & *part. 6. tract. 8. diſp. 4. q. 43. & 44.* Diana *d. tract. 6. reſol. 56. num. 4.* Et quia, cum recitatio officij ſit oratio vocalis, non mente, ſed ore facienda; vnde vocem de eius quaſi ſubſtantia eſſe, docent Suarez *d. lib. 4. cap. 7. num. 2.* Bernardus Biſſus in *d. Hierurg. verb. Officium Canonicum. §. 13.* Hermanus in *Medull. Theolog. Moral. lib. 4. cap. 4. num. 2.* & ideò non ſatisfieri obligationi Officij, ſi mentaliter recitetur, ex communi omnium DD. ſenſu teſtantur Paſqualigus de *Sacrific. nou. leg. tom. 1. q. 233. num. 2.* & Quarti ad *Rubric. Miſſal. part. 1. tit. 16. dub. 3.*

61 Ex quibus ſequitur, & talem adhibendam pronunciationem, ſeu vocem, vt recitans ſaltem ſe ipſum audire poſſit; & non quæ conſiſtat in ſola labiorum motione, quia vox non eſt, niſi talis ſit, vt poſſit audiri. Vnde Suarez *d. cap. 7. num. 6.* ſic: Quando quis recitat ſolus, moraliter neceſſarium eſt, vt ipſe ſaltem ſe ipſum poſſit audire, quia vox debet eſſe audibilis; ergò ſaltem ab ipſo orante; nam profectò etiam phyſicè loquendo vix poteſt formari vox, quæ ab ipſo loquente audiri non poſſit, ſecluſis impedimentis, quæ erunt per accidens; moraliter etiam id videtur neceſſarium, vt poſſit quis humano modo explere illud præceptum; & certus fieri, quod illud ſufficienter executioni mandauerit. Hæc ille. Et Paſqualigus *ibid. q. 231. num. 4.* ſic: Oratio autem vocalis neceſſariò conſtare debet ex verbis própriè dictis. De ratione autem verborum eſt, quod ità formentur, vt articulizentur, vt ſint audibilia, quia ſunt ſigna conſtituta ad communicandos conceptus mentis, mediante auditu; & cum ſint eſſentialiter obiectum auditus, debent, vt ſint verba, participare illam rationem, per quam conſtituantur in eſſe obiecti, atque adeò audibilitatem. Non participant autem, nec ſunt prædicta ſigna, ſi ità formentur, vt à formante non audiantur, ſecluſo quocumque impedimento. Quia, cum in formatione applicentur proprio auditui formantis, ſi excluſo omni impedimento non percipiantur, fit, quod non ſint audibilia, & conſequenter nec vera verba; vnde nec etiam veræ preces vocales. Sic ipſe. Et tenent Sanchez *d. dub. 3. num. 7. & 8.* Tancred. *de Relig. tract. 3. lib. 4. diſp. 3. num. 3.* Filliucius *tract. 23. cap. 3. num. 117. & cap. 7. q. 8.* Palaus *eod. tract. 7. diſp. 2. punct. 3. num. 6.* Biſſus *cit. §. 18.* Eſcobar. *tract. de Hor. Canon. q. 4. num. 84.* Gauantus ad *Rubr. Breuiar. ſect. 1. cap. 5. tit. 5. num. 1.* A Spiritu Sancto *tract. 3. diſp. 6. num. 1625.* & viriliter Diana *d. tract. 6. reſol. 45. num. 5.* & *reſol. 51. & 52.* cum vox illa, quæ per ſolam labiorum motio-

nem

nem formatur, ſit potiùs motus gutturalis, & inchoatio vocis, quàm vox. Palaus *d. num. 6.* Diana *cit. reſol. 52. num. 2.* & potiùs inchoatio verbi, quàm verbum. Auguſtin. Redeingh. *Theol. Schol. tom. 1. q. 6. art. 1. controuerſ. 3. num. 30. fin.* & contrà ſuperiùs ex Concilio Baſilienſ. adducta.

*62* Quod ſi quis dixerit, etiamſi verba non audiantur à formante, tamen per organa corporis formantur; ac proinde non ſunt mentalia; ergò vocalia; ergò non eſt opus, vt audiri poſſint, cum hoc ſit extrinſecum vocibus. Reſpondet Paſqualigus *ibid. num. 5.* Formari per organa corporis, ſed ità imperfectè, vt ne ſint verba verè articulizata: ſed potiùs embrio verborum nondùm proueniens ad ſuam veluti organizationem, per quam ſit capax ſignificationis tamquàm animæ. Vnde licet non ſint mentalia, nec tamen ſunt vocalia, niſi inchoatiuè, quod non ſufficit, vt ſint verba ſignificatiua, præſertim quia non quilibet ſonus eſt verbum ſignificatiuum. Quando autem infertur, quod non eſt opus, vt poſſint audiri, & dicant relationem ad auditum, falſum omninò eſt, quia cum ſint eſſentialiter obiectum auditus, continuantur per relationem ad ipſum, præſertim quia ſunt ſpecies obiecti, nempè ſonus: ſonus autem ex ſua intrinſeca ratione eſt audibilis. Hæc illo. Quibus omnia contraria argumenta penitùs diſſoluuntur.

*63* Nec eſt quod contrà prædicta; quis priuilegio vllo ſe tueatur; & primò contra obligationem reſpectu recitationis Officij priuilegio illo, quod ab Eugenio IV. fertur conceſſum Clericis Profeſſis S. Benedicti nondùm conſtitutis in Sacris, non recitandi ſcilicet horas canonicas ex debito; quia, licet Monachorum priuilegijs per communicationem fruatur & Auguſtiniana Religio, vt in *Quodlibet. Regular. num. 310.* dictum eſt nobis tamen communicata non cenſentur, quæ noſtro Reformatorum ſtatui aduerſantur, vt pariter *ibid. num. 498.* dictum eſt, quale eſſet non recitatio Officij; & ità cum Antonio Hinnoioſa in *Director. verb. Horæ Canonic. fol. 283.* reſoluit Diana *cit. tract. 6. reſol. 18. num. 2.* tenentque Leander *d. tract. 8. diſp. 2. q. 11.* Donat. *tom. 1. tract. 7. q. 14.* & Gobat. *cit. tract. 5. num. 570.* Quibus addo meam Religionem eo ipſo, quod punit non recitantes Officium, vt dictum eſt, iam huic priuilegio renunciaſſe; vt renuntiare potuiſſe dictum eſt. *d. Quodlibet. num. 499. & ſeq.* quo poſito, non poteſt eo quis vti.

*64* Nec item contra obligationem vocalis prolationis, priuilegio, quod à Leone X. viuæ vocis oraculo Minoribus conceſſum refert Roderic. in *Bullar. inter eiuſd. Leonis viu. voc. Oracul. num. 12.* & *tom. 1. qq. Regul. q. 42. art. 4.* recitandi ſcilicet Officium mentaliter, aut legendi intra ſe per librum; non tantùm quia ob reuocationem viuæ vocis oraculorum factam à Gregor. XV. & Vrbano VIII. non ampliùs viget, vt volunt Lezana *tom. 1. p. 1. cap. 12. num. 31.* Baldellus *Theol. moral. lib. 3. diſp. 34. num. 16.*

Baſſæus *verb. Horæ Canonic. II. num.* 15. Bellaſius in *Promptuar. Regul. verb. Offic. Diuin. num.* 10. Paſqualigus *ibid. q.* 233. cum in præſenti hanc rationem non applicari ſuſtineant Sanctorus à Melphi in *Statut. Minor. cap.* 3. *ſtat.* 2. Thomas Hurtad. *Reſol. moral. tract.* 3. *num.* 43. Thom. Tamburin. *Opuſc. de Sacrific. Miſſ. lib.* 2. *cap.* 9. §. 3. & conſentit Cardinalis de Lugo *Reſponſ. moral. lib.* 3. *dub.* 17. *num.* 2. Verùm, quia poſſe mentaliter officium recitari vi talis priuilegij, eſt ex ſubiecto non ſupponente, vt patet ex hac ipſa priuilegij forma, apud Roderic. *ibid. Vt ne Fratres mutuò ſe impediant in Officio Diuino, aut alijs ſint faſtidioſi, quod illa, quæ in Ordinario iubentur dici ſecretè ſub ſilentio tàm in Horis Canonicis, quàm etiam in Miſſa, non teneantur proferre vocaliter, ſed ſatisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo intrà ſe per librum, quia aliqui deuotiùs ſic dicunt, & abſque impedimento, & faſtidio aliorum; & eodem modo poſſit facere, qui dicit Officium per ſe ſolus, cum prolatio verbalis ſit præcipuè, vt ab alijs intelligatur.* Conceditur enim tantummodò, ea poſſe dici mentaliter, *quæ in Ordinario iubentur dici ſecretè:* non verò totum Officium, vt benè Peyrinus *tom.* 1. *ad Conſtit.* 28. *Leonis X. num.* 4. Paſqualigus *loc. ſupr.* Tamburin. de *Iur. Abb t.* 2. *diſp.* 10. *q.* 9. *num.* 3. & Pellizarius *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 71. quem ſequitur Diana *d. tract.* 6. *reſol.* 55. *num.* 3. Et patet ex fine, ne mutuò ſe impediant in Officio Diuino, aut alijs ſint faſtidioſi; hoc autem impedimentum, & faſtidium prouenire non poterat ab alta recitatione eorum, quæ alta voce in Choro dicenda erant, vt patet, cum nequeat quis ſuo moleſtus eſſe vicino altè recitando, quod ab omnibus ſimul altè pſallendum eſt; ſed proueniebat ex eo, quod quæ ſecretè dicenda erant, cum aliqui altiori, quàm par eſſet, voce recitarent, alijs, ſeu vicinis faſtidium generarent, & eos impedirent, vt & de facto ſæpè ſæpiùs contingit. Vnde ad tollendam hanc moleſtiam, & impedimentum, hæc conceſſit poſſe mentaliter in Choro recitari. Paſqualig. *d. num.* 3. Peyrin. *eod. num.* 4. non verò ea, quæ alta voce recitanda erant, adeòque nec conceſſum, totum officium, quod alta voce, exceptis pauculis, recitandum erat, mentaliter recitaretur. Quare, cum ſubdiderit, *& eodem modo poſſit facere, qui dicit officium per ſe ſolus,* nihil aliud concedere intellexit, quàm quod, ſicuti cum alijs in Choro poterant, quæ ſecretè dicenda erant, mentaliter dicere, aut per librum legere; idem præſtare poſſent, & dum ſoli recitarent; ſeu quæ in Choro ſecretè dicenda, & in recitatione priuata mentaliter dicere, aut legere poſſe,

65 Nec officiunt illa verba, *cum prolatio verbalis ſit præcipuè, vt ab alijs intelligatur;* ex quibus Sanctorus de Melphi *loc. cit.* totum Officium mentaliter recitari poſſe deducit; quia non ſunt verba Papæ, vt notat de Lugo *d. dub.* 17. & videre eſt apud Roderic. *loc. cit.* ſed ſupplicantium Minorum; & adducta ad effectum mouendi Papam ad eis concedendum, poſſe

etiam

etiam in Officio priuato mentaliter recitare, quæ ſecretè dicenda erant in choro; non verò totum officium; vt ex verbis *eodem modo*, quæ ſignificant eadem petita, adeòque & conceſſa recitari mentaliter extra chorum, quæ in choro; nam dictiones *idem*, ac *eodem modo* non extendunt, ſed eadem & cum eiſdem qualitatibus repetunt, vt ex vulgatis iuribus DD. communiter. Vnde extenſio illius conceſſionis ad eos, qui extrà chorum priuatim recitant, non ampliauit materiam, ſed ſolùm perſonas, vel loca, vt doctiſſimè Cardinalis de Lugo *d. dub.* 17. *num.* 5. & hæc ex ſuppoſitione, quod maior deuotio tali recitatione mentali ſentiatur, vt Peyrin. & Tambur. *loc. cit.*

66 Et quia in eodem priuilegio additur *quam etiam in Miſſa*, obſeruat idem de Lugo *ibid. num.* 4. hæc verba reſpicere ſolos choriſtas Miſſæ cantatæ in choro reſpondentes, qui dum ea, quæ in Miſſa ex eorum Ordinario ſubmiſsè in choro dicere debebant, altiùs proferrent, alijs moleſtiam inferebant: non verò Sacerdotem celebrantem, qui cum ſeorsìm, & in Altari celebret, alijs moleſtus eſſe non poterat. Et dignoſcitur ex eo, quod non ſubdiderit Pontifex, *& eodem modo poſſit facere, qui Miſſam celebrat*, vt dixerat de Officio, *qui dicit officium per ſe ſolus*; quod ſignum euidens eſt, ſolùm fuiſſe ſermonem de ijs, quæ à Choriſtis in choro ſubmiſsè dicenda erant. Vnde, cum non ſit faciendus tranſitus à Choriſtis ad Celebrantem; nec dicendum, Sacerdotem Miſſam celebrantem poſſe mentaliter ſecretè dicenda perſoluere. Quarti ad *Rubric. Miſſ. d. dub.* 3. *fin.* Paſqualig. *d. q.* 233. *num.* 3.

67 Non deſunt tamen alia, & plura quoad Officij recitationem prò Regularibus priuilegia, quibus omnes Mendicantes gaudent; quod ſcilicet, quando aliquid in Diuino Officio (citra dolum tamen) omiſſum ſit, poſſint ex Innocentij VIII. & Alexandri VI. indulto, pſalmi alicuius, vel Orationis Dominicæ, aut Angelicæ recitatione ſupplere, dummodò in parte non notabili, explicat Nauarrus *de Orat. cap.* 19. *num.* 84. *verſ. ſecundum eſt*. Quod non valentes benè, ac diligenter illud in Choro perſoluere, & ob defectum oculorum, aut aurium aliquid prætermiſerint, ad prætermiſſum repetendum non teneantur, & vno in fine recitato pſalmo ex Sixto IV. ſatisfaciant; quod ſimiliter Nauarr. *ibid. verſ. quod aliqua*, de defectibus paucis intelligit. Quod dicendo horas canonicas, & alia Officia Diuina in Choro, vel extrà (ex Leonis X. conceſſione Minoribus) ſatisfaciant præcepto (*cap. Dolentes. de celebrat. Miſſ.* vbi *ſtudioſè pariter, ac deuotè* recitari mandantur, ac etiam Regulæ ſuæ etiamſi per aliquam fatigationem, vel aliam cauſam dicant ſedendo, aut deambulando, vel non integrè verba proferendo, prout ſcripta ſunt propter negligentiam, aut imperitiam, vel malam pronunciationem naturalem propter defectum linguæ, ſeu alias qualitercumque, ac imperfectè dicant, aut cum mentis

diſtractione, & ſenſuum euagatione, dum tamen non ex malitia hæc faciant; quod tamen de defectu non notabili, & ad ſcrupuloſorum quietem intelligendum dicunt Miranda in *Manual. Prælat. q. 37. art.* 12. Hieronymus Roderic. *reſol.* 24. *num.* 2. Bartholomæus à S. Fauſto de *Hor. Canon. lib.* 2. *q.* 86. *fin.* Peyrin. *d. cap.* 4. §. 12. *q.* 8. *num.* 4. *fin.* & de abſolutione à recitatione tantùm, non verò a culpa veniali, quæ interueniſſet. Miranda *ibid. concl.* 3. Gobat. *cit. tract.* 5. *num.* 730. *fin.* & aſſentitur Lezana *eod. verb. Officium. num.* 14. prout infra de Oratione *Sacroſanctæ*. Inſuper ex eod. Leone, quod ob occupationes, etiam non multùm neceſſarias poſſint tempus conſuetum præuenire, vel poſtponere. Item, quod poſſint ab eorum Prælatis ob occupationes vel diſpenſari, vel commutari, & quod poſt Miſſam recitetur, concedi. Et alia plura, de quibus Caſſarub. in *Compend. Priuil. verb. Officium. cap.* 1. 2. *&* 3. cum Capucin. Roderic. *t.* 1. *q.* 42. Compendiator *d. reſol.* 24. Miranda *d. q.* 37. *art.* 12. *& ſeq.* Antonius de Pattis in *Expoſit. præcept. Regul. S. Franc. cap.* 3. *à num.* 18. *& ſeq.* Peyrin. ad *d. Conſtit.* 18. *Leon. X.* Lezana *d. cap.* 12. *num.* 13. *&* 28. Donatus *cit. tract.* 18. *q.* 65. Murga in *Conſtit. Apoſt. ad Conſtit.* 5. *Alexandri IV.*

68 Circà quæ tamen obſeruandum, priuilegium illud Innocentij IV. Minoribus conceſſum; quod, quando ratione itineris, vel alterius rei cauſa extrà Conuentus, ſeu loca ſua, quemlibet, vel quoslibet eorum contigerit degere, poſſint Diuinum Officium Fratres cum Fratribus, aut ſimul cum alijs Regularibus perſonis, vel quilibet ſeparatim facere alio quàm Romano ordine placuerit; de quo Caſſarub. *loc. cit. num.* 4. Roderic. in *Bullar. Bull.* 11. *Innocentij IV.* non valere in præſenti, cum per Pij V. *Conſtit.* 64. *Quod à Nobis &c.* omnia alia Breuiaria abolita fuerint, & priuilegia, vt notat Capucinus *apud Caſſarub. loc. dict.* & tenet Donatus *cit. q* 65. *num.* 6. de qua re iterùm infrà *num.* 80.

69 Eſt item aliud eiuſdem Leonis priuilegium, quo ſiue poſt quamlibet horam ſeorsìm, ſiue poſt omnes ſimul perſolutas, Orationem illam *Sacroſanctæ* vnà cum *Pater noſter &c.* & *Aue &c.* prò felici ſtatu S. R. Eccl. omnium defectuum in illis ex humana fragilitate commiſſorum remiſſionem conceſſit, vt apud Caſſarub. *loc. dict. verb. Officium. II. num.* 5. *&* 6. & Pacem Iordanum *t.* 2. *lib.* 10. *tit.* 39. *nu.* 51. hoc eſt, leuium defectuum, & qui ſine vlla culpa, vel veniali tantùm committuntur, vt explicant Bordonus *ead. reſol.* 30. *num.* 27. Lezana *d. verb. Officium. num.* 14. Bernard. Biſſus *cit. Hierurg. litt. S. num.* 64. Quod tamen non eſt prò ſolis Regularibus, ſed prò omnibus Officio adſtrictis, vt notarunt Nauarrus *de Orat. cap.* 19. *num.* 89. Bordon. *ibid. num.* 32. & Lezana *loco infrà*; & colligitur ex eo quod in omnibus Breuiarijs habeatur dicta Oratio, iuxta fidem Bernardi Biſſi *d. num.* 64. Nobis ſaltem in Ceremoniali *lib.* 1. *cap.* 9. præſcribitur. Nec de eius validitate dubitandum; cum, quando eſſet viuæ vocis

oracu-

oraculum, non includatur in reuocationibus Gregor. XV. & Vrbani VIII. quæ ea complectitur ſolùm viuæ vocis oracula, quæ aliquo modo poſſint eſſe tertio præiudicialia. Bordon. *ibid. num.* 30. & *reſol.* 31 *num.* 3. & eas gratias ſolùm, quæ viuæ vocis oraculo ſunt conceſſæ Superioribus, & perſonis cuiuſcumque Ordinis, & Congregationis, & Inſtituti, & Societatis: non verò quæ omnibus, qualis eſt hæc Orationis *Sacroſanctæ*, vt diximus. Bordon. *cit. num.* 32. & Lezan. *eod. num.* 14. Suum autem ſortiri effectum, etiamſi extrà Chorum ambulando dicta Oratio recitetur, ſubdit Bordonus *ibid. num.* 31. quia nec apud Roderic. *tom.* 1. *q.* 42. *art.* 3. nec Caſſarub. *d. num.* 5. *&* 6. qui id referunt, vllum de flexis genibus verbum; & etiamſi ſemel tantùm poſt officium hodiernum, & craſtinum Matutinum continuatè recitatum dicatur. Gobat. *eod. tract.* 5. *num.* 659. Biſſus *d. num.* 64. atque omnibus in Choro recitantibus prodeſſe, etiamſi ab vno ſolo recitetur, cum fauores ſint ampliandi. Bordon. *ibid. num.* 29. Lezana *cit. num.* 14. Sed aduertendum, huiuſmodi orationem applicandam eſſe prò felici ſtatu Summi Pontificis, & S. Eccleſiæ, vt admonet Lezana *d. num.* 14. & per eam ſolùm liberari recitantem ab onere repetendi, non verò à culpa, ſi quæ fuit, cum nullum appareat fundamentum dicendi, quod ad modum Sacramentalium per eam venialia deleantur. Idem Lezan. *ibid.* vt *ead. reſol.* 30. *num.* 27. voluit Bordonus.

## SECTIO SEXTA.

*De Ritu Romano in Officijs ſeruando, eius obligatione, intelligentia, & quoad illum priuilegijs.*

70 NOmine ritus, de quo in verbis, *iuxtà ritum Romanum*, etſi propriè loquendo veniat actùs externus, quo Deus colitur. Bordon. *reſol.* 64. *num.* 2. ideòque idem ſonet, ac ceremonia apud Ioan. Bapt. Caſalium de *Veter. Sacr. Chriſtian. Ritib. cap.* 58. cum tamen diſtinguantur ceremoniæ ab ijs, quæ prò officio recitantur, prout diſtinguit Gauantus, qui in *Theſaur. Sacr. Rit. tom.* 2. *ſect.* 10. ſeparatìm agit de ceremonijs in Horarum canonicarum recitatione adhibitis; in præſenti morem, ſeu conſuetudinem, vel formulam, & ordinem, quem in Officio Diuino Romana ſeruat Eccleſia, venire non eſt dubium ex *Conſtit.* Pij V. 64. *Quod à Nobis. num.* 5. *&* 7. prout de eorum conſimilibus ſtatutis explicant de Peyrin. in *Commen. ad Regul. Minim. cap.* 4. §. 12. *q.* 9. Caracciolus in *Synopſ. vet. Relig. Rit. p.* 1. *not. ad cap.* 1. *num.* 2. Franciſcus Maria Maggius de *Sacr. Ceremon. opuſc.* 2. *diſqu.* 2. alijque, vt infrà *num.* 73. *fin.* Et ſenſus eſt, quod Breuiarij Romani vſus præualere debeat in Congregatio-

gatione; & ſatis congruè; tum quia valdè decorum eſt, omnes Religioſos Ordines S. Matris Eccleſiæ conſuetudini conformari. *Cap. Nolite.* & *Cap. Quis neſciat. diſt.* 11. *Cap. Non decet. diſt.* 12. *Cap. Si Decreta. diſt.* 21. & *Cap. Si quis dogmata. q.* 25. 2. & ſuadent Hæftenus *Diſquiſit. Monaſt. lib.* 7. *tract.* 5. *diſq.* 4. *num.* 1. Caramuel in *Regul. S. Benedic. num.* 1300. & Landmeter. in *Regul. S. Auguſt. cap.* 2. *num.* 12. tum quia ſemper Religio Auguſtiniana huiuſmodi Romanum ritum fideliter obſeruare profeſſa eſt, vt ex Conſtitutionum antiq. *cap.* 3. præſcripto, ibi: *Prior in tabula vna, quæ in Choro affixa maneat, deſcribi faciat Calendarium ſecundùm ordinem Romanæ Sedis, quem ordinem in quotidiano officio in ſolemnitatibus Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & aliorum Sanctorum, tam quoad diem ſolemnitatis, quàm quoad Octauas ſequi omnes debeant.* & iterùm *cap.* 39. *De libris habendis ad vſum Chori*. ibi: *Item vnum lectionare, in quo de nocte legantur lectiones debitæ ſecundùm rubricam, & vſum Romanæ Curiæ, quem tenet, & obſeruat Ordo noſter*; vnde ad huiuſmodi ritum Religionem noſtram ex Inſtituto obligari colligunt Thomas Sanchez *tom.* 1. *Conſil. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 22. *num.* 5. & Leander *tom.* 6. *tract.* 7. *diſp.* 3. *q.* 2. & conformiter ad verba Regul. S. Auguſt. *Nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum*, quæ huc reſpiciunt prout diſcurrit Radulphus Tungrenſ. *lib. de Canon. obſeruant. propoſ.* 7.

71 Hinc ſequitur, & in noſtra Reformatione huiuſmodi ritum cadere ſub præcepto, & ſub mortali ad eum omnes teneri, propter verba: *iuxtà ritum Romanum celebretur*; quæ ſufficienter præceptiua videntur, eo modo, quo verba Regulæ S. Franciſci: *Clerici faciant Officium ſecundùm ordinem S. Romanæ Eccleſiæ* à Clem. V. in Clement. *Exiui de Paradiſo. de verbor. ſignificat.* declarata ſunt, præceptum continere, vt *cit. prop.* 7. notat idem Tungrenſis. Et licet non appareat in ſuprapoſitis Conſtitutionum verbis, *iuxtà ritum Romanum celebretur*, forma ad præceptum ſub mortali ab eiſdem Conſtitutionibus *p.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. requiſita, ſeu non id in virtute Spiritus Sancti, Sanctæ obedientiæ, & ſub præcepto formali decernatur, non obſtat, quin obligatio ſit ſub mortali, quia præter dicta adeſt præceptum Eccleſiaſticum Pij V. in *d. Conſt.* 64. *Quod à Nobis*. quod obligat ſub lethali vt benè Palaus *tract.* 7. *diſp.* 2. *punct.* 2. *num.* 1. Lezana *tom.* 2. *verb. Breuiarium. num.* 3. Diana in *coordin. t.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 105. *num.* 4. Hieronymus Onuphrij *Dub. an ſeruare modum præſcript. &c. à §. Vltima Concluſio, & ſeq.* poſt Gauantum *p.* 2. & communiter DD. Et verba prò forma præcepti ſub mortali à Conſtitutionibus requiſita, habent locum ſolùm in his, quæ præcipiuntur à ſolis Conſtitutionibus: non verò ab Eccleſia, ſicuti neque in his, quæ iuris Diuini ſunt, etſi in Conſtitutionibus ſine ea forma demandentur, vt dictum eſt in *Quodlibet. Regular. num.* 961.

72 Difficultas tamen remanet, an ſaltem extra Chorum recitare quis

poſſit

poſſit officium ritu à Romano diuerſo, & ſuo muneri ſatisfacere. Cum namque Conſtitutiones in præfato ſtatuto agere ſolùm videantur de Officio communitatis, ſeu dicendo in Choro, *in Eccleſia, vel Choro*, non videtur præſcriptus idem ritus prò recitatione priuata; adeòque poterit quis extrà chorum alterum ſequi ritum; eo modo quo, ex eo quod Pius V. in *cit. Conſtit. Quod à Nobis* (vbi innuit, non eſſe mutanda Officia non Romana, 200. annis tamen antiquiora abſque conſenſu Epiſcopi, & Capituli) cum non loquatur de officio priuato, poteſt quis priuatim, eo antiquiore omiſſo, Romano vti Breuiario, vt tenent Portell. in *Dub. Regul. v. Horæ Canonic. num. 6.* Leſſius *lib. 2. cap. 73. dub. 12. num. 74.* Diana *ibid. reſol. 102. num. 1.* & cum Sanchez *d. cap. 2. dub. 23.* Roderic. *reſol. 120. num. 13.* Trullench. in *Decalog. t. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 14. num. 3.* cum infrà *num. 74.* adducendis.

73 Sed reſolutio eſt negatiua, quia obſtat expreſsè Pij V. ſupradicta Conſtitutio §. 7. ibi: *Statuimus, quoſcumque, qui tenentur ad Horas Canonicas, teneri ad dicendum ex præcepto huius Breuiarij, & neminem ex his, niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe &c.* vbi non ſolùm agit de ricitatione in Choro, quem nec nominat, ſed etiam priuata extrà Chorum, vt aduertunt Mallet. *Theol. moral. Malleat. 30. Bract. 50.* Bernardus Biſſus in *Hierurg. verb. Breuiarium. §. 10.* & benè, quia dictio *Quoſcumque* omnes amplectitur, & ad omnes caſus extenditur per allegat. à Barboſ. de *Diction. vſufreq. dict. 317.* & ſenſus eſt, omnes, qui ad Horas canonicas tenentur ſiue in Choro, ſiue extrà recitantes, iuxtà ritum Romanum eas perſoluere debere; nec aliter ſatisfacere; ſeu lethaliter peccare. Suarez *de Relig. t. 2. lib. 4. cap. 11. num. 3.* Sanchez *ibid. dub. 24.* Paſqualig. *qq. moral. Canon. Centur. 3. q. 225. num. 4.* Leander *part. 6. tract. 8. q. 18.* Et confirmatur, quia ſi ſine graui culpa non poteſt quis, omiſſo propriæ Religionis, vti alterius Breuiario, v. g. Benedictinus Dominicano, vt cum Soto, Nauarr. Tabien. Suarez, Sanchez, & alijs Baldellus *Theol. moral. tom. 2. lib. 3. diſp. 29. num. 16.* Diana *ibid. reſol. 106.* & Leander *loc. ſup. q. 19.* tum propter mutationem grauem, & ſub grauibus pænis, & conſequenter ſub lethali prohibitam, Baldell. *ibid. num. 16.* Lezana *tom. 1. part. 1. cap. 12. num. 18.* Diana *loc. cit. reſol. 101. num. 6. reſol. 105. num. 4.* contrà Caramuel. & fusè *reſol. 106.* tum quia adeſt diſpenſatio per Clementin. *2. de celebrat. Miſſ.* vt Regulares Cardinalium, & Epiſcoporum commenſales poſſint ſe cum illis conformare in officij recitatione; nam ſuperfluè fuiſſent diſpenſati, ſi verum eſſet, quod omiſſo proprio Breuiario poſſent vti alieno, vt benè obſeruant Baldellus *ibid. num. 7. & 8.* Diana *cit. reſol. 106. num. 4.* & in ſimili Bernardus Biſſus *d. verb. Breuiarium §. 11.* Si inquam Benedictinus vti nequit Dominicanorum Breuiario, neque vti poterit addictus ritui Romano, vt à contrario ſenſu, ex eo quod vbi eadem ratio,

ſit

ſit & eadem Iuris diſpoſitio, argumentatur Paſqualigus *cit. q.* 225. *num.* 4. quia à fortiori, cum plura ex dicendis faueant Romano Breuiario, quæ non fauent alieno. Nec facit, quod ſtatutum loquatur de recitatione in communi, (de quo quidquid ſit, & videatur *ſup. num.* 50.) ſeu in choro, quia priuata ſubrogatur loco publicæ in his, qui choro de facto non aſſiſtunt. Guyet. de *Feſt. Sanctor. lib.* 1. *cap.* 12. *q.* 7. §. *Secundò;* adeòque & ab eis eadem forma officij ſeruanda. Diana *d. reſol.* 106. *num.* 4. & quia per ly *iuxtà ritum Romanæ Eccleſiæ* decernitur forma ſeruanda in Congregatione ſiue a noſtris Religioſis indefinitè, hoc eſt, tam in choro, quam extrà, vt in ſimili Antonius Cordubens. in *Expoſit. Regul. S. Franciſci cap.* 3. *q.* 1. *v. notandum tamen primò.* & §. *Secundum punctum eſt.* & Hieronym. à Politio in *ſimil. expoſit. cap.* 3. *num.* 2. *fin.*

74 Et paritas de recitatione officij iuxtà ritum Romanum, quoad eos, qui non ritu Romano illud recitare tenentur, non applicatur in præſenti, quia dum priuatìm quis v. g. Benedictinus recitat ritu Romano, conformat ſe cum Eccleſia Romana, quæ eſt mater, & magiſtra omnium Eccleſiarum. *Cap. Non decet.* & *Cap. Præceptis Apoſtolicis. diſt.* 12. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 12. *num.* 74. Trullench. *d. num.* 3. Leander *ibid. q.* 6. Diana *cit. reſol.* 105. *num.* 3. Lezana *d. t.* 2. *verb. Breuiarium. num.* 3. Tancred. *de Relig. tom.* 3. *tract.* 3. *lib.* 4. *diſp.* 11. *num.* 4. cui omnes conformari conuenit, & expedit, vt dictum eſt *num.* 70. & quam imitari omnibus conceſſum eſt. Caramuel in Regul. S. Benedicti *num.* 1300. vt clarè dignoſcitur ex d. Pij V. Conſtitutione, in qua, dum ab onere Breuiarij excepit eos, qui diuerſo per annos. 200. antecedenter vti conſueuerunt, non proceſſit præcipiendo vſum Breuiarij non Romani, ſed permittendo. Pellizar. in *Manual. t.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *ſect.* 1. *num.* 18. Hiacynth. Donatus *Prax. Regul. t.* 4. *tract.* 18. *q.* 32. quin expreſsè conceſſit, quod, ſi vellent vti Romano, vtique poſſent de Epiſcopi, & Capituli conſenſu. Suarez *d. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 4. Thomas à Ieſu in *Expoſit. Regul. part.* 3. *cap.* 7. *dub.* 3. Pellizar. *ibid.* Lezana *loc. cit. num.* 3. & 7. Gauant ad *Rubric. Breuiar. ſect.* 2. *cap.* 2. *num.* 4. & prò ſola recitatione publica, & in choro, non verò priuata requiſito, vt notant Lezana *d. num.* 3. & Pellizar. *loc. cit.* quo videtur conceſſa licentia priuatìm illud recitandi. Sanchez *d. cap.* 2. *dub.* 23. *num.* 2. *fin.* Donatus *ibid.* Auguſtinus Redeingh *Theol. Schol. tom.* 11. *q.* 6. *art.* 1. *controu.* 4. *num.* 19. noſciturque etiam quoad exemptos inclinaſſe Summum Pontificem in vſum Breuiarij Romani; quæ non militant in addictis ritui Romano reſpectu alterius Breuiarij. Diana *ead. reſol.* 105. *num.* 3. vt inferatur, poſſe & ipſos eo priuatìm vti, cum ſic potiùs Romanæ Eccleſiæ aduerſarentur, & ſit id expreſsè contrà Pontificis mentem, dum vltrà prohibitionem nullam declarauit huiuſmodi recitationem. Et ſic non currit paritas.

75 Præterquamquòd non deſunt DD., qui nec Breuiario v.g. Benedictino, vel alteri adſtrictos ex conſuetudine. 200. annorum permiſſo, Romano Breuiario priuatim vti poſſe contendunt, vt præter Seruatium Lairuelz in *Optic. Regul. ſpec.* 58. *inſtruct.* 6. Suarez, Leſſius, Bonacina, Vaſquez, Bellarminus, alijque apud Barboſ. ad *Cap. Presbyter.* 1. *de celebrat. Miſſar. num.* 10. & plures relati à Leandr. *ibid. q.* 6. & non ſine fundamento, cum per *Cap. De his.* & *Cap. Placuit. diſt.* 12. teneantur omnes officium recitare ſuæ Eccleſiæ. Baldell. *d. diſp.* 29. *num.* 7. 8. & 16. Mallet. *cit. malleat.* 30. *Tract.* 51. Lezana *d. tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 18. Biſſus ad *verb. Breuiarium*. §. 8. & *ſeq.* quibus addendus Paſqualigus *d. Centur.* 3. *q.* 225. ex eo quod non recitarent ſecundùm ritum pro eis præſcriptum, qui non eſt Romanus; vbi id à S. Congregatione Rituum ſub die 24. Ianuar. 1616. prò Benedictinis deciſum; & prò omnibus exemptis à S. Congregatione Concilij apud Garciam de *Benefic. tom.* 1. *p.* 3. *cap.* 1. *num.* 155. & Baldell. *d. diſp.* 29. *num.* 5. Vnde concludendum à primo ad vltimum, non poſſe Romano ritui addictum, licet extrà chorum, non eumdem ritum quoad Breuiarij vſum ſeruare, vt præter adductos Sanchez, Leandr. concludunt Diana *cit. reſol.* 105. *nu.* 4. *reſol.* 106. Lezana *eod. cap.* 12. *nu.* 18. Tancred. *loc. ſupr. diſp.* 11. *num.* 5. Baldell. *ibid. num.* 14. & 15. Paſqualig. *d. q.* 225. *num.* 4. Biſſus *cit. verb. Breuiarium*. *num.* 129. §. 4.

76 Quod ita intelligendum, vt nec per vnam vicem liceat contrarium, quia obligatio officij eſt quotidiana, vt communiter DD. & videre eſt apud Caſtropal. *p.* 2. *tract.* 7. *diſp.* 2. *punct.* 2. *num.* 2. & Gobat. in *Experim. Theol. tract.* 5. *num.* 560. & 573. ſecus ſi ſemel, aut bis in anno omitti poſſet officium, nec eſſet peccatum vno, vel altero die in quadrageſima non ieiunare, aut Miſſam vno, vel altero Feſto per annum non audire, vt cum Carden. *Criſ. Theol. tract.* 3. *diſp.* 31. *cap.* 7. *num.* 60. obſeruat Bernardus Biſſus *loc. ſupr. litt. O. num.* 7. Cum autem huic obligationi non ſatisfaceret, qui ritui Romano adſtrictus alieno vteretur, vt ex Pij V. cit. Conſt. *Quod à Nobis*, dictum eſt, ſequitur, quod neque per vnam vicem alieno Breuiario poſſit recitari. Cotonius *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 52. Auguſtinus Redeingh. *d. controu.* 4. *num.* 6. & 17. Biſſus *d. verb. Breuiarium*. §. 5. Nec dicendum, quod ſicut aliquando officium prò officio valet, vt multi admittunt, ità valere debeat vna, vel altera cum Breuiario non Romano recitatio; diſpar enim eſt ratio de permutatione officij prò vna, aut altera vice, ac de permutatione ritus; cum per huiuſmodi officij permutationem declaratum non ſit, non ſatisfieri obligationi, cum alias ſeruetur ritus Romanus, & ſit ſolùm mutatio quoad taleitatem officij eiuſdem Breuiarij; ſicut declaratum eſt, non ſatisfieri per mutationem, ſeu vſum alterius Breuiarij. Diana *ibid. reſol.* 101. *num.* 6. Redeingh. *ibid.*

77 Quæ tamen dicta ſint, dempta neceſſitate, & priuilegio, ſi adſit,

& prò recitatione priuata (cum prò recitatione Chorali non videatur poſſe contingere talis neceſſitas Breuiarium mutandi, nec priuilegium pró ea ſit adducibile, quin potiùs contrarium, communiter loquendo) nam in caſu, quo aliquis ex noſtris Romano Breuiario irreparabiliter careat, ſi aliud approbatum ſuppeteret, hoc vti teneretur, quia obligatio cadit primò ſuprà officium, deinde ſuprà modum; vnde ſi non poteſt adimpleri ſecundum, adimplendum ſaltem eſt primum Crouſierſ. in *Regul. S. Franciſci cap. 3. ſect.* 1. Eſcobar à Corro *tract. de Hor. Canon. q. 3. §. 1. num. 3.* quos ſequuntur Diana *d. tract. 6. reſol. 25. num. 2.* Buſembau *lib. 4. dub. 2. art. 3. nu.* 4. tenentque Sanctorus de Melfi *Comment. ad Statut. Minor. cap. 2. ſtatut. 6. fin.* & cum Paulo de Eleazaris Serena conſcientia *q. 38.* Hieronymus à Politio in *Regul. S. Franc. cap. 3. num. 2.* cum namque præceptum iuris communis recitandi officij Diuini præualeat præcepto recitandi per hoc, vel illud Breuiarium, debet in tali caſu hoc illi cedere. Lezana *d. verb. Breuiarium. num. 6.* ex quo Pellizarius *eod. tract. 5. cap. 8. ſect. 2. q. 29. fin. num.* 70. & cum omnibus Leander *d. tract. 8. diſp. 3. q. 21.* quibus addendi à Spiritu Sancto in *Director, tract. 3. diſp. 6. num,* 1610. & Biſſus *loc. cit. §. 12.*

78 Nec obſtat inſtantia Gobat *cit. tract. 5. nu. 603. & ſeq.* & Redeingh *ibid. num.* 18. qui ſententiam hanc refutantes aiunt, nec eam valere recitationem, neque ad eam in tali caſu quemquam adſtringi, quia Breuiaria illa ſunt à Pio V. abolita, & vt nos etiam diximus, per ea Breuiaria non ſatisfit obligationi. Non inquàm obſtat, quia propoſitio noſtra procedit ex ſuppoſitione, quod aliud Breuiarium non adſit; & hoc ſolo caſu dicimus, vt ſatisfiat obligationi officij Diuini, quæ potior eſt, & præualet, alio approbato, ſi adſit, Breuiario orandum. Nec Pius V, de hac ſuppoſitione cogitauit, ſed ſolùm declarauit, alio Breuiario non ſatisfieri, vt omnes Romanum morem ſequerentur; quod eſt quid diuerſum; adeòque neque ad hunc caſum extendenda eſt eius diſpoſitio, quod ſcilicet nec in tali caſu ſatisfiat obligationi, cum diſpoſitiones non trahantur ad incognita. Quin, ſi Papa id cogitaſſet, veroſimilius eſt, quod & ipſe declaraſſet, quocumque alio Breuiario approbato (dempta malitia) perſoluendum officium, potiùs quàm ex defectu Romani Breuiarij omninò dimittendum, eo modo, quo permiſit vſum Breuiariorum antiquorum per aliquod tempus, donec compararentur Romana correcta, ea ratione, ne ob defectum nouorum omitteretur officium.

79 Quoad priuilegia verò iam dictum eſt *num. 73.* commenſales Cardinalium, & Epiſcoporum poſſe ſe cum illis conformare in modo recitandi officium. Prò quo facit S. Congregationis Rituum declaratio ſub die. 11. Iunij. 1605. debere ſcilicet recitantes officium cum Epiſcopo, ſiue ſæcularis, ſiue Regularis ille ſit; cum Epiſcopo conformare, vt referunt Nouarius

uarius in *Lucern. Regul. verb. Officium. num. 6.* & Pax Iordan. *tom. 2. lib. 10. tit. 39. num.* 18. Sed Tancredus de *Relig. t. 3. d. diſp.* 11. *num.* 2. adductis Cardinal *Cap. penult. & vlt. d.* 12. Archidiac. Turrecr. Sot. Nauarr. Vaſquez, Bellarmin. & Filliuc. dicit ſuprà *eod. num.* 73. adductæ Clementinæ priuilegium valere, etiamſi non cum Cardinale, vel Epiſcopo, ſed ſeorſim, dummodò commenſales, recitent officium.

80 Refertur etiam priuilegium quoddam Innocentij IV. quo Fratribus Minoribus, etſi Romano ritui addictis, conceditur extrà Conuentum poſſe cum Religioſis alterius inſtituti per eorum Breuiaria officium perſoluere, & oneri ſatisfacere; quod per Conſtit. Pij V. non reuocatum dicunt Miranda in *Manual. t. 1. q. 37. art. 13. in concl.* Hieronymus Roderic. in *Compend. reſol. 24. num. 8. & 34.* Martinus à S. Ioſeph in *Summ. tom. 1. lib. 2. tract. 4. de orat. num. 19.* Sanctorus de Melfi *ibid. cap. 3. ſtatut. 2.* Sed dubitari poteſt, an verum hoc ſit, cum non appareat, quem fauorem, aut vtilitatem recipere poſſit vnus ex Minoribus ab omiſſione proprij, & recitatione officij cum alterius inſtituti Religioſo, vtendo eius Breuiario? Sed poſito, quod ſit, dubitat Lezana *t. 1. p. 1. cap. 12. num.* 18. an ſit viuæ vocis oraculum, quo caſu non valere reſoluit. Ego ſaltem non video, quomodò ſuſtineri poſſit, non fuiſſe reuocatum huiuſmodi priuilegium, cum clara ſint Pij V. *Conſtit. 64. Quod à Nobis &c.* verba, ibi: *Omnes verò, & quaſcumque Apoſtolicas, & alias permiſſiones, ac conſuetudines, & ſtatuta etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia firmitate munita, nec non PRIVILEGIA, licentias, & indulta precandi, & pſallendi tam in Choro, quàm EXTRA illum more, & ritu Breuiariorum ſic ſuppreſſorum, prædictis Eccleſijs, Monaſterijs, Conuentibus, Militijs, Ordinibus, & locis, nec non S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & alijs Eccleſiarum Prælatis, cæteriſque omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis Sæcularibus, & REGVLARIBVS vtriuſque ſexus quacumque cauſa conceſſa, & approbata, & innouata quibuſcumque concepta formulis, ac decretis, & clauſulis roborata, omninò reuocamus, volumuſque illa omnia vim, & effectum de cætero non habere &c. neminemque ex ijs, quibus hoc DICENDI, pſallendique munus neceſſariò impoſitum eſt, niſi hac ſola forma ſatisfacere poſſe*; & cum Caſſarub. & Donato dictum eſt *num. 68.*; etſi enim non ſit ſuppreſſum, & reuocatum Breuiarium v. g. Benedictinum quoad ſe; eſt tamen reuocatum quoad eos, qui Romanum ritum ſequi tenentur, cum his ſit alio vti prohibitum; & reſpectu horum, Breuiaria exemptorum non poſſint dici canonica, vt benè Sanchez *Conſil. moral. tom. 1. lib. 7. cap. 2. dub. 24. num. 2.* Vel ſaltem non fauere Religioſo, cui ex inſtituto eſt, alieno Breuiario vti cautum. Leander *ibid. q. 20.* Et in omni caſu obſeruandum, non ità ſuffragari hoc priuilegium, vt poſſit quis id præſtare ſuo libitu, ſed ſolùm ratione itineris, vel ex aliqua alia iuſta cauſa, vt aduertunt idem Martinus

à S. Ioſeph *loc. cit.* & Martinus de Alcolea in *not. margin. ad Oper. Dian. coordin. t. 3. tract. 6. reſol.* 103.

81 Senſus porrò præfatæ clauſulæ *iuxtà ritum Romanum* hic eſt, quod Diuinum officium celebretur, prout extat in Breuiario ordinatum. Hieronymus à Politio ad *d. cap. 3. Regul. S. Franc. num.* 1. ſeu iuxtà Rubricas eiuſdem Breuiarij. Sanctorus de Molphi *loc. ſup. cap. 3. ſtatut.* 1. *in margin.* Antonius de Pattis in *Expoſit. Præcept. eiuſd. Regul. cap. 3. art.* 1. *num.* 2. hoc eſt, ſicut in ipſo Breuiario, Kalendario, & eius Rubricis habetur. Corduba in *eamd. Regul. & cap. 3. q.* 1. §. *Notandum etiam ſecundò*. Et ſecundùm omnes ceremonias, ritus, rubricas, & ordinationes Breuiarij Romani. Rouſſerius de *ſtat. & origin. Ordin. S. Franciſ. cap. 3. q.* 1. §. *In primis*. Quamuis enim hi Auctores loquantur de clauſula *ſecundùm ordinem Romanæ Eccleſiæ* prout in eorum Regul. *d. cap.* 3. idem quoad ſubiectam materiam videtur vtriuſque clauſulæ eſſe ſenſus. In terminis autem *Romani ritus*, ſic eam explicat Peyrin. in *Regul. Minim. d. cap.* 4. §. 12. *q.* 9. *num.* 1. quod in Diuini officij recitatione obſeruentur hæ ſeptem conditiones, Integritas, Ordo, Qualitas, Locus, Tempus, Attentio, & Deuotio, quæ à Romanæ Eccleſiæ ritu in Diuino officio exiguntur; à quo non abeſt Silueſter Bartolucius in *Declarat. Regul. Minor. cap.* 3. Et vtique intelligendo nomine *Diuini officij*, non ſolùm horas canonicas, ſed etiam Miſſam. De Pattis *ibid. nu.* 1. & 2. Serena conſcientia apud Dominicum Menghi in *Viridar. cap. 3. q.* 52. Peyrin. *ibid. num.* 1. Rouſſerius *d. q.* 1. quod nempè & in Miſſa prædicta reſpectiuè prout in Miſſali Romano obſeruentur.

82 Vnde colligitur, quod ſi Papa v.g. officium ſpeciale, vel alicuius Sancti extrà Kalendarium, aut alio ritu, vel forma à Breuiario, vel Miſſali Romano celebraret, non poſſe à nobis recitari, cum non ſit iuxtà Romanum ritum, niſi quando ipſe ab Eccleſia recitari præcipit. De Pattis *ibid. num.* 2. Serena conſcientia apud eumdem *cit. q.* 52. Corduba *d. q.* 1. §. *Notandum tertiò*. Colligitur item, quod v.g. Mediolani, vbi ſecundùm ritum Ambroſianum Feſtum S. Matthiæ cum præcedenti ieiunio celebratur die 7. Februarij, à nobis, & omnibus ritui Romano adſtrictis celebrandum ſit die 24. eiuſd. menſis, prout in Breuiario Romano, quia talis eſt ritus Romanæ Eccleſiæ, quem obſeruare debemus. Bordon. *reſol.* 124. *num.* 31.

83 Aduertendum tamen circà hæc omnia ſeruanda eſſe à Regularibus eorum propria ſtatuta. A Politio *loc. ſupr. num.* 4. Portell. *Reſponſ. moral. t. 1. p. 3. cap.* 28. *num.* 4. Lezana *t. 1. p. 1. cap.* 12. *num.* 18. & *tom. 2. verb. Breuiarium, num.* 3. Bellaſius in *Promptuar. Regul. eod. verb. Breuiar. num.* 1. & *verb. Offic. Diuin. num.* 9. Leander *tom. 6. tract. 8. diſp. 3. q.* 6. quo fit, vt Religiones quamplures ex Sedis Apoſtolicæ priuilegio officia propria

San-

Sanctorum ſuorum, quæ non perſoluit Eccleſia, tum diuerſa ab illis, quæ ſunt in Breuiario, tum particularibus ceremonijs celebrent; nec tamen cenſentur ritu diuerſo à Romano celebrare, cum in ſubſtantialibus cum illo concordent v.g. quoad officium in triplicitate Nocturnorum, numero nouem lectionum, identitate Pſalmorum, ordine item, & diſpoſitione Capitulorum, Hymnorum, ac Orationum non ſolùm reſpectu Matutini, ſed etiam in omnibus horis canonicis; & quoad Miſſam in identitate Canonis, & ſerie confeſſionis, Introitus, Collectarum, Epiſtolæ, Gradualis, Euangelij, Symboli &c. in quibus Romani ritus identitas conſiſtit, vt eruditè Cardinalis Bona *Rer. liturgic. lib. 1. cap. 7.*

# OBSERUATIO SECUNDA.

## Ad Text.

*Matutinum ſemper media nocte dicatur, exceptis die, & Octaua SS. Sacramenti, & tribus vltimis diebus maioris Hebdomadæ, in quibus morem aliarum Eccleſiarum ſequantur.* Conſtit. *d. p.* 1. *cap.* 1. §. 1.

## SECTIO PRIMA.

### *De Matutini tempore, & media noctis ſenſu.*

84 NOcturnum officium, quod Matutinum, & Laudes comprehendere diximus à *num.* 8. quatuor, & diſtinctis temporibus, hoc eſt tres nocturnos iuxtà tres primas noctis vigilias: laudes verò quarta iam propè Auroram vigilia (quando ſcilicet tres nocturni dicendi erant; nam quando vnus ſolus, duabus tantùm vicibus, hoc eſt in media nocte ad nocturnum, & iterùm in quarta vigilia ad laudes) recitari ſolitum fuiſſe, habemus à Guilelmo Durando *lib.* 5. *Rational. Diuin. Officior. cap.* 3. Stephano Durant. de *Ritib. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 4. & *cap.* 5. *num.* 4. Marcello Francolino de *temp. horar. canonic. cap.* 2. *num.* 14 *& cap.* 5. *nu.* 2. *&* 8. Io: Bapt. Rubeo in *nou. Rational. Diuin. Offic. lib.* 3. *cap.* 17. Quod tamen in dubium reuocari video poſt Azorium *lib.* 10. *Inſtit. Moral. cap.* 2. à Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *à num.* 3. *& ſeq.* & Caramuel. *Theolog. Regul.*

*gul. tom.* 1. *ànu.* 1119. licet S. Thomam venerantes, qui in 1. *ad Corinth.* 14. *lect.* 6. dixit: *Antiquitùs dicebantur nocturna diuisim ſecundùm tres vigilias noctis, nunc autem dicuntur ſimul*, id aliquando tantùm, & feſtis diebus, nec vbique eueniſſe admittant Suarez *d. cap.* 4. *num.* 8. & Caramuel *ibid.* Quidquid tamen de hoc ſit, ſatis mihi, quod ab Eccleſia Romana non id legatur obſeruatum: *Quantum verò temporis* (ità Suarez *d. num.* 8.) *illa conſuetudo durauerit, & quibus in locis, & præſertim, an Eccleſia Romana eam amplexa fuerit, non conſtat. Quoad hoc verò vltimum, probabile ſatis eſt in Romana Eccleſia non fuiſſe hanc conſuetudinem.*

85 Et quod dubio caret, eſt, quod quando Matutinum vna cum laudibus decantari inſtitutum fuit, ſtatutum quoque fuit, vt media nocte omnes ſurgerent, & totum Nocturnorum Officium vna cum ipſis laudibus illa hora continuarent. Guilelm. Durand. *d. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 3. Rubeus *cit. cap.* 17. §. *ad tertium Nocturnum*. Peyrin. in *Regul. Minim. cap.* 4. §. 12. *q.* 3. *num.* 2. & cum Ioan. Beleth. in *Rational. cap.* 20. Francolinus *ibid. cap.* 5. *num.* 9. vbi & talem horam ab antiquioribus obſeruatam fuiſſe, quando non tres, ſed tantùm vnus Nocturnus decantabatur, vt ex pluribus Sanctis Patribus, qui, vt *ibid. cap.* 2. videre eſt, mediæ noctis ſemper mentionem faciunt; & notant Clicthoueus in Expoſit. Hymni *Nocte ſurgentes &c.* vbi ait, quod Matutinum Officium ſecundùm Eccleſiæ primitiuæ inſtitutum circa medium noctis curriculum celebrari ſolitum eſt ad imitationem S. Prophetæ dicentis: *media nocte ſurgebam &c.* & ex Patribus oſtendunt Caramuel. *loc. cit. num.* 1120. Sanctorus a Melfi in *ſtatut. Minor. cap.* 3. *ſtatut.* 4. ſed fuſiùs Stephanus Durant. *ibid. lib.* 3. *cap.* 6. *à num.* 2. *& ſeq.* Prò quo etiam facit, quod de ritu eiuſdem verſiculi *Media nocte ſurgebam*, *lib.* 4. *de Eccleſ. Offic. cap.* 9. ſic notat Amalarius: *Secundus verſus: Media nocte ſurgebam &c. Iſte oſtendit, qua hora noctis oporteat ſurgere: ſed quoniam negligentes ſumus de tempore, quo ſoliti erant ſurgere Patres noſtri, non audemus mentiri, mutamus verſum iſtum, & dicimus alterum: Quoniam tu illuminas lucernam meam &c.* Saltem Monachorum omnium media nocte nocturnale officium Regij Prophetæ exemplo perſoluendi conſtantem conſuetudinem fuiſſe refert Edmundus Martene de *Antiq. Monach. ritib. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 2.

86 Ob id ergò, quia ſcilicet hic antiquus tum Cleri, tum Monachorum ritus, & item ob myſteria pſalmodiæ in media nocte, de quibus Amalarius in *lib. de Ordin. Antiph. cap.* 4. Stephanus Durant. *ibid. num.* 7. Rubeus *d. cap.* 17. *à* §. *Nocturnale officium, & ſeq.* ac etiam ob maiorem corporis mortificationem Peyrin. *loc. ſupr. num.* 3. media nocte Matutinum, ſeu nocturnos cum laudibus recitari mandant vt ſupra Conſtitutiones; prout & multæ aliæ Religiones obſeruant; & de quibus Maggius de *Sacr. Ceremon. opuſc.* 1. *diſq.* 13. *num.* 73. quibus addendi PP. S. Françiſci de Paula,

vt

vt ex Peyrin. *d. q. 3. num. 2.* quem ſanè ritum congruentiorem, & religioſiorem vocat Durant. *d. cap. 6. num. 6.*

87 Prò cuius porrò ſtatuti intelligentia, quid hic mediæ noctis nomine veniat, obſeruandum eſt. Et noctis medium duobus modis ſumi poſſe, primò, per diuiſionem noctis in duas partes æquales; ſecundò, per ſolam interpoſitionem inter noctis terminos. D. Thom. *3. p. q. 51. art. 4. ad 2.* ex D. Gregor. *hom. 11. in Euang.* Turrecrem. in *Regul. S. Bened. tract. 73.* & *cap. 6. num. 29.* & *cap. 47. num. 19.* Caramuel. *ibid. nu. 1122.* Card. Bona de *Diuin. Pſalmod. lib. 1. cap. 4. §. 3. num. 2.* ſeu, vt explicat Martene *loc. cit.* ſtrictè, *prò eo temporis puncto, quod æqualiter diſtat ab exordio noctis, & ab eius termino*; & latè *prò quocumque temporis ſpatio, quod eſt inter duo eiuſdem noctis extrema &c.* eo modo, quo, vt exemplificat Caietanus ad D. Thom. *loc. cit. in reſponſ. ad vltim.* dicimus *media vita in morte ſumus, & non proptereà limitamus nos, quaſi diuidamus vitam in duas partes æquales; & ſimiliter geſta incluſo die, dicimus facta medio die; & ſubmerſos in mari, dicimus in medio mari ſubmerſos, non diuidendo mare in duas partes æquales.* Et ſic dici poteſt, media nocte perſolui Matutinum, etiamſi nona, vel decima, quando nox quatuordecim horis conſtat, celebretur, cum perſoluatur intrà terminos noctis abſque eiuſdem noctis diuiſione in partes æquales. Francolinus *d. cap. 6. num. 29.* & *cap. 47. num. 21.*

88 Sed non hic eſt Conſtitutionum ſenſus: ſed quod media nocte perſoluatur Matutinum, ſumpto noctis medio ſub prima acceptione, ſeu prò eo puncto, quod æqualiter diſtat ab exordio noctis, & eius termino, & facta in duas partes æquales noctis diuiſione, ſic Conſtitutiones explicante, quæ legum interpres eſt, conſuetudine. Verum tamen eſt, quod in caſu, quo per mediam circiter horam media nocte ſtrictè ſumpta tardiùs perſolueretur, vt in Menſibus Maij, Iunij, Iulij, & Auguſti, in quibus ex Decreto Capituli Gener. de 1612. *ſeſſ. 8. num. 32.* paulò tardiùs, ſeu in quinta noctis hora recitari poteſt, adhuc media nocte perſolui diceretur. Cum namque, vt ad ea verba *cap. 8.* Regul. S. Benedicti, vbi decernitur, *Hyemis tempore octaua noctis hora* ſurgendum, *vt modicè* (quod modicum quandoque horam integram, & vltrà importare ſolet iuxtà Caramuel. in *Nomenclat. Regul. S. Benedict. verb. Octaua hora*) *ampliùs de media nocte pauſetur*, docet in *Commen. num. 7.* Antonius Perez, *parumque prò nihilo reputetur; & idem ſit modicè ampliùs de media nocte pauſare, atque vſque ad mediam noctem dormire*, parùm pariter, & prò nihilo reputabitur exceſſus mediæ horæ; & idem erit modicè poſt mediam noctem Matutinum recitare, ac illud media nocte perſoluere.

89 Et ità quotidiè obſeruandum, ſeu ſingulis noctibus media nocte celebrandum Matutinum ratione dictionis *ſemper*, quæ nullum caſum excludit per allegat. à Barboſ. de *Diction. vſufr. diction. 361. num. 2.* exceptis

tamen

tamen *die*, *& Octaua Sanctiſſimi Sacramenti*, *& tribus vltimis diebus maioris hebdomadæ*, *in quibus aliarum Eccleſiarum* conſuetudo ſeruanda; ex qua exceptione firmatur antecedens regula Matutini, quod ſcilicet ſemper, ſeu omni alio die dicatur mediæ noctis tempore. In his autem diebus exceptis Matutinum cum Laudibus de die hora vigeſima ſecunda celebrandum, vt Populorum deuotioni conſulatur, prout & aliæ ferè omnes Religiones iuxtà Romanæ Eccleſiæ ritum obſeruant. Qua de cauſa & Ordinis Benedictini antiqui Patres, quibus proprius eſt ritus, tam in feſto Corporis Chriſti, quam illis tribus maioris hebdomadæ diebus *Romanum pſallendi ordinem*, *ne à reliquis Chriſti fidelibus diſſiderent*, ſuſceperunt, vt teſtatur Martene *loc.ſupr. lib. 3.cap.* 13. *num.* 1. & *cap.*25.*num.* 3.

# SECTIO SECVNDA.

## *De Octaua SS. Corporis Chriſti, & in eius expoſitione ſeruandis.*

90 ET ſanè tanta eſt eorum dierum ſolemnitas, vt & Populis aſſiſtere, ſpiritualiterque proficere concedendum ſit; adeòque & de die celebranda Officia etiam à Nobis, vt iam vidimus. Feſtum enim Corporis Chriſti, quod ab Vrbano IV. inſtitutum eſt, prout ex eiuſdem Conſtitutione incipien. *Tranſiturus &c.* de ann. 1262. apud Cherubin. *tom.* 1. *Conſtit.* 1. Anton. Bellotta in *Obſeruat. ad Rit. Eccleſ. Laudunen.pag.* 851. Gauant. ad *Rubr. Breuiar.ſect.* 6. *cap.* 20. *num.* 1. & ab eodem Vrbano *ibid.* tam *excelſum*; *& tam glorioſum* appellatur; & cuius officium eiuſdem Pontificis iuſſu à Sancto Thoma compoſitum, vt in eius *Opuſc.* 57. & apud Bellott. *ibid.* licet modò in aliquibus paucis mutatum dicat Gauantus *d.num.* 1. *&* 2. Octauam habet priuilegiatam; ità quod ſolùm de Duplicibus poſſit in ea fieri, iuxtà *Rubric. Breuiar. tit. de Octau. num.* 3. de Duplicibus tamen currentibus, non verò translatis, per eaſd. *Rubric. ibid.* Bernard. Biſſum in *Hierurg. litt. F. num.* 66. §. 1. *litt.O. num.* 16. §. 5. niſi eſſent primæ, vel ſecundæ Claſſis, vt excipiunt Gauantus *ibid. cap.* 7. *num.* 2. Bauldry in *Manual. Sacr. Cerem. part.* 4. *cap.* 16. *art.* 1. *num.* 3. Claudius Arnaud *Epitom. Theſaur. Sacr. Rit. tract.* 2. *part.* 1. *tit.* 7. *num.* 2. & Biſſus *d. litt. F. num.* 66. §. 1. quo caſu ad Veſperas, & Laudes ſemper facienda Octauæ commemoratio, per Gauant. *ibid.ſect.* 3. *cap.* 12. *num.* 25. Guyet. de *Feſtis propr. Sanct. lib.* 4. *cap.* 6. *q.* 2. Arnaud *ibid.nu.* 3. & Biſſum *litt. O. num.* 16. §. 3. & occurrentibus duobus eadem die Duplicibus, de vno tantùm faciendum ſit officium, poſt Octauam alterum transferendum ex S. Congreg. Rit. declarat. 7. Decembris 1680. prò Canonic. Lateranenſ.

vt in *Collectione declarationum eiuſdem S. Congregationis poſt Officia propria Canonicor. Regular. impreſſ. Venetijs*. 1687. Et de Simplicibus ſola commemoratio ſine nona lectione. Idem Biſſus *ibid.* non obſtante quod contrarium quoad lectionem ſcripſerit Gauantus *d. cap.* 20. *num.* 4. ex poſteriore ad Gauantum S. Congregationis Rit. decreto ſub die 8. Iunij 1669. apud eumdem Biſſum *ibid. litt. L. num.* 45. §. 4. Et in die Octaua de nullo alio, præterquàm de Feſto primæ Claſſis cum commemoratione diei Octauæ in vtriſque Veſp. ad Laudes, & Miſſam. Bauldry *loc. ſupr. num.* 4. Arnaud, *d. tit.* 7. *num.* 8. *&* 17. Biſſus *litt. D. num.* 144. *& litt. F. d. num.* 66. §. 1. Nec in ea Miſſæ votiuæ celebrari (quidquid dicat Paſqualigus de *Sacrific. Non. leg. q.* 239. qui tamen loquitur attentis Rubricis) ex Decreto S. Congregat. Rit. de 1670. Biſſus *ibid. litt. M. num.* 233. aut de Requiem. Idem *d. litt. M. num.* 243. §. 16.

91 Eſt item priuilegiata ob plures Indulgentias ab Vrbano IV. illis; qui verè pænitentes, & confeſſi tum diei feſti, tum Octauæ officijs in Eccleſia aſſiſtunt, conceſſas; à Martino V. duplicatas, vt habet idem Martinus in Conſtit. *Ineffabile Sacramentum*. §. 2. ab Eugenio IV. iterùm auctas, vt in eius Conſtit. *Excellentiſſimum Corporis*. §. 1. *&* 2. quas enumerans, & prò tota Octaua in vnum colligens Edmundus Martene *loc. cit. lib.* 3. *cap.* 25. *num.* 10. dicit eſſe dierum. 11300. non incluſis alijs centum dierum prò communicantibus; & quas valere etiam ſi contingat officium fieri de alio Duplici, ex Ioann. XXII. decreto ſcribit Bauldry. *d. cap.* 6. *art.* 1. *num.* 6. quod manuſcriptum vidiſſe teſtatur Gauantus *cit. ſect.* 6. *cap.* 19. *num.* 5.

92 Et quoniam in hac Octaua, vt plurimùm Sanctiſſimo Sacramento expoſito celebrari ſolent officia, & apud Nos ad Miſſam ſaltem, Veſperas, & Matutinum exponi debet, iuxtà Ceremonial. *lib.* 4. *cap.* 17. obſeruandum eſt, tam in expoſitione, quàm in repoſitione canendum ſemper à Choro *Tantum ergò Sacramentum &c.* Ceremonial. *ibid.* Et quoad expoſitionem, Bauldry. *d. cap.* 16. *art.* 5. *num.* 6. *art.* 6. *num.* 5. *& art.* 8. *num.* 3. 4. *&* 6. Biſſus *ibid. litt. E. nu.* 232. §. 2. Et quoad repoſitionem, idem Bauldry *ibid. art.* 3. *num.* 31. *art.* 5. *num.* 7. *& art.* 9. *num.* 5. Biſſus *ibid.* §. 2. Verſiculum verò *Panem cæli dedit eis &c.* ab Acolythis aſſiſtentibus, & numquàm à Celebrante. Bauldry. *d. art.* 3. *num.* 32. *art.* 7. *num.* 3. *& art.* 13. *num.* 4. vbi eſſe contrà ritum Romanum, ſi à Celebrante dicatur.

93 An autem, dum non ſolemniter, ſed per ſolam oſtij Tabernaculi aperitionem ob aliquam occurrentem cauſam, vtpotè alicuius Magnatis infirmitatem, vel ſimilem exponitur, & reponitur, iuxtà Decret. Sacr. Congreg. Epiſcopor. die 7. Septembris, de quo Lantuſca in *Theatr. Regular. verb. Euchariſtia. à num.* 1. & ad quam nulla Ordinarij licentia requiri docet Hippolytus Tonellus in *Sacr. Enchirid. lib.* 2. *cap.* 3. §. 4. *nu.* 9.

ſit canendum *Tantum ergò Sacramentum &c.* videtur quod non, vt ex Bauldry, qui *cit. art.* 13. *num.* 6. tunc preces dicendas non eſſe ſcribit, ſicut & Tonellus *loc. cit. num.* 10. Prò quo facit, quod in noſtro Ceremoniali *lib.* 4. *cap.* 6. *& lib.* 5. *cap.* 4. in conſimilibus expoſitionibus Sanctiſſimi, nulla verſ. *Tantum ergò Sacramentum* mentio habetur. Sed ego laudarem & in hac particulari, & vt ità dicam quaſi priuata expoſitione, atque repoſitione præfatos ex Hymno *Pange lingua* verſiculos *Tantum ergò Sacramentum &c.* recitari cum Bellotta *loc. ſupr. pag.* 859. *num.* 17. ſaltem à Sacerdote exponente, & Miniſtris aſſiſtentibus, maximè cum etiam in communione, quæ fit extrà Miſſam dicendæ ſint antiphona, & Oratio ex Ritual. Roman. *de ordine miniſtrandi Sacram. communion.* vt habent Gauant. *tom.* 1. *p.* 3. *tit.* 9. *ad num.* 4. Bauldry *ibid. p.* 3. *cap.* 8. *num.* 10. Caſtaldus *Prax. Ceremon. lib.* 2. *ſect.* 14. *cap.* 7. *num.* 10. & Biſſus *ibid. litt. O. nu.* 135. ſicut & in tali caſu illud tum in expoſitione, tum in repoſitione incenſare, vt monent idem Bauldry. *art.* 8. *num.* 4. *& art.* 13. *num.* 7. Bellotta *cit. num.* 17. & Tonellus *eod. num.* 10. Nec video, quomodò in noſtro Ceremoniali *lib.* 5. *cap.* 4. dicatur, non adhibendam in ſimili caſu incenſationem, cùm in minus ſolemni expoſitione, & quæ citò expeditur, vtpotè prò Votorum renouatione in die Epiphaniæ *ibid. lib.* 4. *cap.* 6. incenſatio requiratur; & in Viſitationibus omnes Prælati, etiamſi per modiciſſimum tempus extrahatur, incenſare conſueſcant. In omnibus tamen caſibus, dum reponitur, benedictionem cum Sanctiſſimo dandam eſſe non eſt dubium, cum ità quoad ſolemnem expoſitionem communiter DD, & quoad non ſolemnem, Bellotta, *d. num.* 17, & noſtrum Ceremoniale *cit. lib.* 4. *cap.* 6. *&* 17. *& lib.* 5. *cap.* 4. & dandam ſolùm poſt Orationem, ex eod. Ceremonial. *ibid.* Tonell. *loc. ſupr. ſect.* 3. *num.* 7. Biſſ. *d. litt. E. num.* 232. §. 3. numquàm verò, cum dicitur verſus *ſit & benedictio*, cum id ritui Romano aduerſetur. Bauldry *cit. art.* 3. *num.* 36. Aliqua de ritu in recitando *Tantum ergò &c.* infrà.

## SECTIO TERTIA,

### *De Officijs tenebrarum, & eorum quibuſdam ritibus.*

94 QVo verò ad Officia tenebrarum in vltimo hebdomadæ maioris triduo, in quo triduanæ Chriſti exequiæ celebrantur, vt ait Rupertus *lib.* 5. *cap.* 4. vnde & hebdomada maior dicitur, & præ cæteris inſignior habetur, Microlog. *de Eccleſ. obſeruat. cap.* 52. nemo eſt, qui ignoret, magna, & multa eſſe eorum myſteria; & de quibus Guielmus Durandus in *Rational. Diuinor. Offic. lib.* 6. *à cap.* 72. *ad.* 77. Io: Be-

leth

leth in ſimil. *Rational. à cap.96. ad.* 111. Gauantus ad *Rubric. Breuiarij ſect.6. cap.* 13. & Carellus *Doctrin. Sacr. Rit. p.* 2. *Dialog.* 14. *& ſeq.* & ideò, vt ad ea conueniant populi, de die ſerò antecedente celebrantur, per Carell. *ibid. cit. Dialog.* 14. *pag.* 271. *fin.* eo modo, quo Veſperæ in Sabbato Sancto & breuiores ſunt, & cum Miſſa finiuntur, ne Populus ſine Veſperis Paſchalibus recedat, vt notat Beleth. *d. cap.* 111.

95 Et quia quoad ritum huiuſmodi Officiorum aliqua in noſtro Ceremoniali vel deſiderari, vel in dubium vocari video, adnotare hic libet primò, Candelabrum triangulare cum quindecim candelis prò Matutinis, in plano quidem ante Altare maius, non quidem in medio, ſed in parte ſiniſtra collocandum eſſe, ex Gauant. *d. ſect.* 6. *cap.* 13. *num.* 7. Caſtaldo *Prax. Ceremon. lib.* 3. *ſect.* 6. *cap.* 1. *num.* 1. Biſſo *litt. C. num.* 56. *& litt. H. num.* 24. §. 3. Arnaud *ibid. p.* 4. *tit.* 13. *num.* 4. iuxtà Ceremonial. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 22. & ſignanter in loco, vbi ſolet Subdiaconus aſſiſtere Celebranti, dum dicit Introitum Miſſæ. Bauldry *loc. ſup. cap.* 8. *num.* 2. Vnde diſpoſitio hæc Ceremonialis noſtri *lib.* 4. *cap.* 10. *In medio ante infimum Altaris gradum ponatur candelabrum triangulare, & non à parte Epiſtolæ vt dicit Ceremoniale Epiſcoporum, quia in Eccleſijs noſtris non eſt Faldiſtorium Epiſcopi medium Eccleſiæ impediens,* corrigenda videtur; quia quando re vera reponendum eſſet vbi faldiſtorium aptari ſolet, adhuc ita collocari deberet, *vt ſit quaſi collaterale cornu Epiſtolæ*. Bauldry *ibid.* Sed verum non eſt, quod in Ceremoniali Epiſcoporum à latere Epiſtolæ reponi demandetur huiuſmodi Candelabrum ob Epiſcopi faldiſtorium, quod in medio exiſtat; primò, quia in eodem Ceremoniali ſupponitur Epiſcopus celebrare, ſeu ſtare in propria ſede, aut in Choro, non autem in faldiſtorio, ibi: *Epiſcopus veniat cum cappa ad Eccleſiam &c. & factis ſolitis orationibus ſibi ipſe trahens cappæ caudam per terram, accedit ad ſuam ſedem, nullo ſibi tunc Canonico aſſiſtente. Quod ſi magis placeret accedere ad Chorum apud Canonicos, eſſet laudabile.* Secundò, quia faldiſtorium, quando in ipſo Epiſcopus celebrat, collocandum eſt, non in medio, ſed à latere Epiſtolæ; ſic enim in eod. Ceremonial. *lib.* 1. *cap.* 12. legitur: *Faldiſtorium quoque, ſi eo vtendum erit prò ſeſſione Epiſcopi celebrantis parum diſtans ab infimo gradu Altaris à latere Epiſtolæ locandum eſt.* Et ideò Bauldrius, qui dixit, huiuſmodi triangulare candelabrum in cornu Epiſtolæ ponendum, *vbi ſolet Subdiaconus Celebranti aſſiſtere &c.* dum ſubdit, *vel vbi ſolet poni faldiſtorium Epiſcopi,* addit, *dum in eo Epiſcopus celebrat*; quod idem eſt ac dicere, in cornu Epiſtolæ, vbi in faldiſtorio celebrat ex dictis Epiſcopus; & ideò reſoluit: *ità vt candelabrum triangulare ligneum ſit quaſi collaterale cornu Epiſtolæ*; & ſic non apparet, quomodò ob Epiſcopi faldiſtorium dicatur præfato candelabro cornu Epiſtolæ aſſignatum. Quod ſi vrgeat apparere ex eo, quod, dum ad Altare accedit Epiſcopus, debeat ſuper faldiſtorio ante medium Altaris collocato

orare, nullius erit momenti obiectio; cum namque ſtatim remouendum ſit ex Bauldry *ibid. p. 5. cap. 11. art. 14. num. 2.* ibi: *Aduertat autem ſedulò, quando Epiſcopus ſedere debet, aut genuflectere, vt opportunè illud deferat, & cum eo opus non erit, loco congruo reponat*; ob hunc tranſitorium faldiſtorij vſum non eſt credendum toto Matutini tempore in parte Epiſtolæ ex Ceremonialis Epiſcopor. præſcripto retinendum eſſe huiuſmodi candelabrum. Non ergò propter faldiſtorium, quod medium occupare debeat, ex parte Epiſtolæ collocandum eſt, ſed ob particulare myſterium, quia ſcilicet ſiniſtrum cornu Altaris eſt, quod in Miſſa Hebræos ſignificat, ad quos primò venit Chriſtus, vt ex Iuone Carnot. *ſerm. de conuen. nou. & vet. ſacrific.* Gauantus *d. num.* 7. ni velimus in ſiniſtro latere protendi ſiniſtros euentus in Chriſto. Gauant. *ibid.* Et ideò, cum non ſit ratio huius myſterij ſignificationem reijciendi, nec in medio debet candelabrum collocari.

96 Secundò, dum celebrans incipit Antiphonam *Zelus domus tuæ &c.* & ipſum, & reliquos de Choro ſigno Crucis ſe ſignare (quod in noſtro Ceremoniali deſideratur) non minus ac quando dicitur *Deus in adiutorium &c.* non ſolùm poſſe, vt Gauantus *d. cap. 13. num.* 8. ſed & debere, vt Caſtaldus *d. cap. 1. num. 6*, Carellus *cit. Dialog.* 14. *pag.* 274. *col.* 1. Bauldry *eod. cap.* 8. & eſſe valdè conueniens, maximè his diebus, quibus Crucis vexillum prodit. Biſſus *ibid. litt. M. nu.* 119. §. 2. *& litt. S. nu.* 157. quod idem obſeruandum in initio horarum, dicunt Caſtaldus *ibid.* & Biſſus *eod. num.* 119. §. 2.

97 Tertiò, in Oratione *Reſpice quæſumus &c.* (quæ genuflexo dicenda eſt a Celebrante, vt habent Paulus à S. Io: in *noſtr. Ceremonial. cit. cap.* 10. iuxtà Ceremonial. Papæ *lib.* 2. *cap.* 42. & Epiſcopor. *lib.* 2. *cap.* 22. Gauant. *d. cap.* 13. *num.* 20. Caſtaldus *cit. ſect. 6. cap.* 1. *nu.* 12. Bauldry *eod. cap.* 8. *num.* 21. Biſſus *cit. litt. M. num.* 119. §. 9. & capite aliquantulùm inclinato, Ceremonial. Epiſcop. Caſtaldus, & Bauldry *loc. cit.*) ea verba, *Qui tecum viuit, & regnat &c.* quæ ſubmiſſa voce dicuntur à celebrante, ab omnibus pariter ſubmiſſa voce eſſe dicenda, vt aduertit Carellus *cit. Dialog.* 14. ob eamdem rationem, quod non altè, ſed ſubmiſsè ea proferat Celebrans. Et item genuflectendum in Choro, dum Oratio dicitur in Miſſa Feriæ V. prout Paulus à S. Io: *ibid. cap.* 11. Quod tamen in nullo Ceremoniali lego, niſi fortè ea ſit ratio, quia genuflectitur ad Orationem, & in Horis officij, & ad mærorem indicandum, prout de genuflexione ad Orationem in Miſſa Defunctorum, Gauantus ad *Rubr. Miſſ. p.* 1. *tit.* 17. *num.* 5. *litt. T.* Quod idem dicendum de genuflexione ad Orationem, quæ dicitur poſt Communionem, licet de hoc nihil habeat Paulus à S. Io: *d. cap.* 11. cum tamen in Miſſis Feriarum Aduentus, Quadrageſimæ, quatuor Temporum, Vigiliarum, quæ ieiunantur (excepta Vigilia Natiui-

tatis,

tatis, Paſchæ, Pentecoſtes, ac etiam quatuor Temporibus eiuſd. Pentecoſtes) & in omnibus Miſſis Defunctorum, in quibus genuflectitur ad Orationem ante Epiſtolam, genuflectatur & ad illam poſt Communionem, ex eodem Paulo à S. Io: *ibid. lib.* 2. *cap.* 5. §. 1. Gauant. *ibid. litt. X.* idem & in præſenti videtur dicendum. Quod ampliat Bauldry *ibid. p.* 2. *cap.* 3. *num.* 5. & *cap.* 21. *num.* 6. ad locum Refectorij, ſeu, quod & ibi, dum prò refectione dicitur eadem oratio, genibus flexis dicenda ſit. Quod tamen obſeruari nec video, nec credo debere, cum id non decernatur in Rubric. ad benedictionem menſæ prò Feria V. in Cæna Domini ad calcem Breuiarij, ſicuti neque id decernitur de Pſalmo *Miſerere*; & quamuis ibi legatur, Orationem *Reſpice* quæſumus, dicendam eſſe à Celebrante *vt in Officio*, non videtur per dictionem *Vt* repeti, aut appellari modus dicendi Orationem, ſed ſubſtantia ſolùm Orationis, vt ea dicatur Oratio, quæ in Breuiario; quod ſi genuflectendum eſſet, abſque dubio aliquo modo indicatum fuiſſet. Genuflectendum eſt verò, ſed ſimplici genuflexione, ſeu vnico genu, quotieſcumque in Paraſceue tranſire contingit ante Crucem, vel ad eam quis accedit, aut ab illa recedit. Paulus à S. Io: *d. cap.* 5. §. 2. Gauantus ad *Rubric. Miſſ. p.* 4. *tit.* 9. *litt. S.* ex Cerem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 25. Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 7. *cap.* 2. *num.* 2. ex S. Congregationis Rit. declaratione; quod Gauantus *ibid. tit.* 8. *num.* 13. eius Compendiator Arnaudius *d. tit.* 8. *num.* 20. Barthol. Corſetus in Nouiſſ. Prax. Sacr. Rit. *tract.* 1. *p.* 2. *cap.* 6. *num.* 21. & Bauldry *part.* 4. *cap.* 9. *art.* 4. *num.* 8. reſtringunt ad Crucem in Altari maiori, & ad totum triduum extendunt; vbi hunc eſſe morem S. R. E. Cardinalium in Capella Papali. Bauldrius *ibid.* Biſſus *litt. C. num.* 576. qui ambo ex Caſtaldo *loc. cit.* dicunt ita à S. Rituum Congregatione deciſum. Sed re vera Caſtaldus non hoc dicit: ſed tantùm ità deciſum prò die Paraſceue, vt benè notant Gauantus *d. nu.* 13. & Maggius de *Sacr. Cerem. opuſc.* 2. *diſquiſ.* 33. *num.* 208. Quare non recedendum à diſpoſitione prædicta noſtri Ceremonialis, cum id ſit communius, vt *ibid.* obſeruat Maggius.

98 Quartò, circà difficultatem illam Orationis *Sacroſanctæ*, an poſt Horas Canonicas ſit in hoc triduo recitanda nec ne, & benè præſcribatur in noſtro Ceremoniali *d. lib.* 4. *cap.* 10. ibi: *Finito ſtrepitu, ſtatim Præſidens ſubmiſſa voce incipiat Sacroſanctæ*; videri quidem omittendam eſſe, cum, ex eo quod Rubricæ Breuiarij poſt Laudes prò Feria V. maior. Hebdomadæ ſic diſponant: *Finita Oratione fit fragor, & ſtrepitus aliquantulùm: mox profertur candela accenſa de ſub Altari, & omnes ſurgunt, & cum ſilentio diſcedunt*, videantur tunc quoad cætera omnia ſilentium indicere. Qua de cauſa (quod ſcilicet poſt Orationem cum ſilentio diſcedendum ſit, vt etiam notant Caſtaldus *cit. lib.* 3. *ſect.* 6. *cap.* 1. *num.* 13. Bauldry *eod. cap.* 8. *nu.* 22. Biſſus *litt. M. num.* 119. §. 9.) nec oratio Dominicalis, quæ aliàs poſt horas

ras Canonicas dicitur, tunc dicenda eſt. Bauldry. *cap. 9. art. 5. num. 23.* nec Verſ. *Dominus det nobis ſuam pacem*; nec Antiphonæ B. V. nec *Fidelium animæ &c.* Vnde Gauantus *d. cap. 13. num. 20.* ſic habet: *In fine Horarum huius tridui non dicitur Oratio Dominica, nec aliud quidquam, quia nulla eſt Rubrica, quæ id ſignificet; & quæ neceſſariò dicenda ſunt, ſatis apertè deſcribuntur*; Et ſic, ſi per Rubricam *cum ſilentio diſcedunt*, omnes aliæ preces interdicuntur, nec locus eſſe videtur Orationi *Sacroſanctæ &c.*

99 Sed quia hæc clauſula, *cum ſilentio diſcedunt*, benè perpenſa non videtur intentum importare, ſed poſita tantùm ad euitandas collocutiones, vt apparet ex his Caſtaldi obſeruationibus *ibid. ſect. 6. cap. 4. num. 12.* vbi de Altaris maioris denudatione poſt Veſperas vna cum Choriſtis facienda loquens, hæc addit: *Tandem completo Pſalmo, & repetita antiphona datur ſignum cum tabula, vt fit in ſalutatione Angelica, loco ſigni meridiani, & interim omnes genuflexi orant. Poſtmodùm Celebrante ſurgente, in Sacriſtiam per ordinem reuertuntur, vbi paramentis, ac ſuperpelliceis depoſitis omnes ſilentio, & abſque vlla ſalutatione recedunt; quod præcipuè in hoc triduo ſeruandum erit.* Item *ſect. 7. cap. 4. num. 18. Dicta Oratione, Reſpice quæſumus &c. prò Veſperis datur ſignum cum tabula prò Salutatione Angelica meridiana, & tunc extinguuntur cerei in Altari, & ſuprà cancellos, omneſque cum ſilentio, & abſque vlla ſalutatione diſcedunt.* Item *cap. 5.* vbi de celebratione Epiſcopi in Paraſceue *num. 11.* poſt dictam prò Veſperis Orationem, *Publicantur Indulgentiæ, & omnes ſilentio, & abſque ſalutatione recedunt*; & *nu. 54.* de Cardinalibus loquens ſic habet: *Qui finito officio, deductoque Pontifice ad cameram paramentorum diſcedunt ſine confabulatione aliqua*; Cum, inquam, appareat, ad quem finem ea verba, *cum ſilentio diſcedunt*, poſita ſint, hoc eſt ad euitandas collocutiones ob dierum reuerentiam, & ad mærorem indicandum, quandoquidem non alio fine concipi poteſt, poſt dimiſſa in Sacriſtia paramenta, cum ſilentio diſcedendum eſſe; non eſt dicendum, appoſita eſſe ad omnium aliarum precum excluſionem; ſecùs nec in Choro dicenda eſſet ſalutatio Angelica, quam ex Bauldry tamen ibi dicendam vidimus. Quod ſi preces, nempè Oratio Dominicalis, Antiphonæ B. V. &c. dicendæ non ſint, vt re vera dicendæ non ſunt, hoc colligendum ex eo eſt, quod a nulla Rubrica ſignificetur aliquid aliud in illo triduo eſſe dicendum, *& quæ neceſſariò dicenda ſunt, ſatis apertè deſcribuntur*, vt ex Gauant. *ſupr.* Et dato, quod ex clauſula *cum ſilentio diſcedunt*, colligendum ſit, nihil aliud eſſe recitandum, adhuc dico, ſenſum eſſe, non eſſe recitandum quid aliud ex his, quæ extra hoc triduum prò complemento Officij, & tamquam quid ex Officio recitari ſolent: non autem, quòd ex deuotione (vt dixi de Salutione Angelica) & prò negligentijs in eo Officio commiſſis recitatur. Quia tamen veneranda talis clauſula, & poſt Orationem ſilentium indictum clarè apparet, eam ad inſtar Salutationis Angelicæ ſecretò recitari conſulerem.

# OBSERUATIO TERTIA.

## Ad Text.

*Miſſa Conuentualis, cui omnes non Sacerdotes intereſſe debent, poſt orationem mentalem, & Horas, quæ ipſam ſequuntur, ab Hebdomadario ſingulis diebus celebrabitur.* Conſtit. *d. p.* 1. *cap.* 1. §. 2.

## SECTIO PRIMA.

### *De Hebdomadario.*

100 HEbdomadarius ille in præſenti Sacerdos eſt, qui in Choro per integram hebdomadam, & per vices officium, vt ità dicam, facit celebrantis, à Veſperis Sabbati incipiendo vſque ad Nonam ſubſequentis Sabbati incluſiuè, prout Paulus a S. Ioan. in noſtro Ceremonial. *lib.* 1. *cap.* 3. & 4. Caſtald. *Prax. Cerem. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 2. excepta Quadrageſima, quo tempore incipit à Completorio Sabbati vſque ad ſubſequentis Sabbati Completorium excluſiuè, Paul. à S. Ioan. *d. cap.* 3. & 4.

101 Quod munus præſtare debet in ſuo profeſſionis loco, niſi ſolemniter, hoc eſt, Pluiali indutus celebret *d. cap.* 4. Bauldry. *ibid. num.* 3. tunc enim ſi coram Prælato ſuperiore celebrat, in primo ſecundi chori loco ſedere debet. Paulus à S. Ioan. *ibid. lib.* 2. *cap.* 11. ſed numquam niſi dato à Præſidente ſigno, incipere. Idem *d. lib.* 1. *cap.* 4. & ex *Manual. Epiſc.* Bauldry *ibid. num.* 4. Maggius de *Sacr. Ceremon. opuſc.* 1. *diſquiſ.* 29. *num.* 161. Biſſus in *Hierurg. litt. H. num.* 25. §. 1., quod ſignum manu dandum eſt. Paulus à S. Io: *lib.* 1. *cap.* 1. ſeù ex conſuetudine manu manum percutiendo (de quo more ad ea Ciceronis *lib.* 3. *de Offic.* verba: *vt digitorum percuſſione* ſic in *Aduerſar. lib.* 29. *cap.* 30. Adrianus Turnebus: *Iono digiti loco nutus, aut vocis vtebantur*; & ſic in Regula S. Pachomij *num.* 6. apud Holſtenium, *Cumque manum percuſſerit ſtans prior in gradu &c.*) non tamen quando Hebdomadarius ſolemniter, ſeù cum Pluiali, vt dictum eſt celebrat. Bauldry *d. cap.* 5. *num.* 7. *fin.* & de facto Paulus à S. Ioan. *ibid. lib.* 2.

*lib.2.cap.* 11. vbi de Veſperis ſolemnibus, *& cap.* 13. vbi de matutino ſolemni, nec verbum quidem habet de ſigno à Præſidente dando, cum tamen facilimè, ſi dandum eſſet, adnotare potuiſſet, pro vt alia, & ſi aliàs præſcripta repetit; tunc enim, ſeù in caſu dictæ ſolemnis celebrationis, vel petenda ab Hebdomadario per capitis inclinationem licentia incipiendi à Prælato, iuxtà formam, quam extra ſolemnis celebrationis caſum præſcribit Caſtaldus *cit. cap.* 11. *num.* 4., vel ſolum tunc incipiendum, quando Prælatus ſigno Crucis ſe ſignans, vt officio initium detur inſinuat, & annuit. Quod reſpectiuè, & cum proportione ſeruandum, quotioſcumque aliàs Prælati ſignum expectandum eſſet.

102 Cæterum quoad ea, quæ ab hebdomadario præſtanda ſunt, cum ſatis habeantur apud Paulum à S. Ioan. in *d. Ceremonial.* nihil in præſenti occurrit addendum. Hoc tantum peroptarem, quod Hebdomadarij omnes iuxtà Ceremonialis *lib.* 2. *cap.* 1. præſcriptum à Maggio *d. diſquiſ.* 29. *num.* 163. vbi de hoc noſtro inſtituto loquitur, commendatum, *dum aliquid particulare dicunt librum antè oculos habeant*, ne dum memoriter perſoluunt erroribus ſe exponant.

## SECTIO SECVNDA.

### *De Miſſæ Conuentualis ſenſu, tempore, neceſſitate, & applicatione.*

103 AD hebdomadarium ſpectat ſingulis diebus poſt orationem mentalem, & horas, quæ ipſam ſequuntur, ſeù Primam, & Tertiam, Miſſam Conuentualem celebrare, quæ ideò præcipitur, quia, licet non ſit de Horis, eſt tamen de officio, vt ex *Gloſſ. in Clementin.* 1. *de celebratione Miſſ. verb. Canonicas* ibi: *Miſſam de Officio dicimus, ſed non de horis.* Barboſ. ibi *nu.* 5. & Nauarr. *de Orat. cap.* 3. *nu.* 29. *nec diſſentit* Fagnanus in *Cap. Vt Abbates. de ætat. & qualit. num.* 82., & ad quam celebrari faciendam teneri Prælatum ſub mortali ex *d. Clemen.* vult Donatus *in Prax. tom.* 3. *tract.* 7. *q.* 102. & *ex Cap. Cum Creatura de Celebrat. Miſſ.* Suarez *tom.* 3. *diſp.* 8. *ſect.* 2. *dico ſecundò*, cum allegatis infrà *num.* 274. & pro qua militant quæ de obligatione Prælati reſpectu Diuini Officij dicta ſunt *num.* 52. *&* 53. quod intelligendum tamen, vbi ſit numerus ſufficiens Sacerdotum, ille ſcilicet quem pro obligatione Chori *num.* 55. *& ſeq.* requiri vidimus.

104 Sed iam inſurgit difficultas, primò: quomodo Miſſa hæc Conuentualis dici poſſit, ſi nec ſolemnis eſt, nec cantatur, prout ad rationem Miſſæ Conuentualis requirere videntur Fagnanus *ibid. num.* 83. *&* 84.

& Ru-

& Rubricæ Miſſal. Roman. *tit. 4. de Miß. Votiu. num. 3.* ibi : *In principali Miſſa , quæ vocatur Conuentualis .* Et *tit. 15. num. 2.* ibi : *Mißa autem Conuentualis & ſolemnis ſequenti ordine dici debet . In Feſtis duplicibus , & Semiduplicibus , in Dominicis, & infrà Octauas dicta in Choro hora Tertia ; In aduentu, Quadrageſima, quatuor Temporibus etiam infrà Octauam Pentecoſtes, & Vigilijs , quæ ieiunantur , quamuis ſint dies ſolemnes , Mißa de tempore , ſeù Conuentualis debet cantari poſt Nonam*; verba ſiquidem, *Principalis Miſſa, ſolemnis , in Dominicis, debet cantari*, non alterius Miſſæ interpretationem admittunt , quam Miſſæ cum Miniſtris , & cantu ſolemni ; & ſupponunt Guyet. de *Feſt. prop. loc. lib. 3. cap. 30. q. 1.* Biſſus *ibid. litt. M. tot. num. 239.* apud quos ſub ſolis terminis ſolemnitatem , & cantum exprimentibus de Miſſa Conuentuali ſermo eſt . Clarius Peregrinus *in Conſtit. Theatin. comment. ad cap. 1. prim. part. litt. E.* , & conſtanter Rouſſerius de *Stat. & Orig. Ord. S. Franciſc. cap. 3. q. 5. §. Hanc fermè formam. prope fin.* Vndè Miſſam Parochialem ſine cantu non eſſe Conuentualem ſcribit & Gauantus in *Theſ. Sacr. Rit. part. 1. tit. 15. num. 2.*

105 Secundò: Si miſſa Conuentualis eſt, cur ſemper poſt Horam Tertiam celebranda , & non poſt Sextam in Feſtis ſimplicibus , & Ferijs per annum , vel poſt Nonam in aduentu , & Quadrageſima iuxtà eaſdem Rubricas *ibid.* & communem DD. ſenſum ? Licet enim admittatur laudabile eſſe poſt Tertiam eam Miſſam celebrari , vt potè quia , vt habet Carellus de *Doctrin. Sacr. Rit. Dialog. 16.* Hora Tertia ex continuatione cum Miſſa , hora ſancta nuncupatur ; excipiendi ſunt dies Feriarum, & quos excipiunt Rubricæ , quas Ritum Romanum profitentes alterare non debent , nec decet ob obſeruantias particulares , *vt loc. ſup. q. 2.* aduertit Guyetus .

106 Facilis tamen vtriuſque reſolutio ; & quidem primæ, quia licet ſenſus Rubricarum ibi ſit reuerà de Miſſa ſolemni , & cantata , loquuntur tamen de Miſſa Conuentuali Eccleſiarum Collegiatarum, vt ex verbis. *In Eccleſijs Cathedralibus , & Collegiatis . Tit. 3. de Fer. & Vigil. nu. 1. & 2. tit. 5. de Mißa Defunctorum num. 1. tit. 7. de Commemor. num. 2.* quæ huiuſmodi Miſſam Conuentualem ſub præcepto canere tenentur *ex Cap. Cum Creatura. de celebr. Miß.* Abb. Ioan. Andr. & cæteri Canoniſtæ *ibi.* Gauantus *ad Rubric. Miſſ. p. 3. tit. 11. num. 7.* Quarti *ad eaſdem Rubr. p. 1. tit. 3. ſect. 1. dub. 1.* Vericell. *QQ. Moral. tract. 8. q. 20. nu. 1.* & communiter DD. quos plures adducit, ſequiturque Paſqualigus de *Sacrific. nou. leg. q. 882.* Non autem de Miſſa Conuentuali Eccleſiarum Regularium , quæ (cum Collegiatæ propriè non ſint, vt probat Roderic. *t. 1. QQ. Regul. q. 43. art. 12.* tenentque Lezana *tom. 2. verb. Mißa num. 49.* Diana *in coordinat. tom. 2. tract. 1. reſol. 83.* ex eo quod in *Clemen. 1. de celebrat. Mißar. §. Ne igitur.* Eccleſiæ Cathedrales , Regulares , & Collegiatæ ponantur tanquam membra diſtincta , Peyrin. in *Addit. ad Conſtit. Pyrrh. cap. 1. num. 19.* Paſ-

qualig. *loc. cit.* q. 887. *num.* 4. Biſſus *litt. E. num.* 22. Et ſignanter loquendo de Mendicantium Eccleſijs, quod non ſint Collegiatæ, Leander *t.* 2. *tract.* 8. *diſp.* 5. *q.* 10. Guyet. *loc. ſupr. q.* 3. ſed Conuentuales dicantur, Gauantus *ibid. tit.* 11. *num.* 12. ex Flauio Cherubin. qui in *Compend. Bullar. Schol.* 1. *ad Bull.* 7. *Innocentij IV.* Conuentuales illas appellantis, hoc titulo dicit appellari ad differentiam Collegiatarum, quæ ſunt propriè Canonicorum) ad huiuſmodi ſolemnem Miſſam Conuentualem non tenentur. Tamburin. de *Iur. Abb. t.* 2. *diſp.* 5. *q.* 34. Diana *ibid. reſol.* 87. Quarti *loc. ſupr. dub.* 4. Paſqualig. *q.* 888. Guyet. *lib.* 4. *cap.* 21. *q.* 6. Quin nec admiſſo, quod ſint verè Collegiatæ, (vt eſſe tenent Corduba in *not. ad Caſſarub. Compend. Priuileg. verb. Moniales*. Rouſſerius *loc. cit.* Peregrinus *ad d. cap.* 1.) cum ad Miſſam Conuentualem non obligentur Regulares ratione Rubricarum, ſed ſolum Regulæ, & Conſtitutionum, vt notant Sanctorus à Melfi ad *Statut. Minor. cap.* 2. *ſtat.* 6. & Gauantus *d. p.* 3. *tit.* 11. *num.* 4. & ſolum quando eam præcipiunt, Quarti *cit. dub.* 4. Paſqualig. *q.* 895. *num.* 3. & non quomodocumque, ſed quando præcipiunt ſub mortali, *Paſqualig. q.* 889. *num.* 1. *& ſeq.* Diana *ibid. reſol.* 86. *&* 87. quæ tamen regulariter non eam præcipiunt, Quarti *ibid.* & inſuper diſpar ſit ratio de Eccleſijs Regularium, ac Collegiatarum ſæcularium, cum hæ fundatæ ſint cum onere officiandi Eccleſiam: ſecùs verò illæ. Peyrin. *d. cap.* 1. *num.* 19. Paſqualig. *d. q.* 888. *num.* 2. Quarti *ibid.* §. *Dico ſecundò* Guyet. *d. q.* 3. Quarè, cum ad Miſſam hanc Conuentualem non teneantur Regulares, nec in eorum Miſſis, quæ apud eos Conuentuales ſunt, requirenda eſt ſolemnitas, & cantus. Et ita Miſſam licet priuatam, Conuentualem vocant, & admittunt, Quarti *ad d. tit.* 3. *dub.* 1. §. *Reſpondeo, & dico. vltrà med.* & *dub.* 3. §. *Colligitur in illis &c.*, & *ad tit.* 4. *dub.* 9. & Caſtaldus *loc. cit. lib.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 2. *num.* 2. vbi apertè nec ſolemnitatem, nec cantum ad Miſſam Conuentualem per ſe requiri, vt & quo ad cantum clarè tenet, & quoad ſolemnitatem ſupponit Antonius à Spiritu Sancto in *Director. Regul. tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1666. Et ſufficit, quod, vt Conuentualis dicatur, ſit loco ſolemnis, & dicatur nomine totius Conuentus, Quarti *ibid.* vel pro Conuentu celebretur. Peyrin. in Regul. Minim. *cap.* 4. §. 13. *q.* 4. Caſtaldus ibid. vbi addit: *Et ſic vt plurimum vbi maximè non cantantur quotidiè ſolemnes, Conuentualis ea cenſetur, quæ immediatè poſt horas diurnas in Altari maiori celebratur.* Vndè non eſt cur Miſſa præfato modo ab Hebdomadario celebranda, Conuentualis dicenda non ſit.

107 Ex quibus ſequitur ſolutio ſecundæ difficultatis, quod ſcilicet non ſit ſemper celebranda poſt Tertiam; quia, cum non ſit ſermo de Miſſa illa ſolemni Conuentuali vi Rubricarum, ſed ſolum de Miſſa Conuentuali ratione Conſtitutionum, nec attendendum eſt tempus pro ea aſſignatam à Rubricis. Præterquamquod etiam ſi eſſet ſermo de Miſſa Conuentuali

ratio-

ratione Rubricarum, nec tempori pro ea ab ipſis requiſito adſtriguntur; quibus ex Pontificia conceſſione, quod idem eſt, ac per Conſtitutiones à Papa ſpecificè approbatas, aliud tempus præſcribitur, vt Guyetus ipſe *d. cap. 30. q. 2.* Quarè nec dedecet, quod ſemper poſt Tertiam etiam in Ferijs per annum, vel ſextam etiam in duplici tempore Quadrageſimæ à nobis celebretur, cum ſic apertè Conſtitutiones Apoſtolicæ *loc. ſupr.*

108 Hæc autem Miſſa, quæ Couentualis dicitur, & ab Hebdomadario celebranda eſt, cum officio concordare debet, quia ſic de Miſſa Conuentuali ex *d. Cap. Cum Creatura de Celebr. Miſſar.* Gauantus *p. 1. tit. 4. litt. E.* & *p. 3. tit. 11. num. 7.* Quarti. *d. p. 1. tit. 3. ſect. 1. dub. 2.* Peregrin. *loc. ſup.* Bauldry. *p. 3. cap. 7. tit. 4.* Guyet. *ibid. lib. 4. cap. 21. q. 6.* Iacobus Pignatellus *Conſult. canon. tom. 3. conſ. 52. num. 5.*, quia Miſſa Conuentualis eſt pars Officij, vt dictum eſt, adeoque & iuxtà formam Breuiarij celebranda, ſeù conformis officio, Paſqualig. *ibid. q. 891. num. 2. & 5.* præterquam in diebus, in quibus Miſſa Conuentualis dici poteſt ex Votiuis iuxtà Rubric. *tit. 4. de Miſſ. Vot. num. 3.* Quæ quamuis militent vbi ſermo ſit de Miſſis Conuentualibus ſolemnibus, quæ ſolæ propriè dicuntur eſſe de officio, vt notat Fagnanus ad *d. Cap. Vt Abbates num. 83. de ætat. & qualit.* & Eccleſiarum Collegiatarum, in quibus, & quandoque duæ Miſſæ cantari debent, vna de officio, altera de Feria, vel Vigilia ex eiſd. Rubr. *p. 1. tit. 3. num. 1. & 2.*, & *tit. 7. num. 2.* Gauant. *d. tit. 11. num. 7. & 9.* Caſtald. *d. lib. 2. ſect. 6. cap. 3. num. 18. & 19.* Quarti *loc. cit. dub. 3.* Guyet. *lib. 3. cap. 30. q. 3.* & tenent Thomas Hurtad. *Reſol. moral. t. 1. tract. 2. nu. 302.* Leander *d. diſp. 5. q. 9.* & Paſqualig. *q. 894. num. 4.* non verò militent vbi ſermo de Miſſis Conuentualibus Regularium, quas nec Officio conformes neceſſariò eſſe debere tenent Hieronymus Garzia *in Summ. tract. 3. diff. 2. dub. 3. num. 17.* Peyrin. in *Addit. ad Conſtit. Pyrrh. cap. 1. num. 20.* dum exiſtimat, quod *pro Miſſa Conuentuali ſufficiat canere Miſſam Defunctorum*; & in Regul. Minim. *cap. 4. §. 13. q. 4. num. 3.* dum Miſſam de quocumque ſit, dummodo pro Conuentu offeratur, Conuentualem eſſe ſcribit; ea forſan ratione, quia cum Regulares, vt dictum eſt, non teneantur ad huiuſmodi Miſſam Conuentualem, niſi ratione propriorum Statutorum, poſſunt eligere (quod intelligendum exceptis Feſtis duplicibus) quam Miſſam voluerint iuxtà Rubricas Miſſalis, vt Paſqualig. *ibid. q. 893. num. 4.* Nec item duas, de officio ſcilicet alteram, alteram de Feria eſſe debere, concludunt Rodriq. *QQ. Regul. tom. 1. q. 43. art. 12.* Villalob. *p. 1. Summ. tract. 8. diff. 19. num. 4.* Gauant. *ibid. p. 3. tit. 11. num. 12.* Leander *loc. ſupr. q. 10.* Diana *loc. ſup. reſol. 84. num. 5. & reſol. 85. num. 1.* Bordon. *reſol. 25. n. 25.* (dempta tamen conſuetudine. Peyrin. *d. cap. 1. num. 20.* quam non dari ſubdit à Spiritu Sancto *loc. ſupr. num. 1670.*) quia, cum Rubrica *d. tit. 3. num. 1. & 2.* vbi de duplici illa Miſſa &c. expreſsè loquatur de Miſſis Con-

uentualibus, quæ cantantur; ibi: *In Eccleſijs Cathedralibus & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ*; & Miſſæ Conuentuales Regularium non ſint neceſſariò canendæ ex dictis, non poteſt eis applicari diſpoſitio earum duarum Miſſarum, ex vulgato iuris axiomate, quod quibus non conueniunt verba diſpoſitionis, nec conuenit diſpoſitio. Paſqualig. *q.* 896. Nihilominùs etiam Mendicantium Eccleſijs & hæc aliqualiter applicarem, ſeù & in eorum Miſſis Conuentualibus laudarem cum officio conformitatem, quam & in Miſſa Conuentuali priuata requirit Leander *vbi ſup. q.*12. Et moueor ex Regul. general. Rubric. *tit.*4. *num.* 3. ibi: *Et quoad fieri poteſt Miſſa cum officio conueniat*, ſi enim hoc obſeruandum in Miſſis priuatis, quin in illa, vna, quam omninò, vbi tres ſunt Sacerdotes, celebrandam vult Peyrin. *d. cap.* 1. *num.* 20. *verſ. Exiſtimo etiam*; & ex Suarez de *Sacram. diſp.* 80. *ſect.*2. A Spiritu Sancto *ibid. num.* 1663. à fortiori obſeruandum erit in hac Conuentuali; Et item duas in Vigilijs, & Ferijs, in quibus fit de duplici; vnam de duplici, & alteram de Feria, vel Vigilia, ſine reciproca commemoratione, licet ſine cantu, & priuatim; loquendo ſemper, vbi plures ſint Sacerdotes; conformiter ad Rubricas *d. tit.*7. *num.* 2. à quibus duæ Miſſæ requiri videntur ob pluralitatem Sacerdotum quotidiè celebrantium, ibi: *Sed in Cathedralibus, & Collegiatis, vbi plures Sacerdotes quotidiè celebrant &c. dicuntur duæ Miſſæ &c.* & tenent Alcozer. in *Rubr. Miſſal. tract.* 1. *text.*3. *gloſ.* 1. *verſ. has ferias fin.* Caſtaldus *d. cap.* 3. *num.*20. Quarti *d. ſect.* 1. *dub.* 3. & 4. & ſic obſeruari laudant Gauantus *p.* 3. *d. tit.* 11. *num.* 8. *fin.* & Guyet. *cit. cap.*30. *q.* 3. *fin.* & à ſuis practicari ſcribit Peregrinus *loc. ſupr.*

109 Quibus tamen non obſtantibus duo adnotanda. Primò, quod quandò canitur Miſſa pro aliquo ex Religioſis defuncto, hanc pro Conuentuali habendam, & eſſe, nec aliam Conuentualem requiri ex *d. Cap. Cum Creatura*, & ratione conſuetudinis. Peyrin. *d. cap.* 1. *num.* 20. Sed tunc aliam priuatam de officio celebrari mihi videtur valdè conueniens, prout & Leander *d. diſp.* 5. *q.* 12. Secundò, & ſi Miſſa Conuentualis ſit, non eſſe neceſſe, vt applicetur pro Conuentu, vt vult Peyrinus in *Regul. Minim. cap.*4. *§.* 13. *q.*4., aut pro Benefactoribus in communi tam viuis, quam defunctis, vt volunt Corduba in *not. ad Caſtarub. Compend. Priuileg. Verb. Moniales punct.* 3. Peregrinus ad *d. cap.* 1. *litt. E. §. & iſtæ Miſſæ*: Sed liberam remanere applicationem, & pro ea ſtipendium accipi poſſe; tum quia ità & de Miſſis Conuentualibus Eccleſiarum Collegiatarum, niſi aliundè adſit ſpecialis obligatio, aut conſuetudo. Quarti *p.*1. *tit.* 5. *dub.*3. Diana *ibid. reſol.* 55. *num.* 1. Paſqualigus *q.* 899. alijque plures apud Pignatell. *d. tom.* 3. *Conſult.*60. *num.* 1. tum quia accipere huiuſmodi ſtipendium non prohibetur à Conſtitutionibus, & aliàs eſt conforme conſuetudini; ob quæ idem ſentiunt Quarti *ibid. §. Colligitur ſecundò*. Paſqualigus

*cit.*

*cit. q.* 899. *num.* 4. quin Peyrinus ipſe *cit. cap.* 1. *num.* 20. §. *Exiſtimo denique*, nec ſibi contrarius, dum ſe explicans *d. q.* 4. dicit, Conuentum quoad applicationem, quæ aliàs pro ſe ipſo eſſe deberet, poſſe ſuo iuri cedere. Excipienda tamen Miſſa Conuentualis, ſiuè ſolemnis diei Commemorationis omnium Defunctorum, pro qua licet ſtipendium accipi poſſe, eam particulari perſonæ applicando, doceant cum Alphonſo de Leone de Iubilæo *p.* 3. *nu.* 21. *ad fin.* Auerſa *q.* 11. *de Euchariſt. ſect.* 18. §. *item poſſe &c.* Quarti *dict. p.* 1. *t.* 5. *dub.* 3. §. *Colligitur tertiò*, & Paſqualigus *ibid. q.* 901. *num.* 1. eo quia nullibi reperiatur obligatio eam applicandi pro Defunctis in communi; apud Nos huiuſmodi ſtipendium recipere non licet, ſicut nec pro vlla alia eiuſdem diei priuata Miſſa, non vi obligationis communis omnium Sacerdotum ea die pro cunctis Defunctis celebrandi, vt probare conatur Fraxinellus de *Sacerdot. obligat. ad Miſſ. ſect.* 4. *concluſ.* 4. §. 21. quem adducit, nec reprobat Diana *loc. ſupr. reſol.* 64. *num.* 3. ſed vi decretorum Capitulorum Generalium, & obſeruantiæ, cum in Viſitationibus, ſi ex errore pro particularibus applicatæ reperiantur, totidem Miſſarum nouum onus Conuentui iniungere ſoleant Prælati; Quod de Miſſa ſolemni laudat Paſqualigus *ibid. num.* 3. & de omnibus Miſſis, Quarti *loc. cit.*

# SECTIO TERTIA.

## *De huiuſmodi Miſſæ audiendæ obligatione.*

110 HVic porrò Miſſæ Conuentuali *omnes non Sacerdotes intereſſe debent: qui verò impediti non interfuerint aliam Miſſam omninò audiant*. Conſtit. *loc. ſupr.* Ex quibus dignoſcitur primò, Miſſam ab omnibus non Sacerdotibus, ſiuè Clericis, ſiuè Laicis quotidiè audiendam eſſe, iuxtà laudabilem quam plurium aliarum Religionum conſuetudinem, de quibus Iulius Nigronus *in Regul. commun. Societ. Ieſ. Regul.* 2. & ob fructus, & vtilitates, quas indè Religioſi percipiunt, & de quibus idem Nigronus *ibid.* Antonius Dauroultius in *Catechiſm. Hiſtorial. cap.* 4. *tit.* 8. & *cap.* 5. *tit.* 32. ac Lucás Pinellus *de Valor. & fruct. Miſſæ*. Secundò & hanc numero Conuentualem Miſſam ab illis audiendam, nec licere alicui non Sacerdoti abeſſe; Tertiò ab hac ſolum impedimenti cauſa aliquem excuſari; quod tamen debet notum eſſe Superiori, & cum eius venia vt infrà *num.* 143. & tunc alteram debere audire. Quartò præfatorum huic Miſſæ præſentiam non cadere ſub præcepto, & fortiorem eſſe obligationem Miſſæ audiendæ ob dictionem *omninò*, de qua mox, quam Conuentuali aſſiſtendi, quod nullo rigoroſo verbo iniungitur. Quintò etiam Sacerdotes ex aliquo accidente à ſacrificio impeditos, & ſi Miſſæ

Conuentuali intereſſe non obligentur, cum ad eam ſolum non Sacerdotes vocentur, alterius ſaltem Miſſæ auditioni adſtringi, licet non nominentur, cum hoc procedat ex eo quod quotidiè celebrare ſupponuntur ex Conſtit. *cap.* 4. *num.* 4. de quo infrà *obſeruat.* 10. militat ſiquidem in hoc caſu eadem ratio de his, & non Sacerdotibus; & ideò & ad hos extenditur, quin & hos comprehendit eadem diſpoſitio ex adductis in *Quolibet Regular. num.* 1262.

111 Sextò nullatenùs licere Miſſam aliquam non Sacerdotibus, & Sacerdotibus non celebrantibus non audire ob dictionem *omninò*, quæ habet præciſam naturam. Gloſſ. *Verb. omninò* in *Cap. Ex parte de offic. deleg.* & in *Cap. Et ſi Chriſtus de Iureiur. verb. eod.* Tuſch. *litt. D. concluſ.* 322. *num.* 4. & importat idem, ac *penitùs* & *abſolutè*, per adduct. a Barboſ. *in Dictìon. vſufreq. dict.* 240. *num.* 4. *&* 5. & idem operatur, ac *ſinè diſpenſatione* ex dictis *dd. Quolib. Regul. num.* 1280. quin neceſſitatem inducit, vt Barboſ. *ibid. num.* 14. ſeù obligationem rigoroſam, citrà peccatum tamen mortale vigore declarationis Conſtitutionum, vt *dd. Quodlib. Regul. à num.* 977. Ex quo vltimò vlteriùs ſequitur poſſe, dum Miſſa auditur, Officium à Clerico, & à Laico Roſarium recitari; quia, ſi id fieri poteſt, dum die feſto Miſſæ de præcepto aſſiſtitur, dummodò adſit intentio ſatisfaciendi, cum attentione neceſſaria (quæ ſufficit vt *num.* 30. dictum eſt, quod ſit ad res diuinas) vt cum multis Barboſ. ad *Cap. Dolentes de Celebrat. Miſſ. num.* 21. Leander *QQ. moral. p.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 1. *queſt.* 68. *&* *part.* 6. *tract.* 8. *diſput.* 4. *q.* 22. & Paſqualig. *de Sacrific. nou. leg. q.* 1320. à fortiori valebit, dum huiuſmodi Miſſis Conuentualibus, aut priuatis, quod ſub lethali non cadit, aſſiſtitur.

OBSER-

# OBSERUATIO QUARTA.

## Ad Text.

P*Oſt Miſſam Conuentualem, niſi aliqua hora ſubſequatur, deuotè dicatur genibus flexis;* Aue Regina Cælorum &c. *cum verſiculo & Oratione, proùt in Ordinario continetur.* Conſt. *d. p.* 1. *cap.* 1. §. 3.

## SECTIO PRIMA.

### *De Antiphona B. V. poſt Miſſam Conuentualem.*

112 IDem prorſus, & eiſdem verbis habetur in Conſtitutionibus PP. Calceatorum de 1620. Monachij impreſſis *p.* 1. *cap.* 1. excepto verbo *dicatur*, pro quo ipſæ habent *cantetur*: ſed reuerà neque in hoc quoad rem vlla differentia, cum & *dicatur* idem hic importet, quod *cantetur*, ſic textum explicante obſeruantia, & iuxtà phraſim Rubricarum, quæ *dicere* pro *canere* vſurpant, vt ad *Rubr. Miſſ. p.* 3. *tit.* 11. *num.* 8. notat Gauantus. Et aduertendum non ſolum poſt Miſſam Conuentualem, quæ apud nos priuata eſt, & non canitur, eſſe cantandam, vt hic decernunt Conſtitutiones, ſed etiam poſt Miſſam ſolemnem, vbi nulla ſequatur hora, & Miſſa celebrata non ſit Defunctorum, vt in noſtro Ceremoniali *lib.* 2. *cap.* 16. præſcribit Paulus à S. Ioann. Ipſa verò antiphona hæc eſt, proùt in calce Miſſalis Auguſtiniani: *Aue Regina Cælorum, Mater Regis Angelorum, O Maria flos Virginum, velùt Roſa vel lilium, funde preces ad filium pro ſalute Fidelium. Alleluia.*

℣. *Ora pro nobis Sancta Virgo Virginum*, ℟. *Vt digni efficiamur &c.* *Oremus. Defende quæſumus Domine B. Maria ſemper Virgine intercedente iſtam ab omni aduerſitate familiam, & toto corde tibi proſtratam ab hoſtium propitiùs tuere clementer inſidijs, Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.* In quibus verſiculum, & Orationem differre ab antiquis obſeruo, cum tunc Verſiculus eſſet *Aue Maria gratia plena.* ℟. *Dominus tecum;* & Oratio. *Gratiam tuam quæſumus Domine mentibus noſtris &c.* vt in fine Ordinarij Auguſtiniani de 1549. impreſſi.

113 An autem rectè dicenda ſtatuatur dubitare quis poterit, fortaſsè propter ea, quæ notat Gauantus *p.2.ſect.5. cap.22. num.16.* quia ſcilicet Rubricæ Breuiarij *tit. de Antiphonis B. Mariæ in fin. Offic.* non eas dicendas ſignificant; ſic enim ibi: *Nunquam verò dicitur poſt aliquam horam, quando ſubſequitur cum officio diei officium Defunctorum, vel litaniæ, præterquam poſt Completorium, in quo ſemper dicitur, etiam ſi prædicta ſubſequantur; neque etiam quando poſt aliquam horam ſubſequitur Miſſa.* Ex quibus Gauantus ſic: *Ergo cum ibidem dicatur numquam diei, abſolutè prohibentur diei tum in fine horæ, ſi prædicta ſubſequantur, tum in fine prædictorum, & Miſſæ, quæ ſubſequuntur poſt Horam.* Et confirmat ex praxi, quod ſcilicet non dicatur poſt Miſſam Sabbati Sancti, neque poſt officium Defunctorum, quod coniungitur cum officio diei, vnde colligit. *Ergo neque poſt Miſſam dicendæ erunt.* Additque modum proprium terminandi Miſſam, qui eſt per Euangelium, huiuſmodi antiphonas excludere; qua de cauſa à Carmelitis eaſdem antè vltimum Euangelium recitari ſcribit. Et præter Gauantum eamdem ſententiam docent. Bernardus Biſſus in *Hierurg. litt. A. num. 381. §. 5.* Ioannes Baptiſta Rubeus in *Nou. Ration. Diuin. Offic. lib. 3. cap. 24. fin.* quia id in nulla præſcribatur Rubrica, & perfecto, ſeù Miſſæ nihil addendum ſit; & Caſtaldus in *Trax. Cerem. lib. 2. ſect. 3. cap. 2. num. 16.*

114 Sed hic vltimus, cum ſolum dicat, non eſſe dicendas dum poſt Horam ſequitur Miſſa, ſolum intendit non eſſe dicendas poſt talem Horam: ſed non negat eſſe dicendas poſt Miſſam. Cætera verò non obſtant, quia aliud eſt loqui de Antiphonis iſtis B. V. quæ finales dicuntur, & eo quia ex Eccleſiæ inſtituto, (de quo Gauantus *ibid. num. 5.*) per eas terminatur Officium, quod ſcilicet non debeant iuxta Rubricas recitari poſt Miſſam, qua ſufficienter illud terminatum cenſetur, ſeù ex obligatione recitari, vt explicat Guyet. de *Feſt. prop. loc. lib. 3. cap. 19. q. 4.* & aliud non poſſe addi antiphonam aliquam ad B. V. laudem ex ſpeciali Religionis deuotione, vt in noſtro caſu, cui non repugnant Rubricæ, per quas laudabiles Religionum conſuetudines non tolli ſepiùs Sacra Rituum Congregatio declarauerit, vt ex Gauanto *loc. ſup. ſect. 10. cap. 2. num. 1.* Maggius de *Sacr. Ceremon. Opuſc. 1. diſq. 19. num. 162.* & Ioan. Maria Turrin. in *Direct or. Sacrific. p. 3. ſect. 3. cap. 3. §. in præcedentibus.* Quin ipſe Gauantus *cit. cap. 22. num. 6. fin.* loquens de iiſdem antiphonis finalibus, ſubdit, vbi ſit hæc laudabilis conſuetudo eas canendi poſt Miſſam, non eſſe improbandam, cum cedat in laudem. B. Virginis Mariæ. Ex quo ſequitur à fortiori non eſſe improbandam præfatam *Aue Regina Cælorum*, cum non ſit ex finalibus Breuiarij, ſed alia particularis, & ex deuotione Religionis.

SEC-

# SECTIO SECVNDA.

## *De ritu eam canendi.*

115 DIfficultas eſt circà ritum, quod ſcilicet genibus flexis dicenda, ſeù canenda ſit; cum namque verba *deuotè dicatur genibus flexis* nullo definito tempore circumſcribantur, ſeù nullum tempus excipiant, quod aliàs, ſi voluiſſent, potuiſſent facilè vno addito verbo excipere, ſenſus eſſe videtur, quod ſemper etiam tempore Paſchali genibus flexis canenda ſit. Nec obſtare dicendum, quod conſimiles B. V. antiphonæ, nempè finales, de quibus modo actum eſt, tempore Paſchali ſint, ſtando, perſoluendæ, ex cit. *Rubr. de Antiphon. B. Mariæ in fin. Offic.* quin & à primis Veſperis Dominicarum, ſiuè Sabbati vſque ad ſubſequentis diei completorium incluſiuè; cum his temporibus ad Orationem genuflectendum non eſſe habeamus; quoad tempus Paſchale a *Cap. Quoniam de Ferijs*. & Concil. Lucens. 2. *cap.* 71. & Aquiſgranen. ſub Ludouico Pio *c.* 36. & quoad Dominicas à Concil. Nicæn. 1. *c.* 20. *c. Quoniam. de Conſecr. diſt.* 3. & Concil. Turonen. 3. *c.* 37. apud Em. de Laurea in *Epit. Can. Verb. Genuflectere*, vt & docent Guilelmus Durandus in *Ration. Diuin. Offic. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 16. Io: Stephan. Durant. de *Ritib. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 21. Rupertus Abb. de *Diuin. Offic. lib.* 8. *cap.* 3. Raban. Maur. de *Inſtit. Cler. lib.* 2. *cap.* 46. Hugo à S. Victore in *Specul. de Myſterijs Eccleſ. cap.* 3. Roſueydus in Onomaſt. ad Vit. Patr. verb. *Genuflexio*. Theophilus Raynaudus *tom.* 6. *in Sacr. Acathiſto cap.* 9. *pag.* 516. *col.* 1. Hugo Menard. in *Concord. Regul. cap.* 50. *not. ad* §. 7. & quoad rem præſentem Gauantus *d. cap.* 22. *nu.* 17. *&* 18. Caſtald. *loc. ſupr. d. num.* 16. & *lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 4. *num.* 7. *&* 8. Bauldry in *Manual. Sacr. Ceremon. p.* 2. *c.* 2. *num.* 11. 13. *&* 14. Biſſus *ibid. litt. A. num.* 381. §. 6. Arnaud. in *Epit. Theſaur. Sacr. Rit. tract.* 2. *tit.* 26. *num.* 8. Corſetus in *Prax. Sacr. Rit. tract.* 1. *p.* 1. *cap.* 21. *nu.* 9. Edmundus Martene in *Regul. S. Benedict. cap.* 50. *verb. flectamus genua*; & in noſtro Ceremonial. Pauli à S. Ioann. *lib.* 2. *cap.* 5. §. 1. & Donatus Caluus in *Ritual. ſuæ Congregat. Lombardiæ Rit.* 1.

116 Non inquam obſtare, quia & ad alia plura & præfatis temporibus apud nos genuflectitur; vt dum dicuntur *Sacroſanctæ*. *Veni Sancte Spiritus &c.* ante, & poſt Orationem mentalem *ſub tuum præſidium &c.* quin ad totam Orationem ſerotinam, & dum dicitur *Salutatio Angelica* poſt Matutinum, vt ex eod. Paulo à S. Ioann. *ibid. fin.* & dum dicitur, *Te ergo quæſumus* ad Hymn. *Te Deum laudamus*, & *Homo factus eſt* ad Symb. Apoſtolic. & dum *Tantum ergo Sacramentum &c.* & dum dicitur *venite adoremus* in Inuitatorio ad Matutinum. Quare alienum non eſt à ratione dicere, & intentam à Conſtitutionibus genuflexionem pro omni tempore, dum anti-

phona illa canitur poſt Miſſam; maximè cum eam antiphonam pro adoratione, & non oratione tenere potuerint; poſito enim quod pro adoratione dicatur, non eſt dubium quin ſit etiam in Dominicis, & tempore Paſchali genu flexo dicenda; cum & iſtis temporibus, dum intenditur adoratio, non inhibeatur genuflexio, vt docent Gauantus *ibid. ſect. 6. cap. 13. num.* 28. Caſtaldus *lib. 2. ſect.* 1. *cap.* 4. *num.* 5. Bauldry. *d. p.* 2. *cap.* 3. *num.* 2. Biſſus *litt. G. num.* 28. §. 8. quæ interdicitur ſolum ad Orationem, & quam præcedit *Oremus.* Nauarr. de *Orat. & Hor. Canon. cap. 4. num.* 8. 9. *&* 10. Qua de cauſa ad ſalutationem Angelicam, quæ ter in die cùm Campanarum pulſatione recitatur, genuflectendum eſſe ab eis, qui eam pro adoratione habent, monet idem Gauantus *ibid.* & ita obſeruandum eo modo, quo ad verba, *Et Homo factus eſt &c.* ſuadent Nauarrus ipſe *d. cap.* 4. *num.* 8. Maggius de *Sacr. Ceremon. opuſc.* 2. *diſq.* 41. *nu.* 249. cum id à nullo iure prohibeatur. Nauar. *ibib. num.* 11. Et de facto ita obſeruari à Patribus meis calceatis docet Kalendarium Romanum Ordinis. *cap.* 11. vbi ad hoc ſalutandæ Virginis ſignum præcipitur, quod *omnes ſemper genuflectant etiam tempore paſchali propter Indulgentias*, vt notat etiam Maggius *ibid.* Vndè ſimiliter puto ſenſum quoque Conſtitutionum eſſe, quod ſemper per dictam antiphonam genibus flexis Virgo adoretur; quod non aduertiſſe ſuſpicor Paulum à S. Ioanne dum *cit. lib.* 2. *cap.* 16. *fin.* excepit tempus Paſchale, & diem Dominicum; nam ratio, quam adducit, *quia tunc non genuflectitur*, iam euaneſcit ex dictis; & aliud eſt loqui de Antiphonis B.V. quæ pro Officij Diuini complemento ex Eccleſiæ inſtitutione dicuntur, pro quibus militat ea ratio; & aliud de Antiphonis peculiaribus, & ex deuotione Religionis, quibus non adaptatur, vt dictum eſt de Oratione ſerotina; quæ tota genibus flexis perſoluitur apud nos, licet apud PP. Calceatos ſtando dicatur, & genuflectatur ſolum ad *Aſperges*, *Salue Regina &c.* vt ex *Conſtit. antiq. cap.* 3. & modernioribus *p.* 1. *cap.* 1. & *offic. propr. Ordinis nou. tit. de Oratione ſerotina.*

117 Attamen, cum iam inualuerit conſuetudo non genuflectendi dictis temporibus, eam obſeruandam duco cum Nauarr. in ſimili de Salutatione Angelica *loc. cit. n.* 11. prout & de ſe teſtatur Gauantus. *d. cap.* 23 *n.* 22. licet contrarium ipſe ſentiret. Et Conſtitutionem congruè interpretari poſſumus de genuflexione pro tempore, quo iuxtà Romanum ritum genuflectitur in ſimilibus; quod quidem veriſimile cum ſit, nec illis repugnare dicendum; eo modo quo conſimile ſtatutum in Regul. S. Benedicti *cap.* 50. ibi: *Fratres, qui omninò longè ſunt, & non poſſunt occurrere hora competenti ad Oratorium, agant ibidem opus Dei cum tremore Diuino flectentes genua*, explicatur a Caſſinenſibus, *temporibus, quibus eſt ordinatum in Breuiario, quod tunc dicentes Officium, genuflectant*; apud Hæſtenum *diſq. Monaſt. lib.* 7. *tract.* 1. *diſq.* 7. *num.* 4. & Martene ad *d. cap.* 50. *Regul.*

OBSER-

# OBSERUATIO QUINTA.

## Ad Text.

*QVando ad Matutinum, & Veſperas fiunt conſuetæ commemorationes Beatiſſimæ Virginis, & Apoſtolorum, fiat etiam commemoratio S.P. Auguſtini. S. M. Monicæ. Sancti Nicolai de Tolentino, ac S. Guilelmi, prout in Officio noſtri Ordinis continetur. Mandamus etiam, vt quotieſcumquè officium paruum B. Virginis dicendum fuerit in Choro, peracto vtriuſque Completorij officio, dicatur eiuſdem Virginis antiphona.* Benedicta tu, *cum tribus pſalmis & lectionibus &c. vt in officijs Ordinis continetur.* Conſtit. *d. part.* 1. *cap.* 1. §. 4. & 5.

## SECTIO PRIMA.

### *De Suffragijs Sanctorum, & alijs Officio Romano additis.*

118 NOnnulla, & ex antiqua conſuetudine in Ordine Eremitarum his, quæ in Officio Romano aſſignantur, addita reperio. Et in primis Sanctorum aliquorum, Auguſtini ſcilicet, Monicæ, Nicolai, atque Guilelmi commemorationes, quæ *memoriæ* vocantur ab Auctore Microlog. *cap.* 44. & Radulph. Tungrenſ. de *Canon. obſeruant. propoſ.* 14. ſuffragia verò ab eod. Radulph. *ibid. prop.* 15. & 18. Sic enim in *Conſtit. antiq. Ordinis de* 1551. *Romæ impreſſ. cap.* 3. legitur: *Quotidiè, quando dici ſolent ſuffragia Sanctorum, poſt orationem, vel orationes diei, fiat in Veſperis, & Laudibus commemoratio B. Virginis, & Sanctorum Petri, & Pauli, & Sanctorum noſtri Ordinis, & eius vel eorum, ſub cuius, vel quorum titulo conſecrata eſt Eccleſia, prout in Ordinario eſt diſtinctum, addendo nomen Sancti, ſub cuius titulo eſt Eccleſia, ſi fuerit Angeli, vel Prophetæ poſt nomen B. Virginis, ſi Apoſtoli poſt nomina Apoſtolorum; cæterorum verò poſt*

*nomen S. Nicolai tam in Antiphona, quam in Oratione.*

*Antiphona. Alma Dei Genitrix Virgo Maria, Petre, & Paule, ſacra lumina Mundi, ò Præſul Sanctiſſime Auguſtine, cum Matre Monica, & Nicolao, noſtri nunc memores eſtote, & nobiſcum vna precemini, vt optata ſemper Chriſti pace fruamur.*

*℣. Fiat Pax in virtute tua. ℟. Et abundantia in turribus tuis.*

Oratio. *A cunctis nos quæſumus Domine, mentis & corporis defende periculis, & intercedente Beata, & Glorioſa ſemper Virgine Dei Genitrice Maria, cum Beatis Apoſtolis Petro, & Paulo, atque B. P. Auguſtino, Monica, Nicolao, & omnibus Sanctis, ſalutem nobis tribue benignus, & pacem, vt deſtructis aduerſitatibus, & erroribus vniuerſis, Eccleſia tua ſecura tibi ſeruiat libertate. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.*

119 Vbi aduertendum, hanc formam inualuiſſe antè Pij V. Breuiarij reformationem; nam ſubindè, prout in officijs propr. Sanctorum Ordinis Eremitarum de 1580. editis, Commemorationes, ſeù ſuffragia in Ordine mutata leguntur, & eadem ſunt quoad Crucem. Beat. Virg. & Sanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum, & pro pace petenda, quæ in Breuiario Romano, his additis pro Sanctis Ordinis: *Præſul Sanctiſſime Pater Auguſtine cum Matre Monica, & Nicolao, Guilelmo, atque N.* (ſancto ſcilicet, cuius eſt titulus Eccleſiæ) *noſtri nunc memores eſtote &c.* vt ſupr. *℣. Laudate Dominum in Sanctis eius. ℟. Laudate eum in firmamento virtutis eius*; cum conſimili oratione *A cunctis &c.* excepto quando titulus Eccleſiæ eſt Apoſtolus; tunc enim hæc alia dicenda antiphona: *Sancti Dei inclyti Diue N. cum B. P. Auguſtino, Nicolao, Guilelmo, atque Matre Monica noſtri nunc memores &c.* cum eiſd. verſ. & oratione *A cunctis* eodem modo accomodata.

120 At in nouiſſima Officiorum correctione ſub anno 1673. vltrà eas, quæ pro Cruce, B. Virgine, Apoſtolis, & pace ſunt in Breuiario Romano, particulares antiphonæ aſſignantur tum pro Sancto Eccleſiæ titulari, ex communi ſanctorum petenda, niſi propriam habeat, tum pro S. P. Auguſtino, ſcilicet ad Veſperas. *Sancte Pater Auguſtine tu dulcedo pauperum, tu pius conſolator filiorum ora pro nobis.* Ad laudes. *O Lumen Eccleſiæ B. Pater Auguſtine nobilis proſapiæ, Doctor legis diuinæ Eremitarum Pater, & Fundator, pro nobis apud Deum eſto pius aduocatus. ℣. Sapientiam eius narrent populi. ℟. Et laudem eius nunciet Eccleſia.* Oratio. *Concede nobis quæſumus Omnipotens Deus Sancti Patris noſtri Auguſtini deuota commemoratione gaudere, cuius patrocinio ſaluari, te auxiliante confidimus.* Et pro alijs Sanctis, *Sancti Dei inclyti, clara Auguſtini Soboles, noſtri nunc memores eſtote, & nobiſcum vna precemini, vt optata ſemper Cælitum gloria perfruamur. ℣. Laudate Dominum &c.* Oratio. *A cunctis nos quæſumus Domine defende periculis, & intercedentibus omnibus Sanctis Ordinis noſtri, ſalutem nobis tribue mentis, &*

*corpo-*

*corporis, vt depulſis aduerſitatibus, & erroribus vniuerſis; ſecurè tibi ſeruiamus.*

121 Additur etiam ad Confiteor, dum dicitur ad Primam, & Completorium, & Miſſam, *atque B. P. Auguſtino, & omnibus Sanctis*; ſicut ad ipſam Primam poſt lectionem breuem pro abſolutione Capituli, & dicto *Benedicamus Domino.* & ℟. *Deo gratias*, à lectore eiuſdem lectionis breuis, hæc Defunctorum commemoratio: *Commemoratio Fratrum, Sororum, Familiarium, Propinquorum, & Benefactorum Ordinis noſtri*; ſubdente Priore (apud nos Hebdomadario) *Per miſericordiam Dei requieſcant in pace*, & reſpondente Choro *Amen.* vt in *cit. Conſtit. antiq. cap. 3.* Quem ritum in Ordine poſt 1312. introductum, ſcribit ex Chronic. Ordinis Ioachin Brulius in *Hiſt. Peruan. Ordin. Erem. lib. 4. cap. 8. pag. 129. col. 2.* ſed ego teneo antiquiorem, & iuxtà laudabilem, & antiquam Monachorum conſuetudinem, de qua Radulphus Tungrenſ. *loc. cit. prop. 14.* ibi: *In officio autem Capituli, quod fit poſt Primam fiunt tria. Primo memoria Sanctorum in recitatione Martyrologij cum verſ. Pretioſa, & Capitulum, Sancta Maria. Secundò memoria Defunctorum in anniuerſarijs recitandis, cum miſerere mei Deus, & Collectis. Tertio &c.* & de qua Benedictus Hæſtenus *Monaſt. diſquiſit. lib. 8. tract. 1. diſq. 2. pag. 789. col. 2.* & *diſq. 4. per tot.* & Edmundus Martene de *antiqu. Monachorum Ritib. lib. 1. cap. 5. num. 5. & 22. & ſeq.* & ſignanter *num. 33.* vbi conſimilem commemorationem Defunctorum in generali apud Ciſtercienſes conſuetam ſcribit, ſcilicet: *Commemoratio omnium Fratrum, & Familiarium, Defunctorum Ordinis noſtri*, cum *requieſcant in pace &c.* prout & apud alios Monachos Bernardus Biſſus in *Hierurg. litt. P. nu. 210. §. 4.* & quam pietati conſonam commendat Molanus *tract. de Martyrolog. cap. 19.* vbi de commemoratione Defunctorum poſt Martyrologij lectionem.

122 Item in noſtra Congregatione poſt antiphónam B.V. M. quæ pro tempore canitur in fine Completorij, tres aliæ canuntur Antiphonæ, ſeù commemorationes Sanctorum Auguſtini, Ioſeph, & Nicolai; Et in toto Ordine poſt vtriuſque officij Completorium, ſcilicet diei, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ (vt explicat Paulus à S. Ioan. in *Ceremonial. lib. 2. cap. 14.*) quando hoc in Choro dicitur, poſt eamdem conſuetam B.V. antiphonam, & antè *Diuinum auxilium &c.* adduntur antiphona *Benedicta tu*, tres pſalmi, *Domine Dominus noſter. Cæli enarrant gloriam Dei. Domini eſt terra.* cum verſ. *Aue Maria gratia plena &c.* & tribus lectionibus ex Sermone S. P. Auguſtini 18. *de Sanctis. O Beata Virgo Maria &c.* cum duobus reſponſorijs, prout decernitur in Conſtitutionibus PP. Calceatorum de 1620. *cap. 1.* & in noſtris Apoſtolicis *p. 1. cap. 1. §. 5.* ibi; *Mandamus etiam, vt quotieſcumque Officium paruum B. Virginis dicendum fuerit in Choro, peracto vtriuſque Completorij Officio, dicatur eiuſdem Virginis antiphona,* Benedictá tu, *cum tri-*

*bus pſalmis, & lectionibus &c. vt in officio Ordinis continetur*, & per extenſum leguntur tum in *Ordinario Auguſtiniano de* 1549. *cap.*28. tum in *Offic. propr. Sanct. Ordinis ſub Clemente X. correctis & ampliatis in fin.*

123 Vbi hunc, quem huiuſmodi pſalmi, & lectiones præferunt titulum: *In laudem B. Mariæ de Gratia*, præterire non poſſum; ad memoriam ſiquidem reuocat, quod ad rem præſentem in *Encomiaſt. Auguſtinian. pag.* 1. Philippus Elſſius ſcripſit: *Quam* (de veſte alba Eremitarum loquitur) *diù retentam, cum Benedictus II. quorumdam precibus commotus vellet, vt ne ampliùs Auguſtiniani ferrent, primarij Patres aliquot Peruſij, (qua in Vrbe Pontifex Romanus tunc erat) coram B. Virginis imagine votum fecère, vt ſi illius patrocinio habitum retinerent, quem in honorem eiuſdem deferrent, Ordo noſter vniuerſus quaſdam lectiones ex S. Auguſtino concinnatas cum Pſalmis aliquot per hebdomadas ſingulas recitaret: qua re diuinitùs impetrata, etiam num candida veſte in honorem intemeratæ Virginis amiciuntur. Atque ideo iam tum ex eo tempore, à quo hoc à Deo beneficium receperunt, Auguſtiniani quibuſdam in locis dicti ſunt Gratiani, ſeù Religioſi de gratia. Quamquam & aptè ſic vocari queant, ſi ad ipſum magnum Patrem familias Auguſtinum reſpiciamus, qui Gratiæ Dei contrà tot impugnatores, defenſor ſingularis extitit, quique ſui imitatores hunc ſalutandi modum (Deo gratias) primus edocuit: Vide, ait, ſi non debet Frater Deogratias agere, quando ſe inuicem vident, qui habitant in Chriſto? & tamen vos Donatiſtæ Deo gratias noſtrum ridetis. lib.*3. *contrà Creſcon, cap.*37. *& enarrat in Pſal.* 132.

Hæ igitur ſunt additiones, quas officio Romano in mea Eremitarum Religione obſeruo. Quare ſit.

## SECTIO SECVNDA.

### *An liceant huiuſmodi additiones.*

124 RAtio dubitandi eſt, quia in Conſtit. 64. Pij V. apud Cherub. *tom.*2. *incip. Quod à Nobis* §.7. habemus, non eſſe aliquid Breuiario Romano addendum, vel omninò detrahendum. Vnde Suarez de *Relig. tract.*4. *lib.*4. *cap.*13. *n.*15. Filliucius *tract.*23. *cap.*6. *q.*11. *n.*214. Palaus *tract.*7. *diſp.*2. *punct.*2. *n.*15. Baldell. *tom.*2. *lib.*3. *diſp.* 30. *n.*21. Leander. *tom.*6. *tract.*8. *diſp.*3. *q.* 27. concorditer docent, quamcumque additionem, ſi cum ritu perpetuo, ſeù perpetuo duraturam illicitam eſſe, & ſub mortali prohibitam, vel ſaltem, ſi notabilis non ſit, ſub veniali ratione paruitatis materiæ, vt Bonacina de *Hor. Canon. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.*1. *nu* 21. Trullench. in *Decalog. lib.*1. *cap.*7. *dub.*14. *nu.* 15. Diana in *coordinat part.*3. *tract.*6. *reſol.*85. *n.*1. Tancred. de *Relig. tract.*3. *lib.*4. *diſp.*6. *q.*4. *num.* 15.

125 Ve-

125 Verùmtamen omnia licitè fieri mihi certiſſimum; & quidem quoad ſuffragia, ſeù commemorationes tum S. P. Auguſtini, tum Sanctorum Ordinis ad Veſperas, & Laudes, & quoad tres pſalmos cum ſermonibus S. P. Auguſtini in laudem B. V. poſt Completorium; quia omiſſo, quod commemorationi S. P. Auguſtini faueat rubrica Breuiarij de *Commemorat. commun. ſeù Suffrag. Sanctor.* ibi: *Et illis adiungatur commemoratio de Patrono, vel titulo Eccleſiæ*; Fundatores ſiquidem Religionum Canonizati earum Patroni principales ſunt, Gauantus *ſect. 5. cap. 18. nu. 7.* & quæ de Patrono loci dicuntur, eadem & conueniunt Ordinis Fundatori, & Patrono in toto Ordine. Idem *ibid. ſect. 3. cap. 12. n. 24.* Vnde Guyet. de *Feſt. prop. locor. lib. 3. cap. 17. q. 9.* ſic habet: *ſolemne item eſt cuiuslibet Ordinis Regularibus ſancti ſui Inſtitutoris ſuffragium addere, quod rubrica ipſa per ſe ſatis niti videtur*: quin & vice Patroni loci, ſeù Diæceſis. Carellus in *Doctrin. Sac. Rit. p. 1. Dialog. 35. §. la differenza. Dialog. 38. §. certamente*; Sicut & commemorationi Sanctorum Ordinis in communi fauet conſuetudo aliarum Religionum, vt Guyet. *ibid.* Et quoad pſalmos, & lectiones in laudem B. Virginis pariter omiſſo, quod addantur ſolum poſt completum officium, quibus nequit obſtare ſupradicta Pij V. conſtitutio ex mox dicendis; His, inquam, omiſſis omnia hæc licitè fieri dixi, quia omnia hæc Pontificia confirmatione roborata ſunt, vt ex Pauli V. Conſtitut. *Sacr. Apoſtolatus 5. Maij 1620.* apud Cherub. *t. 3. Conſtit.* 120. pro noſtrarum Conſtitutionum approbatione, & Clementis X. Conſtit. incipien. *Ex iniuncto Nobis ſub 28. April. 1673.* pro officiorum Ordinis conceſſione, quibus omnis dubietas euacuatur.

126 Item licitam eſſe additionem trium commemorationum præfatarum Sanctorum ſcilicet Auguſtini, Ioſeph, & Nicolai poſt terminatum Completorium ex Caſtald. in *Prax. Cerem. lib. 2. ſect. 4. cap. 6. n. 6.* cum enim canantur recitatis Oratione Dominicali, ſalutatione Angelica, & Symbolo Apoſtolico, nequit dici per eas addi aliquid officio; & prohibitio Pij V. reſpicit additionem intra ipſam Horam, non verò finita Hora, vt aduertit Bernard. Biſſus in *Hierug. litt. O. n. 31. §. 16.* & ex deciſ. S. Congregat. in *Valliſoletana 12. Ian. 1600.* Nicolius in *Floſcul. verb. Officium Diuinum n. 3.*

127 Et tandem addi licitè tum ad *Confiteor* nomen Sancti P. Auguſtini ex inueterata Ordinis conſuetudine (quam puto omnium Religionum eſſe cum Paſqualig. de *Sacrific. nou. leg. q. 216. num. 5.*) & iuxta Rubricas nouorum Offic. Ordinis, *tit. Pro Commemorationibus hebdomadarijs &c. num. 7.* & Guyet. *loc. cit. cap. 28. q. 8.* tum commemorationem Defunctorum in fine Primæ, quia licet non inueniam quoad hanc vllam Sedis Apoſtolicæ confirmationem, pro hac tamen quoque militant, quæ nuper diximus de tribus antiphonis poſt Completorium, fit namque & ipſa poſt lectionem breuem pro abſolutione Capituli, hoc eſt poſt ipſam Primam, quæ termi-

natur

natur poſt conſuetam clauſulam *Benedicamus Domino &c.* & *Martyrologium*, ac *Pretioſa in conſpectu Domini*; & reliqua, quæ illi ſubijciuntur, non ſunt pars horæ Primæ, vt clarè Io: Baptiſta Rubeus in *Nou. Rational. Diuin. Offic. lib. 3. cap. 27.* ibi: *Notatione dignum eſt, quod iſta Pretioſa in conſpectu Domini, non eſt pars Officij Primæ*, ſed diſtinctum quoddam Officium illi per modum appendicis adiectum, vt apertè Durandus in *Rational. Diuin. Offic. lib. 5. cap. 5. num.* 18. ibi: *Poſtquam verò Eccleſia direxit Orationem ad Dominum, implorat orationes ſanctorum, dicens, Pretioſa in conſpectu &c. quod non eſt de Prima; vndè eſt, quod quidam dicunt illud poſt matutinas laudes; & ita quidam interponunt inter Primam, & Pretioſa Primam de B. Virgine, & quidam Miſſam animarum &c.* ſatiſque exprimit Gauantus ad *Rubric. Breuiar. ſect.* 4. *cap.* 3. *num.* 10. probat verò pluribus, & eruditè Caramuel in *Regul. S. Benedicti* & in *Theolog. Regul. diſp.* 105. *num.* 1365. & vlteriùs Benedictus Hæftenus *loc. cit. diſq.* 2. tum quia paſſim Scriptores dicunt, *finita Prima*, ſeù poſt Primam legi Martyrologium; pro quibus ſufficiant Rodulphus Tungrenſ. de *Canon. obſeruant. propoſ.* 14. ibi: *In officio Capituli, quod fit poſt Primam fiunt tria. Primò memoria Sanctorum in recitatione Martyrologij &c.* & Theophilus Raynaud. *tom.* 13. *in Anagnoſt. pag.* 541. *col.* 2. vbi: *In Choro legitur Martyrologium ad finem Horæ primæ*, & iterum: *Fine Horæ primæ; hoc eſt ante illos verſus Pretioſa &c. Inde enim incipit appendix ad primam &c.* tum quia Prima B. Virg., quæ dicenda eſt poſt Primam officij maioris, ſeù diei, iuxtà omnes Rubricas dicitur antè Martyrologij lectionem; & etiam quia pluribus in locis, & Religionibus terminata in Choro Prima, Martyrologium cum ſequentibus non ibi, ſed alio in loco perſoluuntur (& quandoque ſatis longo poſt Primam interuallo) ſeù in Capitulo, vt vidimus ex Tungrenſ. *d. prop.* 14. & apud Eremitanos olim vſitatim oſtendunt antiquæ Ordinis Conſtitutiones *cap.* 4. ſicut & apud Monachos, vt notat Hæftenus *ibid. diſq.* 2. & ex eo Theophilus Raynaud. *dict. pag.* 541. *col.* 2. *fin.* Martene de *Ritib. antiq. Monach. lib.* 1. *cap.* 5. *à numer.* 7. *& ſeq.* & ex *Capitular. Ludouici Imperator.* (de quo mox *num.* 129.) *tit.* 69. Hugo Menard. in *Concord. Regular. not. ad Vit. S. Benedicti Abb. Anian. pag. mihi* 43. *v. ad Collectam Matutinam.* & Antonius Dadinus Alteſerra de *Origin. rer. Monaſtic. lib.* 6. *cap.* 4. *fin.* Biſſus in *d. Hierurg. litt. P. num.* 210. §. 4. *&* 7. Vnde cum commemoratio prædicta non fiat antè Martyrologium, non poteſt propriè dici addita Officio Primæ, ſed poſt Primam.

128 Quod repeto, etiamſi admittatur, *Martyrologium, Pretioſa &c.* cum reliquis non eſſe appendicem, ſed ſpectare ad Primæ ſubſtantiam, quia licet fiat antè vltimos verſ. *Adiutorium noſtrum &c.* fit tamen poſt lectionem breuem, quæ legitur pro Capituli abſolutione, vt ex verbis Rubr. *de Prima* & Rubr. in *fine Primæ* ibi: *Ad abſolutionem Capituli lectio*

*breuis*;

*breuis*; ſi enim lectio breuis ponitur per Gauant. *d. cap.* 3. *num.* 10. loco lectionis communis, ad quam poſt horam Primam in Capitulo conueniebant Monachi; vt ex Amalar. *lib.* 4. *de Eccleſ. offic. cap.* 2. *fin.* & *cap.* 3. & de *Ordin. Antiphon. cap.* 7. & Honor. Auguſtodun. in *Gemm. Anim. lib.* 2. *cap.* 58. idem Gauantus *ibid.* Hæftenus *loc. cit. diſq.* 1. *ad §. ſed qua, & ſeq. diſq.* 2. *§. His iam præmiſſis, & diſq.* 3. *num.* 3. Card. Bona de *Diuin. pſalmod. cap.* 16. *§.* 19. *nu.* 2. & Martene *d. cap.* 5. *num.* 20. *&* 21. & per verbum *abſolutio* importatur, per illam lectionem breuem terminari totum actum Capitularem, vt eruditè Hæftenus *ibid. diſq.* 2. eo modo, quo per quamlibet abſolutionem *Exaudi Domine Ieſu Chriſte &c. Ipſius pietas &c. A vinculis peccatorum &c.* in matutinis denotatur abſoluta pſalmodia cuiuſque reſpectiuè Nocturni; ſatis apparet præfatam commemorationem fieri poſt Primam, dum fit poſt lectionem breuem pro abſolutione Capituli.

129 Confirmantur hæc omnia ex his, quæ ad hoc Conuentus Generalis Abbatum Galliæ ſub Ludouico Pio de 817. habiti decretum: *Vt ad Capitulum primitus Martyrologium legatur, & dicatur verſus; deindè Regula, aut homilia quælibet legatur; deinde: Tu autem Domine*, ſapientiſſimus Ludouicus Thomaſſinus, quem honoris gratia referre libet, de *Vet. & nou. Eccleſ. diſcipl. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 82. *num.* 8. per hæc verba ſcripſit. *Vides hinc vndè acceſſerit horæ primæ additamentum illud prolixius, quo Martyrologium, quo verſus, quo lectio breuis continetur: nempè id totum ex eo accitum, & aſſutum eſt, quod in Capitulo priuatim fiebat; & hæ omninò & Orationes erant, & lectiones piæ à priuato penſo ad publicam contextionem translatæ.*

130 Nec prætereundum, quod quando lectio ipſa breuis non habetur propria, deſumenda ſit ex Capitulo Nonæ per Rubric. *de Prima*, & ob hanc rationem, vt opinatur idem Gauantus *ibid. num.* 11. quia *Capitulum Nonæ in Feſtis ſolet eſſe finis Epiſtolæ, quæ legitur in Miſſa, vt ſcilicet finis Epiſtolæ finem imponat Primæ horæ*; ex hoc enim etiam dignoſcitur præfatam commemorationem, quæ poſt lectionem breuem fit, reuerà fieri poſt Primam.

131 Et tandem, quamuis admittatur, etiam verſiculos *Adiutorium noſtrum &c. Benedicite &c. Dominus nos benedicat &c.* ad ipſam Primam ſpectare, & eius concluſionem, & terminationem eſſe; nec adhuc illicita dici poteſt præfata Defunctorum commemoratio, tum moraliter, quia; cum parum pro nihilo reputetur, idem cenſendum eſt fieri in fine Primæ, & completa Prima, ad effectum, vt poſſit hic applicari quæ ſupra *n.* 126. dicta ſunt; tum abſolutè loquendo, quia cum prædicta commemoratio ſit breuis, & modica, ex eius additione non poteſt cenſeri violata Pij V. Conſtitutio, vt Gauant. *ſect.* 2. *cap.* 2. *n.* 21. & deuotionis cauſa breuem aliquam orationem addi poſſe præciſo omni peccato docent Gobat. in *Experiment. Theol. tract.* 5. *n.* 696. & Guyet. de *Feſt. propr. loc. l.* 3. *cap.* 21. per totum, vbi non vnum exemplum.

K OB-

# OBSERUATIO SEXTA.

## Ad Text.

*Decernimus quoque, vt quotidiè Fratres poſt cœnam, & collationem hora competenti, iuxtà temporum varietatem pulſata campanella prò ſigno ſilentij omnes in Chorum cum ſilentio conueniant, ibique genuflexi deuotè per aliquod temporis ſpatium, vtpotè octauam horæ partem examen conſcientiæ ſuæ faciant; poſteà Prior, vel qui Maior ibi fuerit, dicto* Confiteor, *& reliquis Orationis Serotinæ, benedicat omnes dicendo:* Noctem quietam &c. *& reſponſo ab omnibus* Amen, *ad Cellas ſuas ſinguli cum ſilentio pergant.* Conſtit. *d.p.* 1. *cap.* 1. §. 6.

## SECTIO PRIMA.

### *De Oratione Serotina, & in ea peragendis.*

132 PRæter officium ergò Diuinum, quod in choro celebrandum eſt, quotidiè etiam omnes congregari debent Religioſi, prò Oratione, quæ a tempore dicitur Serotina, & quam ab Ambroſio Coriolano in Ordine reſtitutam ſcribit Philippus Elſſius in *Encom. Auguſtin. verb. Ambroſius de Maſſares*, & vtique in Choro, ſiuè in Oratorio, prout Paulus à S. Ioann. in *Ceremonial. lib.* 5. *cap.* 6. quod fortè ex eo quod & ibi Deo laudes à Fratribus per Choros diſtinctis perſoluantur, ſub Chori appellatione venire, aut intelligi potuit; vel ſaltem ex praxi, vtpotè ad præfata opportunius, Choro ſubſtitui. Et ſanè laudabilis, & antiqua conſuetudo antè ſomnum commendandi ſe Deo; hoc enim ſuadebant S. Athanaſius *tract. de Virginit.* ibi. *Siuè cubitum vadis ad ſomnum capiendum, ſiuè cubitu ſurgis, non abſiſtat hymnus Dei à labijs tuis;* & S. Ambroſius *lib.* 3. *de Virginib.* ſic: *Certè ſolemnes Orationes, cum gratiarum actione ſunt deferendæ &c. cum denique, cubitum pergimus.* Quin in

Apo-

Apoſtolicis Conſtit. S. Clementis *lib.* 7. *cap.* 48. hæc orationis antè cubitum faciendæ formula legitur: *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini, laudamus te, celebramus, benedicimus te, propter magnam gloriam: Domine Rex pater Chriſti agni immaculati, qui tollit peccata Mundi; Te decet laus, te decet hymnus, te decet gloria Deum Patrem per Filium in Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum. Amen. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace &c.* Vndè Vgo Menardus in *Concord. Regular. cap.* 44. *not. ad* §. 5. ſic ſcribit: *Semper hæc pia viguit in Eccleſia conſuetudo, vt ſerò dormituri ſe Deo hymnis, & orationibus commendarent.* Quæ porrò Oratio, prò ſomno Oratio nominatur in Regula cuiuſdam ad Virgines *cap.* 9. ibi: *Oratio ad ſomnum capiendum* apud Holſtenium in *Codic. Regular. part.* 3. & quæ *Veſpertina* appellatur ibi à Clemente, dicitur in terminis *Oratio Serotina* à Menardo *loc. citat.*

133 Et quidem à Monachis S. Baſilij antè cubitum Orationem Dominicalem in communi recitari ſolitam ex eiuſdem Sancti *pænis breuibus art.* 26. colligit idem Menardus *ibid.* & pſalmos quoſdam ex Caſſiano, eodemque Baſilio Nebridius à Mundelheim in *Antiquar. Monaſt. epiſt.* 68. & cum pſalmis alias preces ab alijs Monachis, Martene de *Antiq. Monach. Ritib. lib.* 1. *cap.* 12. *à num.* 18. *& ſeq.* Et ad rem noſtram ſpecialitèr obſeruo quæ in Regula S. Fructuoſi *cap.* 2. apud Holſtenium *ibid. part.* 2. & Menard. *loc. cit. cap.* 24. §. 4. ſub his verbis ſcripta leguntur: *Cum demum pergentes ad cubilia, atque in vnum cuncti coeuntes ad perfectionem pacis, & reorum abſolutionem, cantatis tribus pſalmis iuxtà morem, cum laude, & benedictione, Symbolum Chriſtianæ Fidei, communi omnes recitant voce, vt Fidem ſuam puram coram Domino oſtendentes, ſi, quod dubium non eſt fieri, vel accidere, vt nocturno quiſquam tempore euocetur à corpore, commendatam iam fidem ſuam, & expiatam ab omni ſcandalo conſcientiam proferat ante Deum. Poſt deindè adeuntes cubilia ſummò cum ſilentio & habitu tacito greſſuque quieto pergat ad lectum ſuum.* Obſeruo, inquam, ſpecialiter, quia & ibi præter pſalmos & alias vocales orationes, & benedictionem, examen quoque conſcientiæ in illis verbis *expiatam ab omni ſcandalo conſcientiam*, vſitatum legere mihi videor, iuxta phraſim S. Dorothei *ſerm.* 11. qui examen conſcientiæ *Expiationem* appellat: *Quo pacto* (ſic ipſe) *ſingulos dies nos ipſos purgare, & propemodum expiare debeamus, exactiſſimè docuerunt Maiores & Patres noſtri, nempè vt Veſperi ſedulò quiſque perquirat, & inueſtiget, quomodò pertranſierit diem illam. Rurſum manè examinet, quomodò exegerit noctem illam;* quæ omnia complentur in noſtra Oratione Serotina.

134 Ab examine itaque conſcientiæ eam ordiamur; nihil enim hoc exercitio Religioſo perutilius, ni dicam magis neceſſarium; de qua re paſſim Aſcetici. Et ſanè, *quotidiè actus ſuos vigilanter, & curiosè debet diſcutere Monachus, & ſi peccato ſe obnoxium in aliquo horum ſenſerit, antè ſolis oc-*

*caſum, & ſi fieri poterit, antequam comedat, dormiat, aut aliquid operis agat; neceſſe eſt; vt velociter ad pænitentiam recurrat*; verba ſunt Smaragdi in *Reg. S. Benedicti cap. 4. inſtrum.* 48. Et non ſolum antè ſomnum, vt *hom. 2. in pſalm.* 50. hortatur ſic Chryſoſtomus: *Antequam veniat tibi ſomnus profer in medium codicem conſcientiæ tuæ, & reminiſcere peccata tua, ſi quid in verbo, aut in facto, vel cogitatione peccaſti;* Et ab Ethnicis quoque obſeruatum aduertit Caraciolus in *Synopſ. vet. Relig. p. 1. cap. 8. num. 4.* à S. Baſilio ſuis Monachis præſcriptum legitur in *Regul. fuſ. diſp. int.* 37. apud alios vſitatum refert Martene *d. lib. 1. cap. 12. num.* 25. & de ſuis Præmonſtratenſibus Seruatus Lairuelz in *Optic. Regul. ſpec.* 17. ſed bis in die, manè ſcilicet poſt ſomnum, & ſerò antè illum, vt ex S. Dorotheo vidimus, & ex S. Ephrem, *tom. 3. ſerm. Aſcet.* S. Bernardo *lib. de vit. ſolit.* aliiſque pluribus exornat Iulius Nigronus in *Reg. com. ſociet. Ieſu. regul. 1. à num. 9. & ſeq.* Ad quorum immitationem, & apud nos bis in die, & per octauam horæ partem peragitur, manè ſcilicet poſt horas ante prandium: *Finitis horis, quæ prandium præcedunt examen conſcientiæ in Choro facient per octauam horæ partem.* Conſtit. *p. 1. cap. 2. §. 4.* & ſerò antè cubitum, vt vidimus, & modò explicamus. Nec hic prætereundum, poſt huiuſmodi examen contritionis actum eliciendum eſſe, cum, vt habet Peregrinus *ad cap. 8. Conſtit. Theat.* ad id demandetúr tale examen; quod ſaltem prò examine Serotino valdè commendo, cum poſt illud ſomno, qui mortis imago eſt, ſit indulgendum.

135 Orationis autem Serotinæ, quæ vocalis eſt, hanc accipe ſummam. Expleto examine Prior, vel qui præſidet incipit *Confiteor Deo &c.* & facta in communi confeſſione ſubdit. *Miſereatur noſtri &c. Indulgentiam &c. Oremus. prò Benefactoribus noſtris viuis, atque defunctis. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam.* ℟. *Amen.* deindè poſt Pſal. *Ad te læuaui oculos meos &c. Kirie eleiſon &c.* proſequitur: *Pater noſter &c. Et ne nos &c. ſaluos fac &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiſcum &c. Oremus. Deus omnium Fidelium Paſtor, & Rector famulum tuum N. quem Eccleſiæ tuæ præeſſe &c. Prætende Domine famulis &c.* & poſt Pſal. *De profundis & Requiem æternam &c. Kirie eleiſon &c.* iterum ſubdit. *Pater noſter &c. A porta Inferi &c. Requieſcant &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiſcum &c. Oremus. Deus veniæ largitor &c. Fidelium Deus &c. Aſperges &c. Salue Regina &c. Ora prò nobis &c. Oremus. Beatæ, & glorioſæ ſemper Virginis Mariæ &c. Concede quæſumus Omnipotens Deus S. P. Auguſtini &c. Noctem quietam &c.* ſic in Conſtitutionibus Ordinis de 1620. impreſ. *part. 1. cap. 1.* & in calce Officiorum prop. Sanctorum Ord. & in noſtro Ordinario precum *lib. 2. cap. 10.* quæ forma quotidiè obſeruatur, excepto triduo Maioris hebdomadæ, in quo poſt examen conſcientiæ dicuntur ſolum *Confiteor, Miſereatur, Indulgentiam*, vt in *eod. Ord. precum loc. cit.*

136 Et hic adnotare mihi liceat, hanc Orationem ſerotinam ab antiqua in his differre, prout in Conſtit. *antiq. cap. 3.* quod vbi modo dicitur: *Oremus prò Benefactoribus noſtris viuis, atque defunctis* in illa dicebatur: *Oremus prò viuis atque defunctis*. In iſta duæ ſunt orationes defunctorum, in illa vna tantum *Fidelium &c.* Tunc poſt orationem prò defunctis dicebatur à Priore: *Pro fratibus noſtris abſentibus &c.* quod in præſenti omittitur. Aſperſio Aquæ benedictæ fiebat poſt *Salue Regina*: modò antè. Et hanc quoquè differentiam in Oratione, quæ apud nos fit, & quæ apud Patres calceatos; quod iſti dicto *Indulgentiam &c.* ſurgunt, ſtantque vſque ad aſperſionem excluſiuè: Nos ſemper genuflexi. Apud ipſos pſalmus *Ad te leuaui* intonatur à primo, ſeù primi Chori cantore, apud nos a ſecundo; Prior eos aſpergit: nos verò Hebdomadarius. Nos poſt Orationem S. P. Auguſtini *Concede &c.* alteram addere, *Exaudi nos Domine Sancte Pater Omnipotens æterne Deus, & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de Cælis, qui cuſtodiat foueat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum &c.* quam ipſi non recitant. Sic quò ad illòs, tum ex Ord. Conſtit. *de 1620. d. cap. 1.* tum ex officijs nouiter impreſſis; & quo ad nos ex noſtro *Ordinar. prec. lib. 2. cap. 10.*

137 Ratio autem, cur primus pſalmus *Ad te leuaui &c.* intonetur à Cantore ſecundi Chori, eam puto, ne primum *Kirie eleiſon*, quod poſt præfatum pſalmum ſequitur, dicatur à ſecundo Choro; cum enim ex vna parte, cum dicuntur *Kirie eleiſon, Chriſte eleiſon &c.* primum ex his dici debeat à primo Choro, vt tum in Miſſa, quæ canitur, tum in ipſo Officio Diuino obſeruari poteſt; & ex altera ſemper vnus Chorus incipiat ad terminationem alterius, ità quod, quando non ſint antiphonæ, vbi terminat primus, ſubſequatur ſecundus, & è contra, per Caſtald. *lib. 1. ſect. 6. cap. 1. nu. 10. fin.* Paul. à S. Ioann. in *Cerem. lib. 1. cap. 5.* ſi pſalmus *Ad te leuaui &c.* exordiretur ex parte primi Chori, etiam *Gloria Patri &c.* terminaretur ex parte eiuſdem, & conſequenter primum *Kirie eleiſon* dici deberet à ſecundo Choro. Et ideò ad hoc euitandum primus pſalmus à ſecundo Choro incipitur; ſic enim medietas verſiculi *Gloria Patri &c.* ſeù *ſicut erat in principio &c.* cum ad eumdem ſecundum Chorum ſpectet, primus poſtea proſequitur primum *Kirie eleiſon*.

138 Nec hic monere omittam, dum Præſidens dicit ad *Confiteor*, *Miſereatur &c.* non iam *veſtri*, vt a quibuſdam practicari ego ipſe audiui ex errore impreſſionis in *Ordinario prec.* ſed *noſtri* dicendum. Ad primam quidem, & Completorium *veſtri* dicendum eſt, quia tunc prius a Choro reſpondetur *Miſereatur tui*; vndè, cum dicitur a Choro *Confiteor*, reſpondere vtique debet Hebdomadarius *Miſereatur veſtri*: In oratione verò ſerotina non dicitur bis *Miſereatur*, cum nec bis dicatur *Confiteor* ſemel a Priore, & ſemel a Fratribus: ſed ſemel tantum a Priore, & Fratribus ſimul. Quarè,

cum

eum non poſſit reſponderi à Fratribus Priori, *Miſereatur tui*, nec ab hoc dicendum, *Miſereatur veſtri*: ſed vnico tantum *Miſereatur*, omnes, ſe inquam, & Fratres complecti debet dicendo, *Miſereatur noſtri &c.* eo modo quo, dum dicitur *Indulgentiam*, quia ſemel dicitur, non iam *peccatorum veſtrorum* ſed *noſtrorum* dicitur; & eo modo, quo quis, dum priuatè recitat Officium, etiam ſi ſolus ſit, dicere debet *Miſereatur noſtri &c.* ex Gauant. ad *Rubr. Breuiar. ſect.* 5. *cap.* 17. *num.* 12. Bernard. Biſſ. in *Hierurg. litt. P. num.* 196. §. 7. Guyet. de *Feſt. prop. locor. lib.* 3. *cap.* 19. *q.* 5. *num.* 8. *fin.*

139 Nonnulla item in his orationibus potiſſimè adnotanda. Primò Ordinis Eremitarum grata in Benefactores memoria, de qua Brulius in *Hiſt. Peruan. Ord. Erem. lib.* 4. *cap.* 8. cum non ſolum eorum diſtinctè meminerit ad Primam, vt vidimus, ſed etiam in hac Oratione Serotina, *Oremus pro Benefactoribus, Retribuere &c.* præter anniuerſarium, quod poſt S. Agathæ feſtum quot annis celebratur, & quotidianas preces, quæ prò illis apud nos ex præſcripto Conſtitut. *part.* 1. *cap.* 9. *num.* 16. poſt cænam, & collationem ad Superioris nutum perſoluuntur. Secundò prò Summo Pontifice, & poſt ipſum prò Card. Protectore Orat. *Deus omnium Fidelium Paſtor &c.* in qua vterque explicitè commemorantur, Deum quotidiè exorari. Tertiò aqua benedicta omnes a Priore, vel Hebdomadario, vt dictum eſt, aſpergi, quod vtroque modo à Monachis obſeruatum inſinuat Martene *d. cap.* 12. *nu.* 23. de qua conſuetudine ſic in *Antiquar. Monaſt. epiſt.* 107. Nebridius a Mundelheim: *Quam introduxit Aquiſgranenſe Concilium, qua peracto conſcientiæ examine Fratres omnes in dormitorio per Sacerdotem ſolemni Formula benedicuntur percepta aqua luſtrali*; & ſic aſpergi contra nocturna Diaboli præſtigia, vt ex Turrecremata in *Regul. S. Benedicti tract.* 107. *num.* 7. ſubnectit Caracciolus in *Synopſ. Vet. Relig. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 7. & Theophilus Raynaud. *tom.* 16. *Heteroclet. Spiritual. ſect.* 2. *punct.* 3. *pag.* 217. & ad melius purgandas animas, cum per eam deleantur venialia, vt cum D. Thoma. 3. *p. q.* 65. *art.* 1. *ad* 6. Marſilius Columna de *Aqua bened. ſect.* 3. *cap.* 3.

140 Quartò Aniphonam *Salue Regina* ſuperaddi in honorem B. V. Mariæ, *Ne ſerpens verſutus* (vt de Monachis Anglis refert Martene *loc. cit. num.* 17.) *quos vigilantes nequit ſubuertere, dormientes noctanter illudat; & ideò hac antiphona antè ſomnum eius implorari ſuffragium, per quam extitit caput ipſius Serpentis contritum*; & vtique *Salue Regina* ad Ordinis conſeruationem, qua, vt ex B. Iordani Ordinis Predicat. Magiſtri G. fide referunt idem Turrecremata *d. tract.* 107. *num.* 10. & Humbertus in *Reg. S. Auguſt. cap.* 38. dum *Eia ergo aduocata noſtra* diceretur à Fratribus in Choro, vidit vnus ex ipſis *B. Virginem flexis genibus recommendantem Ordinem Filio ſuo*. Et tandem antè cubitum omnes a Prælato benedici: *Noctem quietam &c.* vt & pariter apud Monachos vſitatum teſtatur idem Martene *ibid. à nu.* 14.

& in ſuo Ordine obſeruari ſcribit Peyrinus in *Regul. Minim. cap.* 5. §. 19. *q.* 3. *num.* 17. Licet enim loquantur de benedictione poſt Completorium, idem tamen eorum, & noſtræ benedictionis eſt finis, cum ſtatim poſt Completorium, & benedictionem, & ipſi cubitum pergerent, vt ex eiſd. Martene *num.* 18. *& ſeq.* & Peyrin. *num.* 18. A qua benedictione, ſicut & ipſe Martene *num.* 17. notat, item neminem ex Monachis abeſſe permittebatur, ſic nec quempiam, cuiuſcumque gradus ſit, ab hac Oratione Serotina abeſſe tolerant Ordinis Conſtitutiones *d. cap.* 1. & teſtatur Brulius *loc. cit.* §. *ſinguli quoque*, ſicut nec noſtræ ſine Prioris expreſſa licentia, vt in *ſeq. obſeru.* Et vtique rationabiliter, ne quis beneficio ab ipſa reſultante priuetur, vt Humbertus *ibid.* quandoquidem & talis benedictio datur ad fugandos nocturnos Dæmones, tum ad Fratres corroborandos, vt ex Turrecremata *loc. ſup. num.* 7. loquuntur Peyrinus in *Reg. Minim. cap.* 5. §. 19. *q.* 3. *num.* 17. & Humbertus *d. cap.* 38. ibi: *multa ſunt in illa hora, quæ habent aliquem effectum gratiæ conferendæ, ſicut aſperſio aquæ benedictæ, & benedictio Prælati.*

141 Suo porrò non caret fructu hoc pium exercitium; quoniam Leo. X. in incipient. *Cum ſicut accepimus*. 6. Ianuarij 1515. ſeptem annos indulgentiæ, ac totidem quadragenas illam in communi, vel ex ſe orationem, quæ in ipſa pro felici ſtatu S. R. Eccl. & pro Summo Pontifice dicitur, vel eius loco *Salue Regina*, recitantibus Religioſis, Monialibus, Mantellatis, & Corrigiatis in toto Orbe conſtitutis conceſſit, vt in *Bullar. Ordin.* inter eius Pontific. *Conſtit.* 3. *pag.* 229.

## SECTIO SECVNDA.

### *De Communi flagellatione.*

142 PRæter hæc autem omnia mox dicta, ſingulis ſecundis, quartis, & ſextis ferijs totius anni (exceptis Feſtis Paſchatis, Pentecoſtes, & Natiuitatis Domini) & etiam quinta Hebdomadæ Maioris, dicto *Noctem quietam &c.* omnes communi flagellatione ſe caſtigant, vſque dum moroſè ſeu ſillabatim canuntur pſalmus *Miſerere*, *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens &c.* ſeptem Orationes. *Reſpice quæſumus Domine &c. Vre igne Sanctè Spiritus &c. Concede miſericors Deus &c. Eccleſiæ tuæ &c. Deus qui culpa offenderis &c. Fidelium Deus &c. Prætende Domine &c.* & tres Orationes Dominicales cum totidem Salutationibus Angelicis prò Benefactoribus infirmis, vel defunctis ad Prælati arbitrium perſoluuntur; Et hoc infallibilitèr, non iam ex Conſtitutionum præſcripto, cum id nullibi legatur, ſed ex conſuetudine tantum ab ipſa Reformationis origine prouenientè, prout in *Ceremoniali lib.* 5. *cap.* 6. & in *Ordinario Precum lib.* 2.

cap. 12.

*cap.* 12. iuxtà antiquum, & laudabilem non ſolum priſcorum Monachorum, & ſignanter noſtræ Religionis Eremitarum, ſed & iuxtà ferè omnium Ordinum Regularium morem, de quibus omnibus Maggius de *Sacr. Ceremon. opuſc.* 2. *diſq.* 54. cuius auctorem S. Petrum Damiani facit Theophylus Raynaud. *tom.* 6. *de Apparit. Sacrament. q.* 1. *pag.* 389. *fin.* Sanctum verò Dominicum Loricatum Baronius, vt ſcribit Nebridius à Mundelheim *loc. citat. epiſt.* 110. §. *Noſtro æuo &c.* quem tamen longè antiquiorem eſſe fatetur ipſe S. Petrus Damiani ad Cerebroſum Monachum *Epiſt.* 27. *lib.* 6. ibi: *de diſciplinis autem verberum, quas ſibi Fratres conſuetudinaliter inferunt, vbi detractionis pedem diutius impreſſiſti, cum Dei auxilio reſpondemus. Hoc itaque diſciplinæ genus nequaquam modernis eſt ſtudijs nouiter adinuentum;* & poſt aliqua: *nam & antè nos omnibus ferè ſanctis Monaſterijs hæc diſciplina regula, nequaquam fuit incognita, & ſi non adeò frequentata;* & re melius conſiderata fatetur & ipſe Raynaud. *tom.* 17. *tractat. de maleuol. erga Religioſ. ſect.* 1. *punct.* 2. §. 4. *pag.* 317. *col.* 1. *verſ. flagellorum vſus.* Adeoque non iam ritus huius inſtitutor, ſed potius reſtitutor dicendus eſt ipſe Petrus Damiani, vt benè Antonius Dadinus Alteſerra de *Orig. rer. Monaſtic. lib.* 6. *cap.* 15. vbi eum à S. Paulo 1. *Corinth.* 9. ibi *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo,* deducit; & ægyptijs Monachis vſitatum inſinuat. Eum tamen ſatis comendat ipſe S. Petrus Damiani *lib.* 6. *ep.* 1. §. *octauò itaque*, vbi, *Iucundum Deo ſpectaculum* dicit; & *d. ep.* 27. *Speciem Martyrij*, & *epiſt.* 30. §. *ſed cum ego ſanctos*: *Immitationem Paſſionis Chriſti*; & *lib.* 7. *epiſt.* 19. §. *vtinam daretur tibi*: *Genus Purgatorij*. De quo item ritu qui plura velit videat Theophil. Raynaud. *loc. cit.* & *tom.* 12. *in Hoplotheca ſect.* 3. *cap.* 19. *pag.* 644. Hæftenum *diſquiſit. Monaſt. lib.* 8. *tract.* 5. *per totum*. Alteſerram, & Maggium *locis laudat.* Marteno de *Ritibus Monachor. lib.* 2. *cap.* 11. *à num.* 8. & præ cæteris Iacobum Gretſerum integro *tract. de Diſcip.* Hoc vnum noto cani præ cæteris (nam de Pſalmo *Miſerere* aliquid infra *num.* 399.) antiphonam *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens*, quod & à pluribus alijs Ordinibus obſeruari legitur apud Maggium *cit. diſq.* 54. ob memoriam Paſſionis Ieſu Chriſti D. N. ob cuius cultum, & imitationem inducta eſt flagellatio in Feria ſexta ex eod. S. Petro Damiano *Opuſc.* 43. *ad Monach. Caſſinen.* & *Opuſc.* 33. *cap.* 3. *ad Deſiderium Abbatem*. Doloroſæ Chriſti flagellationi exiguum Religioſæ deuotionis penſum; & ideò ter in hebdomada repetitum, & quod melius eſſet, maiore animi intenſione perſoluendum. Et à quo exercitio nemo cordatus ſubtrahere ſe deberet, cum Hugo Victorinus de ſe poſt mortem apparens dixerit apud Cantipatr. *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 5. *Quia dum viuerem accipere renui diſciplinam, vix nullus Dæmonum in Inferno remanſit, qui non mihi ictum validum dedit ad Purgatorium tranſeunti.*

OB-

# OBSERUATIO SEPTIMA.

## Ad Text.

*NVllus autem, niſi occupatus communi negotio, quod commodè & ſine iactura Conuentus dimittere non poſſit, à prædictis actibus abeſſe præſumat, & legitimè impeditus Superiorem certiorem faciat, veniamque obtineat, ſine qua nullus in Choro exiſtens recedere præſumat, ſub pœna graui tranſgreſſoribus infligenda.* Conſtit. *eod. cap.* 1. §. 7.

## SECTIO PRIMA.

*De Chori (& occaſionaliter aliorum actuum communium) frequentia; vbi propter particulares deuotiones, non omittendos.*

143 VIdentur hic quidem Conſtitutionum verba: *à prædictis actibus abeſſe præſumat*, de ſola aſſiſtentia Choro pro Officio Diuino, & Oratione ſerotina loqui, de quibus ſolummodò ſupra ſermo præceſſerat, ratione dictionis *prædictis*, quæ repetitionem, & reſtrictionem ad ſuperiùs enumerata importat per adductos à Barboſ. de *Diction. vſufreq. diction.* 276. *num.* 7. Nihilominùs, cum *part.* 4. *cap.* 4. vniant tum diſceſſum, tum abſentiam à Choro ſine licentia, cum diſceſſu, & abſentia ab alijs actibus communibus pariter ſine licentia, dum eamdem pro vtriſque pœnam aſſignant, ibi: *Culpa media cenſebitur à Choro, vel quouis communi Fratrum cœtu ſine Præſidentis venia exire; à Choro, vel alio communi actu ſine Superioris licentia abeſſe*, extra rem non erit indiſtinctè de actuum communium frequentatione agere, vt indè illa Chori facilius ſuadeatur.

144 Et vt paucis multa complectar, en breuibus verbis tota Religioſi perfectio delineata; actibus ſcilicet communibus aſſiſtentia; ſi quis enim eos frequentare conſueuerit, nil ampliùs exquirendum, vt legem adimpleuiſſe dicatur. Hæc ſaltem mens eſt D. Bonauenturæ in *Specul. diſcipl.*

*ad Nouit. part. 2. cap. 2.* vbi ſic: *Optima Religioſi perfectio perfectè communia, quæque conuentualia ſeruare*; in quibus verbis obſeruanda dictio *quæque*, quæ cum non recipiat reſtrictionem, ſed omnia comprehendat Barboſ. *ibid. dict.* 305. facit ſenſum, omnes actus communes eſſe ſeruandos; & ſuffragatur axioma: *Bonum ex integra cauſa*; Qua de cauſa fortaſsè idem à S. Benedicto in ſua Regul. *cap.* 7. in hoc octauo humilitatis gradu, *Si nihil agat Monachus, niſi quod communis Monaſterij Regula, vel Maiorum cohortantur exempla* inculcatum putauerim; ſic ad rem verba iſta *Diſquiſ. Monaſt. lib. 6. tract. 6. diſq.* 8. interpretante Hæfteno: *Vt omnia illa exequamur, quæ communis Monaſterij Regula, aut Maiorum ſuadent exempla, nec ex eis quidquam prætermittatur.* Quod vtique de communibus actibus, qui nempè communitatem, non verò qui perſonas particulares, & priuata munera reſpiciunt, explicat Martene *Comment. ad d. cap. 7. de 8. grad. humilit.*

145 Commendat hinc idem S. Bonauentura *loc. ſupr. part.* 1. *cap.* 22. huiuſmodi actibus communibus aſſiſtentiam, & ſic ad eam ob bona, quæ indè proueniunt, adhortatur, & vrget: *Conuentualem vitam, vt ſanctiſſimam, immò angelicam toto affectu animi amplexantes ei tam continua, quam deuota proſecutione adhæreant. Quantum ad Officium, menſam, & alia vix niſi coacti à Conuentus congregatione recedant. Tantam Deus conuentui efficaciam contulit bonitatis, vt ibi augmentum ſuſcipiat boni bonus, aut veniam mali malus. Multa in conuentu bona præſentibus conferuntur, abſentibus ſubtrhauntur. Saul ad conuentum pſallentium prophetarum propheta efficitur. Extrà conuentum factus peruertitur. Thomas diſcipulorum abſens conuentui, viſionis Dominicæ conſolatione fraudatur, quam ad collegium conuerſus aſſequitur. Diſcipuli pariter congregati Spiritum Sanctum accipiunt. In Conuentu Dominus habitat, & requieſcit, ibi deuotos quoque vberioris gratiæ pabulo refocillat*, & B. Humbertus in *Regul. S. Auguſt. cap.* 43. de Religioſo ab actibus communibus abſente, ſic: *Talis eſt ſicut ouis ſegregata, quam faciliùs inuadit Lupus, vt patet de B. Thoma Apoſtolo, qui ſegregatus ab alijs, Dominum videre non meruit. Sicut Abbas facit quandoque pitantiam in conuentu, & non vult, quod habeant, qui non interſunt cum alijs; ita Dominus ſpirituales gratias, & conſolationes.*

146 Videant hinc quanto bono ſe priuent, qui colorato prætextu Chorum effugiunt, vel declinant. Hoc mihi prætereundum non puto, quod à Petro Dioratico ſe audiuiſſe refert *Doctrin.* 11. *in Bibl. PP. tom.* 5. S. Dorotheus, *Cum nocte quadam in Eccleſia excubaret in principio pſalmodiæ vidiſſe quemdam è Sacrario egredientem cum veſte ſplendida, habentemque in manu caliculum cum ſacrificio, & hoſtia, tinxiſſeque illam hoſtiam in calice, & obambulantem fratres omnes obſignaſſe. Eorum verò qui ad vigilias non ſurrexiſſent, aliquorum ſedes, & loca tetigiſſe, aliquorum pertranſiſſe. Atque hoc idem in fine pſalmodiæ repetiſſe è Sacrario, vt anteà egredientem. Quod ſenem*

admo-

*admodum admiratum, cum antè ſe pertranſiret, ad genua illius obuolutum rogaſse, vt quidnam hoc eſset myſterij, dignaretur aperire. Reſpondiſſeque illum, eſſe ſe ſe Angelum Dei, qui delegatus ad hoc eſſet, vt ſigno huiuſmodi eos obſignaret, quos diligentes, & perſeuerantes in Eccleſia reperiſset. Senem verò poſt hæc rursùm ſubdidiſse: Cur aliorum loca, & ſedes, quos in Eccleſia non reperiſset, obſignaret? Retuliſseque rurſum Angelum ſanctum, eorum ſe loca obſignaſſe, qui & promptiſſimi, & paratiſſimi, quantum in ipſis erat ad vigilias ſurgere, ſed vlla neceſſitate compediti, cum Patris obedientia, & benedictione, vel etiam imperio obdormiſſent. Hos æquum eſse ſignum ſuum recipere, cum animo, & propoſito cum pſallentibus adfuiſsent. Illi verò, qui pſalmodiæ intereſse potuiſsent, ſed diſſidia torpere, negligentia deſtitiſſent, iuſſu Dei ſummi ſedes, & loca noluiſse obſignare, quoniam ipſi ſe indignos hoc cæleſti ſigno feciſſent.* Vndè & B. Theodoram in extremis demandaſſe: *Conſuetas preces nec vmquam negligito. In ſtatis Monachorum horis, ſcilicet Matutina, Tertia, Sexta, Nona, ac Veſpertina ſedulus eſto*, ex Surio in eius Vit. 11. *Septemb.* notat Nebridius à Mundelheim in *Antiquar. Monaſt. epiſt.* 71. qui & prædicta refert, ſubditque, quaſi in huiuſmodi aſſiſtentia *magna pars ſalutis* conſiſtat. Ex quibus, vt dixi, liquet, quam grata ſit Deo actuum omnium communium, & ſignanter Chori frequentatio, dum vni nocturnæ pſalmodiæ aſſiſtentiam tanti facere reuelet; & quantum boni amittant, qui ſpontè à Choro ſe ſubtrahunt. Meminerint, ſe a Deo vt *Iob.* 38. 7. legitur, ſpecialiter ſuper hoc inquirendos: *Vbi eras, cum me ſimul Aſtra matutina laudarent?* Ni melius dicam, increpandos.

147 Vndè eos commonendi locus hic eſt, qui ab actibus communibus ſe abſtinent, vt, licet deuotis, atque pijs, particularibus tamen operibus vacent; per hæc nec Deo rem gratam præſtari, nec animæ profectum promoueri; ob priuata enim exercitia non omittenda communia docent Sancti Leonis *ſerm. 3. de Ieiun. 7. menſ.* verba: *Sacratiùs eſt, quod publica lege celebratur, quam quod priuata inſtitutione dependitur. Nihil in tali populo inordinatum, nihilque diuerſum eſt, vbi ad vnum pietatis vigorem omnia ſibi totius corporis membra conſentiunt.* Item *ſerm. 4. Publica præferenda ſunt proprijs; & ibi intelligenda eſt præcipua ratio vtilitatis, vbi vigilat cura communis.* Quin rem periculo obnoxiam aduertit *lib. 2. de Solit., & ſilentio cap. 8.* quod valdè notandum eſt, Thomas a Kempis: *Non enim eſt ſine periculo, & laqueo ſingularis obſeruantia in communi domo. Ille magis laudabilis feruor, qui communia proprijs præponens, in his nunquam negligens ſatagit inueniri, quæ cum alijs ſuſceperit ad portandum*; & axioma commune eſt Sanctorum Patrum, atque DD. non eſſe relinquenda opera iuſtitiæ, pro operibus conſilij. In quo ſenſu locutos arbitror, qui ſingularitates, etiam quo ad exercitia ſpiritualia, & obſeruantiam Regulæ & Conſtitutionum non approbant in Regularibus (de qua re videndi Humbertus in *Regul. cap.* 43.

Hæſtenus *loc. cit. lib. 6. tract. 7. diſq. 8. §. Tenenda eſt ergo*. Martene ad *Regul. S. Benedicti cap. 7. de grad. 8. humilit.* & Iordanus de Saxonia *lib. Vit. Fratr. lib. 4. cap. 12.* qui tamen intelligendi præciſa Prælati licentia, vt Iordanus de Saxonia *ibid. cap. 11.* Martene *ibidem §. Tertiò nonnulli §. Sextò maiores, & §. Sed neque eos*; & clarè in Conſtitutionibus noſtris *p. 1. cap. 12. num. 2.* ibi: *Qui verò cum cuculla propter maiorem corporis macerationem dormire cupierint, de conſenſu Prioris eis liceat*) quatenus ſcilicet ob particulares deuotiones communia Religionis exercitia non adimplent; vbi enim mereri ſe putant, eos demereri non dubito; cum namque quæ ſunt conſilij his, quæ Iuſtitiæ anteponendo ordinem actionum inuertant, finis bonitatem impediunt, & meritum, vt bene Peyrinus in *Tit. Regul. minim. q. 5. num. 5. & 6.* & quia hæc procedunt ex propria voluntate, Humbert. *dict. cap. 43.* quæ Deo non placet, vt ex illo Eſaiæ 58. *Iuiunauimus, & non aſpexiſti: Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra*: communia verò ex aliorum ordinatione, Humbertus *ibid.* ſeù obedientia præ cæteris Deo grata: *melior ſiquidem obedientia, quam victima*, vt ad rem S. Bernardus *ſerm. 19. in Cant.*

148 Non ergo ob priuata, & ſi pia exercitia à Choro, cæteriſque Religionis communibus exercitijs, & actibus ſe ſubtrahere quis debet, vt Humbertus *ibid.* Hæſtenus *ibid. §. Alterum eſt, & §. Tertiò*. Peyrin. *loc. cit. num. 8.* & alijs omiſſis Michael Florentinus in *Dilucidar. Regul. S. P. Aug. in dubit. 2. cap. q. 8.* vbi huic quæſito (quod de alijs dici poteſt) *An propter orationes particulares quiſpiam Regularis de Iure dimittere poſſit exercitia vniuerſalia, à ſuo Prælato ſibi impoſita*, & fortius a lege? Reſpondet, *quod nequaquam poteſt, nec debet: quin potius is, qui ſibi impoſita dimittit, vt fur iudicandus eſt, qui libentius dat, quod non debet, quam reddat, quod debet; & ob id præcipit D. Paulus. Rom. 13. Reddite omnibus debitum*; quem ſenſum eſſe video & Humberti *loc. ſupr.*

149 Quod ſi quis ſupererogationis opera aggredi voluerit, id vtique ei liceat: ſed citrà Chori, vel communium actuum præiudicium: *Cauendum tamen*. (ſic Thom. à Kempis *lib. 1. de Immitat. Chriſ. cap. 19. num. 5.*) *ne ſis piger ad communia, & ad ſingularia promptior: ſed expletis integrè, & fideliter debitis, & iniunctis, ſi iam vltrà vacat, redde te tibi, prò vt deuotio tua deſiderat.* Et Hugo Menardus in *Concord. Regul. cap. 18.* quem ſequitur Martene *loc. cit. §. fin.* his verbis: *Quamobrem ijs, quos Deus vocat ad auſteriora* (ſeù ad plura, licet non auſteriora) *quam Regula præſcribat, præſtandum eſt, vt Regulam adamuſſim obſeruare ſtudeant*; ſcilicet actibus omnibus Conuentus prius aſſiſtant; hoc enim pacto hæc ſupererogationis opera permittuntur a S. P. Auguſt. *in Reg. cap. 4.* vbi de oratione, quod alijs omnibus exercitijs poteſt applicari: *In oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt; vndè & nomen accepit, vt ſi fortè aliqui etiam præter horas conſti-*

*tutas,*

*tutas, ſi eis vacat, orare voluerint*; ideſt, ſi poſt completa, ad quæ ex inſtitutione tenentur, eis vacat, non verò ea omittendo, *orare voluerint, non eis ſint impedimento qui ibi aliquid agendum putauerint*; vbi Humbertus *cit. cap.* 43. ſic; *ſciendum etiam, quod licet ad ſeruos Dei deuotos pertineat ſic libenter orare, tamen propter huiuſmodi Orationes extraordinarias non debent dimittere ea, quæ ordinariè facienda ſunt; & ideò dicit Auguſtinus, ſi eis vacat, innuens, quod, cum inſtant aliæ occupationes ordinariæ, non ſunt propter orationes huiuſmodi dimittendæ*. Vbi aduertendum, per *occupationes ordinarias*, actus communes ſolitos Religionis Chori ſcilicet, & aliorum intelligere Humbertum, vt idem explicat *cap.* 44. ibi: *Sciendum eſt autem, quod non ſolum ſpirituales occupationes, vt lectio, officium Eccleſiæ, & huiuſmodi non ſunt dimittendæ propter huiuſmodi orationes*, ſcilicet priuatas, & propter has non eſſe illos omittendos: non verò intelligere occupationes ordinarias, ad quas particulariter quocumque titulo quis tenetur, quia de his agit diſtinctè *d. cap.* 44. & 45. licet, nec iſtas propter præfatas priuatas orationes velit eſſe dimittendas.

150 Procedunt hæc autem de abſentia voluntaria: non verò vbi legitimum ſubſit pro non interueniendo impedimentum. Quo tamen caſu, nec inſcio Superiore, nec ſine eius licentia à Choro abſtinendum. Ita Conſtitutiones *loc. ſupr.* Circa quam, etſi tacita ſufficere non videatur, tum ex natura licentiæ, quæ exigit, vt vbi requiritur, debeat eſſe expreſſa, propter ea, quæ infra *num.* 313. adducuntur; tum ex verbis ipſis Statuti *veniamque obtineat*; nihilominus tamen, cum ex inopinato poſſit impedimentum aliquod erumpere, nec poſſit commodè Superior commoneri, tunc tacitam valere non dubito: ſed iuxtà morem Religionis, erit ſubindè certiorandus.

## SECTIO SECVNDA.

### *De completa ad actus communes Chori aſſiſtentia, recedendi licentia, & contrauenientium pœna.*

151 ET non ſolum omnibus actibus communibus quomodolibet aſſiſtendum, ſed perfectè vſque ad conſumationem, nec ab eis antè finem recedendum. Ad id ſiquidem tendunt hæc S. Baſilij *ſerm. de rer. abdicat.* verba: *Ad orationem quotieſcumque vocaris, libenter in ea eouſque permaneto, donec canoni* ideſt menſuræ (vt ex Antiocho *hom.* 105. Menardus in *Concord. Regul. cap.* 57. *not. ad* §. 3.) *ſatisfeceris, magnamque te iacturam facere arbitrator, ſi antè indè diſceſſeris; etenim ſi cum corporis tui ſuſtentandi cauſa cibum capis, ægrè admodum à menſa potes auelli, niſi naturale*

prius

*prius deſiderium expleueris; qui non tandem ab epulis ijs auelli ægrius debes, quibus ſpiritus aliter tuus?* Sed audiatur S. Bonauentura in *Specul. Diſciplin. ad Nouit. part. 1. cap. 22.* vbi ſic de omnibus actibus communibus, & ſignantèr de Choro: *Abſit à ſeruis Dei vitioſa huius conſuetudinis turpitudo, vt Conuentuale aliquod, Diuinum præſertim officium alterius prætextu cuiuslibet tardè acceſſu, vel citiore abſceſſu, propter opera dehoneſtent. Vt enim tardus acceſſus, ſic ante horam receſſus, ſinè graui præſumptus neceſſitate arguitur. Impatientis, vani ſignum eſt hominis in communibus anticipare receſſum, nec opus Dei poſſe in Choro vſque ad finem expectare.* Dæmonis verſutiæ hos intempeſtiuos receſſus adſcribit idem S. Baſilius *loc. cit.* viditque S. Benedictus, vt refert S. Gregorius *Dialog. lib. 6. cap. 4.* Ea propter attendenda hæc eiuſdem S. Baſilij *ibid.* admonitio: *Caue autem diligenter, ne contagioni illi animi tui aſſentiare, quæ ab orationis canone nundum peracto auellere te ſtudeat. Habent enim morem hunc Dæmones, vt faciendæ orationis* (aliorum quoque ſubdo ego communium actuum) *temporibus, per ſpecioſam ſcilicet aliquam laudabilis cauſæ alicuius ſimulationem nobis ſedulò auctores ſint, vt ab ea nos ſubducamus, vt quam ſalutem afferre nobis intelligunt, ab ea nos probabiliter abducant.* Et vt ad id ſtimulum adijciam, en quid de taliter egredientibus ſentit *loc. cit. epiſt. 71.* Nebridius à Mundelheim: *Verè magna impudentia eſt colloquium cum Diuina Maieſtate cæptum temerè interrumpere. Nec quiſquam perſonam Iudæ proditoris de cæna Dominica immaturius exeuntis melius repræſentat, quam is, qui antè tempus à Collectis diſcedit.*

152 Vbi verò vrgenti cauſa à Choro, vel actu aliquo communi diſcedendum ſit, id nulli ſinè Præſidentis licentia permiſſum, & quidem pro diſceſſu à Choro clarè Conſtitutiones *ibid. Sinè qua nullus in Choro exiſtens recedere præſumat*, vt & in Conſtitutionibus PP. Calceatorum tum antiq. *cap. 6.* tum modernioribus *par. 1. cap. 4.* ibi. *Nullus etiam in Choro exiſtens, ſinè licentia Superioris ab Officio recedat*; quod in S. Pachomij Regula *p. 1. cap. 2. num. 4.* apud Biuarium de *Vet. Monach. lib. 3. cap. 6. §. 2. pag. 272.* legitur: *Quando in Collecta orant Fratres, nemo egrediatur abſque iuſſione Maiorum, niſi interrogauerit* (ſeù licentiam petierit, vt explicat Menardus *loc. cit. cap. 52. not. ad §. 7.*) *conceſſumque ei fuerit exire pro naturæ neceſſitate*; & pro abſceſſu ab alijs actibus communibus eædem noſtræ Conſtitutiones *p. 4. cap. 4.* vbi talis diſceſſus ſub pæna media prohibetur: *Culpa media cenſebitur à Choro, vel quouis communi Fratrum cætu ſinè Præſidentis venia exire*; ſignum euidens, quod pro diſceſſu à quolibet communitatis actu Præſidentis licentia requiritur; quod item in Pauli, & Stephani Regula *cap. 4.* apud Holſtenium in *Codic. Regular. part. 2.* decernitur: *Nulli liceat abſque Prioris permiſſu de opere Dei diſcedere, ſed quem cauſa manifeſta compulerit, oratione à Priore ſperata* (ſeù petita, vt Menardus *ibid. in not. ad §. 16. & 17.*) *& conceſſa diſcedat.* Quo autem ad Præſidentem ipſum

hæc

hæc ex Nebridio à Mundelheim *cit. epiſt.* 71. notanda: *Qua lege blandiri ſibi fortè poſſunt Superiores ipſi, qui cum non habeant, à quo licentiam petant, pro voto intrant, & exeunt? Quorum cauſæ ſupremo Tribunali reſeruantur.*

153 Dubitatur modò ſuper iam dictis, primò: an quando abſunt à Choro Superiores, petenda ſit huiuſmodi licentia à primo Sacerdote, qui tunc Præſidentis officio fungitur? Cum namque Conſtitutiones in ſupradictis verbis, *& legitimè impeditus Superiorem certiorem faciat, veniamque obtineat, ſinè qua nullus in Choro exiſtens recedere præſumat ſub pæna graui tranſgreſſoribus infligenda*, clarè loquantur de licentia à Superiore petenda, requirenda non videtur à ſimplici Præſidente, qui Superior non eſt. Et dicimus à quocumque Præſidente, etiam non Superiore pro exitu à Choro petendam; licet enim hic agant Conſtitutiones de Superiore; in citato tamen *cap.* 4. *part.* 4. vt modo vidimus, ſub pæna media expreſsè decernitur, non eſſe à Choro diſcedendum, ſinè Præſidentis venia: Nomine autem Præſidentis veniunt & Superiores, & Prælati, & his abſentibus Sacerdotes profeſſione antiquiores, Paulus à S. Ioanne in *Ceremonial. lib.* 1. *cap.* 1. & ideo ad hos in abſentia Superiorum ea ſpectant, quæ ſunt Superioritatis in Choro, ſicut & Officium incipiendi, & tardè venientibus aſſurgendi ſignum dare &c. Idem Paulus *ibid.*

154 Dubitatur ſecundò ſuper pæna, qua afficiendus eſt, qui ſinè huiuſmodi licentia à Choro exierit, ob repugnantiam Conſtitutionum, cum hic pæna grauis, & *cit. cap.* 4. *part.* 4. pæna tantum media infligatur. Sed repugnantia non eſt, quia in hoc *cap.* 1. ſermo eſt de diſceſſu abſque Superioris licentia, quando adeſt: & in *dict. cap.* 4. de diſceſſu abſque Præſidentis venia, abſente ſcilicet Superiore, quæ non pugnant ad inuicem; nam ſeueriùs puniri volunt, eum, qui ſinè Superioris præſentis, quam ille, qui abſente Superiore ſinè Præſidentis (qui poteſt eſſe ſimplex Sacerdos) licentia exierit. Et ſic diſcedens è Choro ſinè Præſidentis, qui ſit ſimplex Sacerdos, leui: qui verò ſinè ea ſui Superioris (quando adeſt) graui pæna puniendus.

155 Dubitatur tertiò, an pœnæ grauiori, de qua ibi *ſub pæna grauiori tranſgreſſoribus infligenda* ſubdatur ſolum, qui ſinè Superioris venia exierit è Choro, vel etiam, qui ſinè ea Choro, vel Orationi ſerotinæ non interfuerit, cum clauſula in fine poſita regulariter ad omnia antecedentia referatur, ex Felyn. in *Cap. Cauſam, quæ. num.* 4. *verb. clauſula refertur. de Reſcript.* Mandos ſuper *Regul. Cancell. in Prælud. q.* 2. *num.* 2. Lezana *t.* 2. *verb. clauſula num.* 3. & 4. Murga in *Conſtit. Apoſtol. Conſtit.* 2. *num.* 33. Et reſpondeo, quod afficit ſolùm diſpoſitionem immediatè antecedentem, ſeù diſcedentes è Choro; tum quia verſamur in odioſis, quo caſu clauſula in fine poſita non refertur ad omnia. Capyc. *deciſ.* 108. *num.* 14. Marta de *Clauſul. part.* 2. *clauſul.* 23. *num.* 6. tum quia quo ad abſentes ſinè Superioris

ris licentia iam eſt ſpecialiter diſpoſitum in *Conſtit. d. p. 4. cap. 4. §. 1.* & in ſpecialiter diſpoſitis clauſula finalis non refertur ad omnia præcedentia, Honded. *conſ. 36. num.* 14. *t.* 1. Capyc. *loc. cit. num.* 10. & plures apud Barboſ. de *Clauſul. vſufreq. clauſul.* 70. *num.* 17. & eo magis cum hæc ſpecialis diſpoſitio ſit pænalis, vt in *d. cap. 4. de culpa, & pæna media*, ibi: *Culpa media &c. A Choro, vel alio communi actu abeſſe, abſque Superioris licentia*; quo pariter, & certiùs, fit, ne cenſeatur repetita pæna, quod nec ſub hac finali clauſula penæ grauioris ſint abſentes ſinè licentia comprehenſi *Gloſſ. in cap. 2. verb. Sanctioni. de Vit. & honeſt. Cleric.* Rota in *Cauſa Romana Vineæ de Alexijs* 20. *Octobr.* 1589. *coram Pegna*. Marta *d. Clauſul.* 23. *num.* 13.

156 Dubitari hic etiam poteſt, quinam ſint hi actus communes, à quibus ſine Superioris licentia abeſſe, & ſine Præſidentis venia diſcedere nemini liceat; Et dico alios eſſe communes actus totius Conuentus, vt comeſtio in Refectorio, Oratio ſerotina, Flagellatio, Capitulum de culpis, Proceſſio &c. & alios alicuius ſolummodo Communitatis, ſeù ſpeciei, & Claſſis, vt Horæ Canonicæ, & Oratio mentalis antè, vel poſt illas, ad quas ſoli Sacerdotes, & Clerici; Capitulum pro negotijs Conuentus, quod ſolum Sacerdotes admittit, & ſimiles; vel laicorum, & Clericorum, vt Miſſa Conuentualis, Communio; vel ſolum Clericorum, vt Schola, & hora recreationis poſt prandium, & cænam cum eorum Magiſtro, & Submagiſtro, & ſimiles; vel ſolum Laicorum, vt eorum duæ Horæ Orationis mentalis, & vocalis, hora recreationis prædictæ cum Suppriore, concio diebus Dominicis &c. & a quocumque ex his actibus quempiam reſpectiuè ſinè Superioris abeſſe, aut ſinè Præſidentis venia diſcedere ſub pæna media non poſſe, ex clara legis diſpoſitione; quo quidem ad diſceſſum in ſupradictis verbis. *Culpa media cenſebitur, à Choro, vel quouis communi Fratrum cætu, ſinè Præſidentis venia exire &c.* & quoad abſentiam in *eod. cap.* 4. *Culpa media &c. A Choro, vel alio communi actu abeſſe abſque Superioris licentia*, ob dictiones *quouis*, quæ omnes actus communes comprehendit per allegat. à Barboſ. de *diction. vſufreq. dict.* 325. & *alio*, quæ, vt pote indefinita ex adductis per Eſcobar. de *Ratiocinijs cap.* 18. *num.* 2. idem ſignificat, ac *quolibet communi actu*.

157 Excipiuntur tamen quoad diſceſſum, tum diſceſſus pro re ad actum illum communem ſpectante, v. g. à Choro, campanas pulſandi, Miſſam canendi, vel ei inſeruiendi gratia &c. cum pro iſtis venia diſcedendi non petatur; tum diſceſſus ab eodem Choro ſinè licentia in præſentia Superioris, cum pro hoc aſſignata ſit, vt vidimus, pæna grauis; & quoad abſentiam, illa, quæ eſt a Refectorio, ab vtraque ſcilicet prima, & ſecunda menſa, pro qua etiam pæna grauis infligitur *part. 1. cap. 9. §. 7.* ibi, *Fratrum domi exiſtentium nullus primæ menſæ exceptis miniſtris ſub pæna media deſit: qui verò abfuerit, & Miniſtri omninò ſecundæ menſæ, in qua etiam ſilen-*

*ſilentium, & lectio habeatur, ſub graui pæna interſit*; ſicut & abſentia à prima tabula in diebus ieiuniorum, dum ſcilicet per collationem Conuentus reficitur, cum pariter pro hac pæna leuis ſtatuatur *d. p. 4. cap. 3. de leui pæna, & culpa*, ibi: *Si quis communi refectioni, ſeù collationi primæ Tabulæ per negligentiam non interfuerit*; dictio ſiquidem *ſeù* ſtat hic declaratiuè, & expoſitiuè, cum ponatur inter genus, & ſpeciem per Barboſ. *ibid. dict. 363. num. 7.* & ſenſus eſt, *id eſt collationi*, & deducitur etiam ex eo, quod pro abſentia tum à ſola prima menſa, tum à prima, & ſecunda tam in prandio, quam in cæna pæna ſpecialis ſtatuta reperiatur, vt vidimus.

158 Vbi obiter notandum, & ſi hæc licentia non interueniendi ad aliquem communem actum, poſſit reſpectu Clericorum ab eorum Magiſtro concedi ex tacito Prioris conſenſu, & probata conſuetudine; nullatenus poſſe propria auctoritate à Suppriore, nec reſpectu Laicorum, loquendo etiam de actibus communibus eorumdem Laicorum; cum vnus tantum ſit in Conuentu localis Superior, nomine cuius propriè venit Prior; & Supprior talis non ſit, niſi abſente Priore, Conſtit. *part. 3. cap.* 10. §. 2. non obſtante quod per eaſdem Conſtitutiones *ibid.* §. 1. eius officium ſit, *Fratrum non Sacerdotum curam gerere*, quia ex hoc potiùs ſequitur, eius eſſe curare, quod actibus communibus Laici interueniant: non verò ab illis eos eximere, quod ſpectat ad Priorem.

159 Quo verò ad horam poſt prandium, & cænam, in qua ſilentij rigor relaxatur, an ſit computanda, nec ne inter actus Communitatis, à quibus abeſſe ſinè Superioris, vel ſinè Præſidentis venia diſcedere quis nequeat? Certum eſt Clericos cum Magiſtro, & Laicos cum Suppriore actum communem quoad eorum ordinem, & claſſem conſtituere, & cætum; quandoquidem iuxtà ethymologiam *cætus* (quæ eſt *à conueniendo* Calepin. *d. Verb. Cætus*) reuera tali hora ſimul ipſi conueniant: *Silentij rigorem relaxare liceat. (Conſtit. p. 1. cap. 10. §. 6.) ita tamen quod Nouitij ſimul cum eorum Magiſtro conueniant, Clerici non Sacerdotes, Commiſſi, & Conuerſi cum Suppriore alio loco ipſis à Priore deputando*; & ſic dubium non eſt reſpectu harum Claſſium quoad iſtum actum, quæ de neceſſitate licentiæ dicta ſunt, & modo nuper explicato, militare. Difficultas ſola eſt reſpectu Sacerdotum, cum a Conſtitutionibus *ibid.* non requiratur, quod ſimul conueniant: *Reliqui verò* (ſcilicet Sacerdotes) *poſſint per vineam, & viridarium, vel alia loca intra clauſuram à Priore deſignanda bini, aut terni, aut plures ſimul, aut etiam ſinguli deambulare colloqui &c.* Sed nec quo ad iſtos dubium, ſaltem dum non bini, aut terni de licentia Superioris aliò pergunt (vt iam tacitè permittitur) ſed ſimul cum aliis, & maximè vna cum Superiore conueniunt, cætum conſtituere, adeòque nec inde ſinè licentia non ſolum Prioris, ſed neque Præſidentis recedere poſſe ex obſeruantia, quæ vtpotè interpretatiua legis, & habens vim legis, attendenda eſt.

Neque his obſtat, quod quandoque pauci conueniunt Sacerdotes, quia quoad effectum non diſcedendi ſine licentia docet eadem obſeruantia contrarium, dum e. g. in Refectorio tum in prima menſa, ſi eſſent ſolum decem, vbi ex quadraginta Religioſis familia conſtituitur; tum poſt primam menſam, quando in ſecunda eſſent duo vel tres, adhuc in vtroque caſu, cum quis aut tardè venit, aut recedit, ſemper genuflexus ad Signum Præſidentis ſurgit. Ex quo idem ad rem præſentem concludendum.

## SECTIO TERTIA.

### *De exemptione ab actibus communibus, & qualiter licita.*

160 QVo tandem ad ipſam licentiam Superioris pro non interueniendo, de qua iam locuti ſumus, etſi hic pro quolibet caſu particulari, ſeù toties quoties requiſitam poſſet quis opinari; nihilominus certum eſt etiam ab vno, vel pluribus actibus, non ſemel tantum, ſed ad longum quoque tempus, prout ratio, & neceſſitas poſtulauerint, aliquem eximere poſſe Superiores. Ita Conſtitutiones ipſæ *p. 2. cap. 5. §. 6.* ibi: *Prælectoribus modum legendi præſcribet Definitorium, & tempus ad præmeditandas lectiones, & ab actibus communibus exemptum concedat, prout in Domino crediderit expedire*, & iterum *cap. 7. §. 7.* ibi: *Ad Conciones quadrageſimales præparandas, Prior conſulto Vicario Generali eximere poterit per aliquod tempus ab aliquibus actibus communitatis concionaturum, quod idem faciet ad conciones annuales componendas, & memoriæ mandandas; in quo conſcientias tam Vicarij Generalis, quam Prioris, & Concionatoris oneramus.*

161 Circa quæ tamen aduertendum primo, vbi agatur de licentia pro abſentia ab vno, vel altero actu, quin de exemptione ab aliquibus, & pro modico tempore, poſſe Priorem in caſu particulari, vt pro vno vel altero ſermone componendo aliquem eximere, cum poſſit, vt vidimus, non interueniendi licentiam dare, & nequeat, vt mox ſubdo, ad longum tempus id facere, quo firmatur poſſe pro modico. Secundò, vbi ſit ſermo de exemptione notabili, vel pro aliquo tempore continuato, vt pro concionibus quadrageſimalibus, vel annualibus, non poſſe niſi conſulto P. Vicario G. ſeù niſi iuxta eius iudicium, & permiſſionem, vt clarè ex verbis Conſtit. *d. cap. 7.* cum eius in primis conſcientia oneretur. Tertiò numquam concedendam exemptionem ab omnibus actibus; De Lectorum ſiquidem exemptione Conſtitutiones *d. cap. 5. prout in Domino* (Definitorium) *crediderit expedire*, quo non illimitatam, ſed aliquo modo circumſcriptam eam eſſe debere innuitur; & de Concionatoribus *cit. cap. 7.* expreſsè,

preſsè, *ab aliquibus actibus*, hoc eſt non ab omnibus. Vnde nunquam, nec Lectoribus conceſſa eſt exemptio ab Oratione mentali, nec diebus Feſtis à Choro, præterquam in caſu particulari. Quartò non ſolum Definitorium poſſe exemptionem notabilem concedere, e.g. quem à Choro notabiliter eximere, vt ex Conſtitutionibus *cit. cap. 5. Definitorium tempus exemptum concedat*; quod de Definitorio tam generali, quam annuali intelligendum, cum vbi lex non diſtinguat, nec nos diſtinguere debeamus: Sed etiam ex ſe ſolo P. Vicarium G. cum id omnibus Generalibus competat. Miranda Manual. *Prælat. t. 2. q. 9. art. 6. concl. 3.* Peyrin. in *Formular. litt. E. cap. 35. num.* 1. Bordon. *Reſolut.* 80. *num.* 49. Donatus in *Trax. tom. 3. tract.* 12. *q.* 49. *num.* 1. Quintò, ſemper cum cauſa rationabili, eo modo quo diſpenſationes, in quibus ſemper cauſa deſideratur. Miranda *loc. cit.* Roderiq. *tom. 1. q. 22. art.* 4. Peyrin. *tom.* 1. *q.* 1. *cap.* 8. §. 5. & communiter DD. qualis eſt illa ſtudiorum. Portell. in *Reſponſ. part. 2. caſ. 31. num.* 19. Peyrin. *loc. cit. verſ. Tertia qualitas*, & in *addit. ad Conſtit.* 15. *aliàs* 25. *Vrbani VIII. num.* 2. & Caracciolus in *Synopſ. vet. Relig. p.* 1. *cap.* 1. *num.* 19. & de facto præciſis illis duobus caſibus de Lectoribus, & Concionatoribus nulla alia legitur in Conſtitutionibus exemptio; ex quo colligitur ob conſimilia, maximè ſi publico proficua, ſtudia poſſe alios quoque præter Lectores, & Concionatores eximi, cum idem finis, & ratio concurrant, ex *l. illud ff. ad Legem Aquiliam*. Lezana *tom.* 4. *conſult.* 21. *num.* 16. & pluribus apud Petrum de Murga in *Diſq. moral. & Canon. tom.* 2. *diſq.* 6. *dub.* 3. *num.* 29. & in *Conſtitut. Apoſt. Conſt.* 6. *num.* 102. 527. 820. & *Conſt.* 16. *num.* 243. Sextò & ſolum pro tempore, quo durat cauſa ex praxi Religionis, quæ nulli nec Lectoribus, niſi in actuali ſtudiorum exercitio exemptiones concedit, & meritò, quia datum pro cauſa debet cauſa ceſſante ceſſare. Silueſt. *Verb. Priuileg. q.* 10. Roderic. *ibid. q.* 9. *art.* 10. Sanctorus à Melfi in *Statut. Minor. cap. 3. ſtatut.* 3. vbi huiuſmodi exemptionibus non gaudere otioſos. Tiraquell. in *tract. Ceſſante cauſa p.* 1. *num.* 213. Maſcard. de *probat. conc.* 1290. *num.* 9. Barboſ. de *poteſt. Epiſt. allegat.* 56. *nu.* 24. Sanctarell. *variar. Reſol. q.* 3. *num.* 16. Quod idem de illis dicendum, qui loco ſtudiorum alienis negotijs vacantes exemptione abutuntur. Rodriq. *loc. cit.* §. *Vndè Scholares*.

162 Hæc inquam aduertenda, quia exemptiones cum præfatis conditionibus, cum nullam habeant deformitatem, vt ſint rationabiles, licitè concedi poſſunt. Peyrin. in *Regul. Minim. q.* 4. *introductor. num.* 7. Portell. *d. caſ.* 31. *num.* 19. Caramuel. *Theolog. Regul. num.* 2821. *fin.* Caracciolus *ibid.* Lairuelz in *Optic. Regular. in Prælud. Specul.* 6. §. *Tertia eſt.* & §. *fin.* non enim ſunt exemptiones in meritum laboris præteriti, quas vtpotè Religionibus obnoxias non omninò approbant Peyrin. *ibid. num.* 6. & Lezana de *Reformat. Regul. cap.* 12. ſed ob laborem præſentem, qui incompatibi-

lis eſt cum aſſiſtentia actibus communibus, & Choro, vt Sanctorus à Melfi *ibid.* & per conſequens, nec rigorosè loquendo, exemptiones ſunt, ſaltem nequaquam bono publico præiudiciales.

# OBSERUATIO OCTAUA.

## Ad Text.

*AVdito primo ſigno ab omnibus negotijs, & occupationibus omnes ſe expedire conentur; ita vt antè finem vltimæ pulſationis omnes in Choro reperiantur. Si quis verò facto ſigno horam incipiendi acceſſerit, genuflexus ſignum ſurgendi expectabit, quod in pænam tarditatis quandoque protrahet.* Conſtit. *d. part.* 1. *cap.* 1. §. 8.

## SECTIO PRIMA.

### *De celeri ad Chorum, alioſque communes actus acceſſu.*

163 DE feſtino ad Chorum acceſſu tantummodo loquuntur hic Conſtitutiones; & de ea etiam mihi ſolummodò agendum; cum tamen *cap.* 5. §. 2. eamdem celeritatem exigant ad omnem actum communem; ibi: *Præcipimus etiam, vt ad communes actus ſigno, vel voce vocati celeriter conueniant*; ideò de omnibus ob paritatem rationis ſermo erit. Quod idem in diuerſis Sanctorum Patrum Regulis obſeruo; & quidem quoad Chorum in S. Benedicti Regula *cap.* 43. ſic: *Ad horam Diuini Officij, mox vt auditum fuerit ſignum, relictis omnibus, qualibet fuerint in manibus ſumma cum feſtinatione curratur.* In Regula Magiſtri *cap.* 54. apud Holſtenium in *Codic. Regular. part.* 2. ibi. *Cum adueniſſe diuinam horam percuſſus in Oratorio index monſtrauerit, mox laborantes opus proiiciant, artifices ferramenta dimittant, Scriptores litteram non integrent, omnis Fratrum manus deſerat, quod agebat: feſtinet mox cum grauitate pes ad Oratorium.* In Regula S. Aureliani *cap.* 30. apud eundem Holſten. *Signo tacto omne opus prætermittatur, & ſicut apes prudentiſſimæ ad aluearium, ita veloci feſti-*

*feſtinatione properare contendite*. Item in Regula S. Iſidori *cap.* 7. apud eumdem: *Dato legitimis temporibus ſigno ad horas canonicas feſtinabunt Fratres cum properatione, omnes ad Chorum occurant*. Et quoad Orationem in Regul. 2. & 3. *Patrum ad Monachos cap.* 6. apud eumdem Holſten. *ibid. part.* 1. legitur: *Ad horam verò Orationis dato ſigno, qui non ſtatim prætermiſſo omni opere, quod agit (quia nihil Orationi præponendum eſt) paratus fuerit, ab Abbate, vel Præpoſito corripiatur*. Et quoad alios actus etiam in Tarnatenſium Regula *cap.* 5. apud eumdem *part.* 2. ibi: *Qui ſigno dato ad opus Dei, vel quæcumque opera tardiùs venerit, excluſus pro reatu tanti facinoris confundatur;* ſicut & in Regula S. Ceſarij *cap.* 11. *in cit. part.* 2. *eiuſd. Codic. Regul. Qui ſigno tacto tardiùs ad opus Dei, vel ad opera venerit, increpationi, vt dignum eſt, ſubiacebit*. Et in Capitulis Monachorum Sangallenſium *art.* 2. apud Baluzium in *Capitular. tom.* 2. *col.* 1380. ibi. *Vt ad omnia ſigna diuturna, ſiuè nocturna, ſecundum præcepta Regulæ, ſtatim vt audita fuerint, feſtinetur*.

164 Et vtique iuſtè; quoad omnes actus, ſiuè Diuinum Officium, ſiuè Orationem, vel aliud commune opus requiſita celeritas, cum reſpectu omnium, eadem currat ratio, quæ potiſſimum in his attendenda, ſcilicet obedientia, quam, vt vera ſit, moram, cunctationemque non admittere perſpicuum eſt ex Regul. S. Columbani *cap.* 2. apud Holſten. *cit. part.* 2. ibi: *Si quis igitur verbum audiens, non ſtatim ſurrexerit, inobediens iudicandus.* Et Regula cuiuſdam Patris *cap.* 29. apud eumdem *ibid. Si quis ad vocem compulſoris* (ille eſt, vt explicat Hugo Menardus in *Concord. Regular. cap.* 8. *not. ad* §. 7. *qui horam operis Dei ſignificat) ſiuè inuitantis ad aliud quodcumque, non ſtatim ſurrexerit, quoniam opportet vnumquemque ad primam vocem inuitantis aſſurgere, velut carbo ignis ardentis aſcendiſſet ſuper eum. Si autem obedientia hæc non fuerit, quam dicimus, mortua eſt, non acceptabilis apud Deum.* Vndè hanc ad omnes actus feſtinationem obedientiæ ergò ſic in antiquis Monachis *lib.* 4. *cap.* 12. commendat Caſſianus. *Cum ſonitum pulſantis oſtium, ac diuerſorum Cellas percutientis audierint, ad Orationem ſcilicet, ſeù ad opus aliquod inuitantis, certatim à cubilibus ſuis vnuſquiſque prorumpit; ita vt is, qui Scriptoris Officium exercet, quam repertus fuerit incboaſſe litteram, finire non audeat: Sed in eodem puncto, quoad aures eius ſonus pulſantis aduenerit, ſumma velocitate proſiliens, ne tantum quidem moræ interponat, quantum capti apicis conſumet effigiem, ſed imperfectas litteræ lineas derelinquens, non tam operis compendia lucrare ſectetur, quam obedientiæ virtutem exequi toto ſtudio, atque æmulatione feſtinet; quam non ſolum operi manuum, ſeù lectioni, vel ſilentio, & quieti cellæ, verum etiam cunctis virtutibus ita præferunt, vt huic iudicent omnia poſtponenda, & vniuerſa diſpendia ſubire contenti ſunt, dummodo hoc bonum in nullo violaſſe videantur.*

165 Vtinam Religioſi omnes hoc ſaperent, atque intelligerent; Et quo-

quoniam Angelos in laudibus Deo canendis imitantur, Angelorum quoque, qui ob feſtinationem in Dei voci obtemperando ſpiritus vocantur, & ignis, ( vt *ad illud pſal.* 103. *Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & Miniſtros ſuos ignem vrentem*, ſeù iuxtà Paulum ad *Hebre.* 1. 7. *flammam ignis*, interpretatur Genebrardus ad *pſal.* 103. *num.* 6. ) in conueniendo ad Chorum celeritatem imitarentur; Et quoniam in Religionis firmamento, vt Sydera fulgent, dum ſigno ad Chorum vocantur, inſtar ſtellarum, de quibus Baruch. 3. 34. reſponderent *adſumus*! Videat qui plura velit Nigron. in *Regul. Commun. Societ. Ieſ. Regul.* 15. *à num.* 8. *& ſeq.* Ego tantum cum Roberto de Monte in *Chron.* apud Nebridium à Mundelheim in *Antiq. Monaſtic. Epiſt.* 71. procraſtinantes monerem, a Dæmone per cucullam detineri, vt ſeriùs accedant; & hæc Benedicti Hæfteni, *Diſquiſit. Monaſt. lib.* 7. *tract.* 3. *diſq.* 3. verba conſideranda proponerem: *Si enim nos Serui inutiles ipſi Deo ſtatim initio Diuini Officij audemus dicere, Domine ad adiuuandum me feſtina, cur ipſimet non properemus ad deprecandum, & laudandum Dominum?* Argumentum ſiquidem pro negligentia arguenda conuincentiſſimum.

166 Dato ergo primo ſigno, ſeù prima Campanæ pulſatione, quæ nomine ſigni venit, vt ex Capitular. Carol. & Ludouic. *lib.* 6. *tit.* 168. Hugo Menardus *loc. cit. not. ad cap.* 52. *§.* 1. *verb. ſignum* Roſuueydus *Onomaſt. v. eod. ſignum. poſt Vit. Patr.* Franciſcus Pithæus in *Gloſs. ad libr. Capitul.* apud Baluzium *t.* 2. *eorundem Capitular. col.* 744. *verb. eod. ſignum*. Hieronymus Bignonius in Not. ad *legem Salicam* apud eumdem *ibid. col.* 843. pluribus verò, & eruditè ipſe Baluzius *ibid. col.* 1225. & ſepè in Capitulis Monachorum ad Angiam directorum, & Monachorum Sangallenſ. apud eumd. Baluz. *ibid. col.* 1380. *& ſeq.* & clarè in præſenti ex verbis, *ita vt ante finem vltimæ pulſationis omnes in Choro reperiantur*; ſemper enim ſaltèm bis pro Horis canonicis campana pulſatur; ſicut dato quoad alios actus ſigno per campanulam interiorem, aut etiam per vocem, ab omnibus expediendum, & omnia dimittenda, & ſi alias, quæ peraguntur, honeſta, & pia. Habet enim locum hic, Deum pro Deo relinquendum, vt de Virgine quadam Sanctimoniali ex Ioan. Taulero refert Ludouicus Bloſius *Apolog. pro Tauler. cap.* 6. quæ dum Chriſto Ieſu D. N. ſub pueruli forma colloqueretur, audito ſigno, quo ad commune opus vocabatur, eo ſtatim his verbis relicto: *En dulciſſime Domine mi Ieſu Chriſte, pro explenda obedientia abeo: Tu interim me hic expecta obſecro, ſi tibi placet, donec ad te venire liceat*, & opere completo Cellam ingreſſa eum in promptæ obedientiæ meritum ſub iuuenili forma adſtantem inuenit. Ideò S. Benedictus, vt vidimus, *qualibet fuerint in manibus*, audito ſigno relinquenda diſpoſuit.

167 Quod tamen ſobriè, & prudenter intelligendum eſt, relinquenda ſcilicet, *quæ ſine periculo, aut damno relinqui poſſunt*; *ſi enim ſeruiret quis infirmis, aut hoſpiti, aut præpararet cibum, aut extrhaeret vinum de dolio, & huiuſ-*

*huiuſmodi, non valeret illa ſine diſpendio immediatè dimittere*; vt explicat Turrècremata *tract.* 108. *in Regul. S. Bened.* quem ſequitur Hæftenus *cit. diſqu.* 3. Vndè rem diſtinguens Nigronus ad *cit. Regul. commun.* 15 *n.* 20. ſic elucidat, & reſoluit: *Si damnum ſequuturum eſt Cænobij communitati: Si fratri alicui celeritas tua incommodatura eſt, non ſunt ſtatim ea, quæ facis relinquenda*, & in pluribus exemplificans ſubdit: *Quare in his, & ſimilibus temporibus, ac rerum perſonarumque neceſſitatibus diſplicet Deo tanta celeritas, quantum placere diximus, cum illa incommoda nulli imminent: Contrà verò ſi celeritas non niſi tuis commodis, tuæ voluntati, ac voluptati aduerſatur, adhibenda eſt ſumma, quia Deo gratiſſima*; iuxtà quem ſenſum explicat & Martene ad *d. Regul. cap.* 43. §. *Monent tamen*. Et ſanè conſonat Conſtitutionibus noſtris, vt in *præced. Obſeru. Nullus autem niſi occupatus communi negotio, quod commodè, & ſinè iactura* (hoc eſt damno, vt Calepin. *verb. Iactura*) *Conuentus dimittere non poſſit, à prædictis actibus abeſſe præſumat*; ſi enim abeſſe ob prædicta licet, nec incongruum ob eamdem cauſam tardè accedere. Et item Conſtitutionibus PP. Calceatorum de 1551. *cap.* 6. & de 1620. *p.* 1. *cap.* 4. ibi: *ſtrictè inhibemus, ne pulſato ſecundo ſigno ad Horas extrà Chorum cum aliquo ſinè ſpeciali licentia Superioris nullus audeat remanere, niſi forſitan cum venerabilibus perſonis, quas decenter dimittere non poſſit.*

## SECTIO SECVNDA.

### *De tardè accedentium pœna.*

168 PORrò tardè venire ille cenſendus eſt, ex Conſtitutionibus PP. Calceatorum, *d. cap.* 6. ad Chorum, *qui ad inchoationem Horæ in Choro non fuerit*; ad refectionem, *qui benedictioni menſæ*; & *ad collationem, qui benedictioni potus non interfuerit*; ad Capitulum, qui venerit, *cum Precioſa dicitur, vel illud, quod in Capitulo agendum eſt, fuerit inchoatum.* Ex noſtris verò, vt vidimus, reſpectu Chori, qui *facto ſigno horam incipiendi*, non iam poſt finem pulſationis campanæ, ſed poſt ſignum Præſidentis pro Hora incipienda *acceſſerit*; reſpectu Refectorij, *qui benedictione incæpta venerit*, Conſtit. *p.* 1. *cap.* 19. §. 1. reſpectu aliorum actuum, qui eorum quolibet incæpto acceſſerit. Et hi à pœna immunes cenſendi non ſunt; apud nos enim tardè accedens ad Chorum, iam vt dictum eſt, *genuflexus ſignum ſurgendi expectabit, quod in pœnam tarditatis quandoque protrhaet*: Tardè verò ad Refectorium, *genuflexus ſignum ſurgendi expectet, quo audito terram deoſculans ſurgat, & ſedeat*. *d. cap.* 9. ad alios autem actus, pœna leui puniendus. Conſtit. *p.* 4. *cap.* 3. *de leui culpa, & pœna*, ibi: *Si quis ad actus*

*com-*

*communes diligenter non acceſſerit*, *&c.* Apud Patres autem Calceatos. *cit. cap. 6.* reſpectu Horarum, *antè Altare maius erectus ſtet immobilis, donec vt ad locum ſuum vadat, ſignum ei factum fuerit à Priore*; & reſpectu Capituli, & Refectorij *cit. cap. 6.* ſimili modo; *coram Priore inclinet, & erectus ſimiliter ſtet, quouſque ad locum ſuum Prior eum ire innuerit; quod ſi iam Fratres* (ſcilicet in Refectorio) *ſedeant in locis ſuis, ei nullus cedet, ſed in vltimo loco ſedebit.*

169 Et quidem iuxtà communem, & antiquum Monachorum morem, apud quos tardè accedentes aliqua ſemper, & conſimili pæna afficiebantur, ſcilicet vel priuatione loci, vel excluſione ab Oratorio, vel moroſa genuflexione, vel veniæ petitione, vel erectione in loco conuiuij, vel increpatione Prælati, de quibus reſpectiuè Caſſianus *Inſtit. Monach. lib. 3. cap. 7. & lib. 4. cap. 16.* Smaragdus in *cap. 43. Regul. S. Benedic.* Caracciolus in *Synops d. tract. 3. diſp. 4. num. 20. & 21.* Nigronus *loc. ſupr. num. 27.* Hæſtenus *d. tract. 3. diſq. 4.* Maggius de *Sacr. Ceremon. opuſc. 1. diſq. 15.* Martene ad *cit. cap. 48. Regul. S. Benedic.* & fusè Menardus in *Concord. Regul. cap. 52. per tot.* Et eo fine, vt tali mortificatione pro ſua negligentia tardè accedentes confunderentur, vt in *cap. 6. Regul. 2.* Sanctorum Patrum: *Foras excludatur confundendus.* In *cap. 14. Regul.* S. Macharij: *Foras excludatur, vt erubeſcat.* In *cap. 5.* Regul. S. Fructuoſi: *Vt excluſus confundatur.* In eod. *cap. 43.* Regul. S. Benedicti, *Vt viſi ab omnibus, vel pro ipſa verecundia emendentur.* Et in Concil. Aquiſgranen. de 816. *cap. 131.* vbi de Canonicis: *Qui ſegniter, aut tardè ad matutinum, aut aliud quodlibet Diuinum Officium peragendum occurrerit, dignum eſt, vt non cum alijs in Choro, ſed omnium vltimus, vt certè erubeſcere diſcat, in loco huiuſcemodi negligentibus à Prælato conſtituto ſtet.* Apud Caſſinenſes tamen Monachos hic modò genuflectendi, & pro ſurgendo Abbatis ſignum expectandi ritus obſeruatur, vt teſtantur Hæſtenus *d. diſq. 4.* & Martene ad *cit. cap. 43. §. de Caſſinenſibus*; ſicut & apud Theatinos, vt Caracciolus *loc. ſup. num. 21.* & Maggius *ead. diſqu. 15. num. 86.* & *opuſc. 2. diſqu. 22.* de Clericis Regularib. S. Pauli.

170 Et hic adnotandum primo: Apud nos ſiuè ex voluntate, ſiuè ex neceſſitate, ſiuè etiam cum licentia tarditas hæc ad actus communes procedat, ſemper genuflectendum vſque ad Præſidentis ſignum ex inconcuſſo Religionis more; præterquam quando cæteri in eo Communitatis acta iam ſunt genuflexi, tunc enim tardè accedens facta genuflexione, vel profunda Altari inclinatione ad ſuum locum pergit; atque adeò huiuſmodi genuflexionem propriè pro pæna non haberi, niſi quando prorogato à Præſidente ſurgendi ſigno protrhaitur ipſa genuflexio; tunc enim adimpletur lex, *quod in pænam tarditatis quandoque protrhaet*; & tunc inde non leuis erubeſcentia. Secundò, tunc ſolum genuflectendum, quando qui in Choro v. g. præſidet, vel Superior, vel tardè accedente profeſſione antiquior,

quior eſt; Vnde ab hac lege excipiuntur Priores hoſpites, in præſentia Prioris localis, Prouinciales in præſentia alterius Prouincialis, & Superiores Generales, quando P. Vicarius G. abeſt; cum enim par in parem non habeat imperium *Cap. Inferior. Cap. Denique* 21. *diſt.* Menoch. de *Arbitrar. lib.* 2. *caſ.* 438. *num.* 9. Surd. *conſ.* 47. *num.* 11. Riccius in *collect. deciſ. p.* 5. *collect.* 1094. nec quoad numeratos locus eſt expectandi ſignum: Sed tunc facta debita Altari reuerentia in proprio loco genuflexi terram deoſculantur, & ex ſe ipſis, ſeù nullo Præſidentis ſigno præcedente ſurgunt. Tertiò excipi etiam, qui recedentes cum licentia, modico temporis interuallo redeunt; non enim debent iterum genuflectere, cum non dicatur propriè tardè accedere, qui debito iam tempore acceſſit. Quartò actus communes, pro quibus quoad effectum genuflectendi attenditur tarditas, eſſe Chorum, & Refectorium ex Conſtitutionibus *ſupr.* addo, Capitulum ex conſuetudine. Quo enim ad horam poſt prandium, licet mos ſit inter Religioſos maximè præſente Superiore genuflectendi, potiùs hoc videtur fieri in Superioris obſequium, quam ratione tarditatis, cum nulla quoad hoc lex; & quia cum ex tacito Superiorum conſenſu liberum iam ſit cum alijs hoc tempore conuenire, nec poteſt tarditas hæc pro culpa conſiderari. Quintò, & ſi in pænam tarditatis ſignum ſurgendi à Superiore prorogari poſſe permittatur à Conſtitutionibus quoad tardè accedentes ad Chorum, habere tamen locum quo & ad tardè accedentes ad Refectorium, cum fruſtra poneretur, *genuflexus ſignum ſurgendi expectet*, ſi prorogari non poſſet: quin, & ad Capitulum, & à fortiori, cum ex aduentu poſt inceptam Superioris concionem maior perturbatio; licet enim de hoc nihil inueniatur ſpecialiter ſtatutum, ex alia tamen lege Conſtit. *p.* 4. *cap.* 1. §. 4. ibi. *Oportet autem huiuſmodi pænas in Conſtitutionibus non taxatas, per alias taxatas circiter regulari*, poterit ſurgendi ſignum, & quoad tardè accedentes ad Capitulum, prorogari.

171 Quibus poſitis ſoluendum eſt dubium ex eo procedens, quod dictum ſit, ad alios actus communes tardè accedentem puniri poſſe pæna leui: *Si quis ad actus communes diligenter non acceſſerit:* Conſtit. *p.* 4. *cap.* 3. *de leui culpa, & pæna* §. 1. quæ eſſe poteſt vna ex mortificationibus ordinarijs, *vt Fratrum oſculari pedes, brachijs extenſis in Refectorio adſtare, genibus flexis ad ianuam Refectorij, vel Chori, cum Fratres ingrediuntur, vel egrediuntur, eorum preces poſtulare, in terra comedere.* Conſtit. *ibid.* §. 2. Vel enim tardè accedens ad Chorum ſub hac lege pænali comprehenditur, vel non. Si non, maior pæna impoſita ſequitur tardè accedenti ad Capitulum v. g. quam ad Chorum; pro quo genuflectendum tantum vſquequo ſurgendi ſignum detur, ſtatutum diximus; maior ſiquidem mortificatio, & erubeſcentia in terra comedere, quam modico tempore in Choro genuflectere. Si comprehenditur, iam duplici pæna afficiendus erit, genuflexione ſcilicet, & pæna.

N 172 Et

172 Et dico primò, non comprehendi, quia pro tardè accedente ad Chorum aſſignata eſt ſatisfactio particularis, ſcilicet genuflexio modo explicato; Et ſtatutum generale pænæ leuis pro tardè accedentibus habet locum in alijs a ſpecialiter diſpoſitis; & tardè accedens ad Chorum, quando Superior illum punire velit, protractiore genuflexione puniendus eſt, cum ſic expreſsè ſtatuatur, *ſignum ſurgendi expectabit, quod in pænam tarditatis quandoque protrahet*; vt de mente S. Fructuoſi ex Caniſio *tom.5. antiq. lect.* refert Menardus in *Concord. Regul. cap.53.§.1.* & de mente S. Benedicti Ananiens. ſcribit Baluzius *tom. 2. Capitular. in appendic. col.* 1385. eiſdem verbis, ibi: *Sciendum quatuor ibi contineri modos, quibus delinquentium error corripitur. Primus namque eſt, qui per negligentiam tempore conſtituto ad nocturnos non pulſauerit ſignum &c. & qui ad Officium Diuinum tardè occurrerit &c. Secundus &c.* & enumeratis alijs. *De primo ſciendum eſt, quod nullatenus aliter, niſi quod Regula iubet fieri, debet, &c.*

173 Nec obſtat, quod maior eſſet pæna pro tardè accedente ad Capitulum, quam ad Chorum, quia cum alij præter Chorum, & Refectorium ſint actus communes, vt Oratio mentalis, Capitulum, & Oratio Serotina, ſollicitiores fortè eſſe potuerunt legiſlatores de celeri ad hos actus acceſſu, quam ad Chorum; tum quia ſuppoſuerunt, faciliùs contingere potuiſſe tarditatem & moram quoad hos actus, quam quoad Officium; tum quia maior aliorum perturbatio ex tardo acceſſu ad Orationem, & Capitulum, quam ad Chorum; & etiam ob ſpecialitatem horum actuum, ob quam nec ab his quiſquam eximitur; atque adeò potuerunt & pænam maiorem pro tardo ad hos actus, quam ad Chorum acceſſu aſſignare; ni velimus dicere, quod cum decens ſit, vt ibi detur ſatisfactio, vbi & culpa committitur, aſſignata ſit pro tardè accedente ad Chorum protractior genuflexio, vt opportunior; & omiſſa pæna maior, vt potè non apta, nec congrua loco; vel cum nequeat genuflexio applicari tardè accedentibus ad Orationes mentalem, & ſerotinam, vt vidimus, ex eo quod iam omnes ibi genuflexi conſiſtant, pro his alia pæna, nempe leuis conſtituta ſit. Vel hanc conſimili argumento ex Antonio Perez in *Regul. S. Benedicti cap. 43.fin.* accipe ſolutionem. Notatu (ſic ipſe) dignum eſt, quod D. Pater promptiores videtur nos velle ad refectionis, quam ad Orationis horam. Vult enim nos ſub ſtatuta pæna, & quidem non leui occurrere antè verſum, quo menſa benedicitur, cum tamen ad horas diei ſit contentus, vt occurramus ad verſum, & Gloriam primi pſalmi, & ad Nocturnos ad Gloriam pſalmi nonageſimi quarti, quem propterea protrahendum, & moroſè dicendum inſtituit. Sed præterquam quod id etiam habet Pachomius *Regul. cap.2. num.* 24. Iſidoruſque *Regul. cap.* 10. rigidior in hac parte eſt, ſanciens. Refectionis tempore dato ſigno pariter omnes concurrant. Qui autem ad menſam tardiùs venerit, aut pænitentiam agat, aut ieiunus

ad

ad ſuum opus vel cubile recurrat. Nemo autem ad veſcendum ibit, antequam ad vocandum omnes vox ſigni ſolita inſonuerit. Vtique, vt omnes (vel ipſa famis neceſſitate compreſſi) ſimul benedictioni adſint, & ad menſæ benedictionem concurrant. Igitur præter hoc illud in cauſa eſt, quod Fratres, qui antè verſum antè refectionem cantandum, vel recitandum occurrunt, communem tam pro ſe, quam pro his, qui ſumpturi ſunt, orationem faciunt: illi autem, qui huiuſmodi verſum prætermittunt, communi illius horæ orationi deſunt. Qui verò tardè ad alias diuini Officij horas occurrunt, licet prætermittant aliqua orationis communis, non tamen prætermittunt omnia, ſed, licet minùs plenè, diuinum tamen Officium perſoluunt, diuiniſque horis interſunt. Hæc ille.

174 Dico ſecundò, abſolutè loquendo, poſſe à Superiore tardè accedentem ad Chorum, maximè ſi ex conſuetudine, pæna leui affici, non quidem vi illius legis, *Si quis ad actus communes &c.* ſed vi alterius *d.p.4. cap.5. fin.* ibi. *Poterit nihilominus* (ſcilicet Prior) *in aliquo euentu pænam aliam culpæ oppoſitam, & ijs quæ per Conſtitutiones conſtituuntur æqualem excogitare, & ſi credat fore vtilem, eam inferre.* Quo tamen caſu non eſſe illi in Choro pro ſurgendo ſignum protrhaendum, ne bis pro eadem culpa puniatur. Nec per ſimplicem, ideſt abſque mora, in Choro genuflexionem poteſt dici iam ſemel punitus, cum, vt adnotauimus, ex eo quod etiam qui ſine culpa tardè accedunt, genuflectere debeant, ea genuflexio propriè pro pæna non habeatur.

# OBSERUATIO NONA.

## Ad Text.

*SIt etiam Calendarium deſcriptum, in quo notentur Feſta Sanctorum Ordinis noſtri, & etiam ea, quæ apud Nos, & in Diæceſi illa, in qua ſitum fuerit Monaſterium, celebrari debent. Annotetur etiam in prædicto Calendario, vt in primo die cuiuslibet menſis, feſto nouem lectionum non impedito, fiat commemoratio S. P. N. Auguſtini ſub ritu feſti Semiduplicis.* Conſtit. *d. p.* I. *cap.* I. §. 10.

## SECTIO PRIMA.

### *De Calendario.*

175 CAlendarij, quod à Kalendis dictum eſt, vt notat Gauant. in *Rubric. Breuiar. ſect.* 2. *cap.* 5. *num.* 1. eſt libellus, in quo *quidquid ſingulis cuiuſque menſis diebus, geſtum, accommodatum, mutuatum, locatum ſit, ſcribitur*, iuxta Felicem Felicium in *Onomaſtic. Roman. verb. Calendar.* & à Chriſtianis ad Tabulas Eccleſiaſticas, atque Feſtos translatum, vt habet Matthæus Fridericus Beckius in *Martyrolog. Eccleſ. German. cap.*5. & Teophil. Raynaud. *tom.*3. *in Anagnoſt. ad Eccleſ. menſam. proloq.*7. *pag.*539. *col.* 2. in quibus Martyrum nomina deſcripta; Vnde Sanctorum Matricula dicitur à Rodulpho Tungrenſ. de *Canon. obſeruant. prop.* 17. & ſic a Petro Gaſſendo de *Roman. Calendar. cap. proœm.* deſcribitur: *Menſium, dierumque, ex quibus annus conſtat, ac vna Feſtorum, & ſi quæ ſunt alia dierum adiuncta coordinatio.* Antiquus ſanè in Eccleſia ritus, cum, vt præter Pamelium ad S. Cyprian. *Epiſt.*37. Antonius Bellotta ad *Rit. Eccleſ. Laudunen. obſeruat.* 15. *pag.* 64. *num.* 2. diſcurrit, *Calendaria Martyrologijs vetuſtiora ſint, quippe quæ illis* (ſaltem iuxtà explicationem eiuſd. Raynaud. *ibid.*) *originem præbuerint*. Singulæ Eccleſiæ ſua propria habebant, vt *ibid.* idem Bellotta, & *in eis digeſta erant nomina Epiſcoporum, & Martyrum,*

*dieſque notati, quibus memoria eorum anniuerſario cultu celebraretur*. Sic & in præſenti pro Calendario venit *Ordinatio diaria Diuinorum officiorum, quæ vel de Sanctis, vel de tempore, ſingulis diebus cuiuſque menſis facienda ſunt*, vt explicant Carellus in *doctrin. Sacr. Rit. ad Prælud. Dialog. 6.* & Bordonus *reſolut. 30. num. 18.*

176 Vnum, & antiquum pro mea Auguſtiniana Religione de 1549. Romæ impreſſum habeo, in quo tùm plura, quam nunc officia ſimplicia, tùm multa ſub inferiori ritu. Modo tamen conſtat ex Sanctis, Feſtiſque Breuiarij Romani, & multis particularibus iuxtà poſtremam Clementis X. conceſſionem, prout ex Conſtit. *Ex iniuncto Nobis &c.* 28. April. 1673. in Officijs proprijs Ordinis.

177 Sed ad noſtra reuertentes, ſenſus Conſtitutionum eſt, quod formetur Calendarium particulare pro vſu noſtri Chori, vt pluribus in locis de menſe in menſem conſcriptum vidi; & patet ex his, *in quo notentur Feſta Sanctorum Ordinis noſtri, & etiam ea, quæ apud nos, & in Diœceſi illa celebrari debent*; ſi namque in hoc Calendario adnotari debent Feſta Sanctorum Ordinis &c. aliud certè ſupponitur ab Ordinis Calendario; Et vtique contextum ex Feſtis, ac officijs Sanctorum Breuiarij Romani, Religionis, particularibus prout infrà, & Diœceſis; quod pariter in Choro ſemper reperiri debet, vt ex verbis antecedentibus Conſtitutionum; *Curabit etiam Prior diligenter, vt Miſſale, Breuiarium, Martyrologium, cultui diuino perficiendo congrua, ſemper in Choro reperiantur. Sit etiam Calendarium deſcriptum &c.* dictio ſiquidem, *etiam* vel repetit conditionem, & qualitatem præcedentis diſpoſitionis in ſequentem per relat. à Barboſ. in *tract. de Diction. vſufreq. dict. 112. num. 16.* & ſenſus eſt, quod in Choro ſit Calendarium, ſicut & Breuiarium &c. vel operatur idem ac *vltrà*, vt per Mariſcot. *variar. reſolut. lib. 2. cap. 83. num. 55.* & Honded. *Conſ. 40. num. 27. lib. 2.* & adhuc ſenſus eſt, quod præter Breuiarium, ſit ſemper in Choro Calendarium.

## SECTIO SECVNDA.

### *De Officijs, & Feſtis Sanctorum Ordinis, quibus diebus celebranda ſint; & an in aliam diem poſſint mutari.*

178 PRo Officijs, & Feſtis Sanctorum Ordinis, de quibus in verbis: *annotentur Feſta Sanctorum Ordinis*, veniunt Officia, & Feſta propria Ordinis Eremitarum, & ea ſunt, vt notat Guyet. de *Feſt. propr. locor. lib. 1. cap. 14. q. 1.* quæ ad ipſum aliqua ratione pertinent, & ſi Ordinis Sancti non ſint; non enim multis ab hinc annis officio ſpeciali

Feſtum

Feſtum S. Annæ celebrabatur, & in præſenti de SS. nomine Ieſu, de S. Gabriele Archangelo, ſicut & de SS. Sacramento, & B. V. M. conceptione ſub commemorationum titulo, vt infrà, celebrantur; Vel etiam ſi, vt ait Gauantus *p. 2. ſect. 1. cap. 5. tit. 2. num.* 12. non propriè Sancti, hoc eſt non canonizati, ſed tantum Beati; ea tamen & omnia, & ſola, ſiuè Sanctorum, ſiuè Beatorum, vel alia quomodolibet, quæ iuxtà vltimam reformationem ſunt, vt dictum eſt, à Clemente X. conceſſa; cum locorum Ordinarios *tam Sæculares, quam Regulares non potuiſſe, neque poſſe addere Calendarijs etiam proprijs Sanctorum officia, niſi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, ſeù Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur*, declarauerit eadem Sacra Rit. Congregatio die 8. Aprilis 1628. cum Vrbani VIII. approbatione, vt referunt Nauarr. in *Lucern. Regul. verb. Officium. num.* 17. Pax Iordanus *tom. 2. lib.* 10. *tit.* 40. *num.* 14. Lezana *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 12. *num.* 33. Bordon. *reſolut.* 30. *num.* 18. Guyet. *d. lib.* 1. *cap.* 2. *&* *q.* 4. *&* 7. ſub pæna non ſatisfaciendi obligationi diuini Officij, & conſequenter non faciendi a Clericis fructus ſuos Beneficiorum, addunt Gauantus eod. *tit.* 2. *num.* 9. *& Sect.* 2. *cap.* 2. *num.* 24. & Guyet. *ibid. q.* 2. & ſignanter apud nos quod addi non poſſint Officia, clarè habetur in Rubric. recentioribus officior. Ordinis *num.* 1. Quarè ſi inter Sanctos quis ex Ordine Eremitarum de nouo adſcriberetur, non poſſet de eo officium celebrari ſinè ſpeciali Sedis Apoſtolicæ permiſſione. Barboſ. de *Offic. Paroch. cap.* 10. *num.* 2. & in *Collect. Apoſt. Deciſ. Coll.* 802. *num.* 17. Io: Maria Nouarr. *eod. verb. Officium num.* 9. Guyet. *cit. lib.* 1. *cap.* 5. *q.* 7. *fin. & cap.* 14. *q.* 5. *§. Atque hinc.* Et etiam quia, cum ex Breuiarij Rubricis non conſtet, quali ritu celebrandum ſit eius officium, Sacræ Congregationis decretum expectandum eſt, vt idem Gauant. *ead. Sect.* 2. *cap.* 2. *num.* 30.

179 In quibus porrò Feſtis celebrandis, hæc adnotanda. Primò: Ad ea omnia, ſiuè de publica, ſiuè de priuata recitatione agatur, quemlibet Ordinis Eremitarum teneri, cum quiſque Religioſus teneatur dicere horas ſecundum Breuiarium ſuæ Religionis approbatum, vt ex *Cap. de ijs*, & *Cap. Placuit. diſtit.* 12. Lezana *t.* 1. *p.* 1. *cap.* 11. *num.* 18. Diana in *coordinat. tom.* 3. *ſect.* 6. *reſolut.* 105. Nec hic locum habere, quod quiſque poſſit ſuo priuilegio renuntiare, vt ad rem præſentem, putat Thomas a Ieſu in *Expoſit. Regul. p.* 3. *cap.* 7. *dub.* 3. *pag.* 195. *col.* 1. quia id intelligendum ſecluſa prohibitione, vt notat Nicolius in *Floſcul. verb. Officium num.* 10. eo modo, quo habentes priuilegium ex Pij V. conceſſione vtendi Breuiario proprio, non poſſunt illi renuntiare, & priuatim vti Romano, vbi ſit præceptum de hoc non vtendo. Gauant. *eod. cap.* 2. *num.* 14. Pelizzar. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *ſect.* 1. *num.* 19. Trullench. in *expoſit. Decalog. lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 14. *num.* 3. Leandr. *tom.* 6. *tract.* 8. *diſput.* 3. *q.* 7. Lezan. *tom.* 2. *verb.*

*Breuiarium num. 3.* Et Patribus Auguſtinianis id ſufficienter prohibitum dignoſcitur, eo ipſo quod ad hæc officia, proùt in Clementis X. Conſtitutione. *Ex iniuncto Nobis &c.* 28. *Aprilis* 1673. P. Generalis præcepto adſtringuntur: Licet nonnulli dubitent, ex eo quod non conſtet de huiuſmodi præcepto; quandoquidem hæc P. Generalis verba proùt in d. Clementis conſtit. *Quarè Paſtoralis officij noſtri curæ iudicauimus eſſe, omnes, & ſingulos &c. non ſolum præmonere, ſed eiſdem in meritum ſalutaris obedientiæ demandare, vt alijs quibuſcumque relictis, nouiſſimè hiſce Ordinis officijs &c. cumprimum eorum exemplaria habere poterunt, omninò vtantur*, videantur indicare intentionem præcipiendi, non verò continere, ſeù importare præceptum ipſum ex defectu actualis præceptionis, per verbum modi indicatiui *demandamus*, quod non legitur, proùt legitur *ibid.* in ſubſequenti præcepto de non reimprimendis officijs, in quo ſic: *Præcipimus eodem Sanctæ obedientiæ præcepto formali*, & alias nullum dubium, quod voluntas diſponendi non inferat diſpoſitionem; vt cum Fontanell. *de pact. nupt. clau.* 6. *gloſ.* 3. *part.* 5. *num.* 60. Simon de Pretis *conſ.* 33. *num.* 2. *conſ.* 42. *num.* 29. *conſ.* 167. *num.* 38. Oldrad. *conſ.* 167. *num.* 119. Surd. *conſ.* 336. *nu.* 18. Franciſcus Antonius Tranchedinus, *Conſultat. variar. conſ.* 17. *num.* 99. Quod adhuc certiùs eſt reſpectu Patrum Excalceatorum, cum ex eo quod expleta viſitatione actuali, vt in *Quodlibet Regular. num.* 1476. *& ſequ.* diximus, nec ipſe Reuerendiſſimus Pater Generalis recipiendus ſit à Patribus Excalceatis, nec hi ad ipſum appellare valeant, ſequatur apertè, quod nec ipſis poſſit præcipere: vanè enim acceptanda non eſſet perſona, ſi eiuſdem acceptari deberent mandata; vel vanè accedere non poſſet perſona, ſi iuſſa poſſet mittere; præterquamquod finis prohibitionis huiuſmodi receptionis, & appellationum cum ſit, vt in gubernio, ſeù Excalceatorum regimine non ſe ingerat P. Generalis propter *ibidem* dicta, & vt conſideranti patet; quapropter Vicarius Generalis ſuam Congregationem *totaliter gubernat*, vt cum Barboſ. *dict. Quodlib. num.* 14. 18. dictum eſt, non apparet certè, quomodo poſſit extrà actualem viſitationem Patribus Excalceatis iurè præcipere.

180 Vndè præſcindendo à præcepto, & prohibitione, reſpondetur argumento; Et ſi ex priuilegio conceſſa huiuſmodi officia, non ſequi, poſſe modò recuſari, ſeù renuntiari, aut dimitti, eo modo quo relicto ex conceſſione Pij V. Breuiario proprio, vt Romanum induceatur, non poſſe amplius relictum repeti, cum Suarez de *Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 5. Gauant. *ſect.* 2. *cap.* 2. *num.* 13. Bonacina de *Hor. Canon. diſp.* 1. *q* 3. *punct.* 1. *num.* 2. firmat Guyet. *ibid. lib.* 3. *cap.* 1. *q.* 9. tenentque Pellizzarius *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 17. Et quamuis ſint ex priuilegio conceſſa, conceſſa ſunt tamen cum onere ea recitandi; & cum iam ſint a Religione acceptata, acceptatum eſt quoque huiuſmodi onus, ſeù ad eadem recitanda ſe

adſtrin-

adſtrinxit Religio; adeòque nec poteſt amplius dimittere, cum certum ſit, quæ priùs ſunt libertatis, ex pacto poſteà fieri neceſſitatis; & quando renuntiari, aut dimitti poſſent, cum ad ſolum Capitulum generale id ſpectet ex dictis in *Quodlib. Regul. num.* 499. nemo certè priuatus poterit, vel ex ſe ipſo renuntiare, vel horum officiorum recitationem omittere; cum donec fuerint a Religione renuntiata, teneatur quilibet, vt dictum eſt, *num. anteced. princip.* ſuæ Religionis officia recitare.

181 Adnotandum ſecundò, quando de aliquo Feſto Ordinis celebrandum eſt Officium, prænuntiandum eſſe in Martyrologio. Rubric. 4. *Martyrolog.* Guyet. *ibid. lib.* 2. *cap.* 14. *q.* 1. Quod *etiam ſeruandum in Feſtis mobilibus, & in Sanctis proprijs particularium Eccleſiarum in Romano Martyrologio non appoſitis, qui in ijs tantum Eccleſijs, & locis, vbi præcipuè memoria eorum celebris habetur, legi poterunt etiam primo loco, ſi de illis ibidem agatur officium*. Sic Rubricæ de *Martyrolog.* pro Ordine Eremitarum in *fin. Officior. propr.* Et ſemper ſtatuto die, cum ob translationem Feſti non transferatur annuntiatio in Martyrologio. Gauant. *ſect.* 5. *cap.* 21. *num.* 9. Guyet. *ibid. q.* 5. Biſſus in *Hierurg. litt. M. num.* 101. §. 7. Si verò non transferatur, ſed fixè in alteram diem mutetur, vtrumque approbat Guyet. *d. cap.* 14. *q.* 5. & poſſe annuntiatum in Martyrologio, vna cum officio ab Eccleſiarum Præſidibus mutari; & æquè conuenire nullam quoad Martyrologium fieri mutationem. Iuxta tamen Martyrologij iuſſu Clementis X. recogniti regulas videtur bis poſſe adnuntiari, prima vice in eorum die natali ſuo loco, Martyres ſcilicet poſt Martyres, Confeſſores poſt Confeſſores &c. indicando quonam die eorum feſtiuitas celebretur: Secunda vice & primo loco ea die, quæ eſt pro eorum officij celebratione aſſignata, addendo quando eorum natalis dies euenerit, ſi officij celebratio poſtponatur, vel eueniet, ſi anteponatur. Et ita ex mente Deputatorum pro recognitione officiorum Ordinis in calce Methodi, ſeù Calendarij Ordinis in Diæceſi Ianuenſi pro anno 1684. *reſponſ. ad dub.* 25.

182 Adnotandum tertiò, eadem & ſola officia recitanda, ſiuè ex communi, ſiuè propria, vel ex toto, vel ex parte, quæ in ſupradictis reformatis pro Ordine Eremitarum officijs continentur; & præter ea, nullum aliud officium peculiare, nec ex toto, nec ex parte induci poſſe ſinè S. Sedis approbatione, cum huiuſmodi officia ſpecialia non approbata ſint ad inſtar librorum prohibitorum omninò vetita ex Sacr. Congregat. decreto, vt Barboſ. in *collect. Apoſt. deciſ. collect.* 532. *num.* 7. Gauantus *d. ſect.* 1. *cap.* 5. *tit.* 2. *num.* 10. Pax Iordan. *loc. ſupr. num.* 16. & notatur in *Indice libror. prohibit. verb. Officium*.

183 Quartò, eodem prorſus ritu duplicis, vel ſemiduplicis, quo celebrari poſſe conceſſum eſt; cum & hunc ritum ſub quouis prætextu mutare ſit ab eadem Sac. Rit. Congregatione ſpecialiter vetitum, vt notant Ga-

uantus *d. cap. 5. tit. 2. num.* 8. *& ſect. 2. cap. 2. num.* 25. Barboſ. *ibid. num.* 10. Pax Iordan. *loc. ſupr. num.* 15. Bordon. *Reſolut.* 30. *num.* 18. Guyet. *d. lib.* 1. *cap.* 2. *& q.* 4. & clarè diſponitur in *Rubric. nouor. Officior. Ordinis eod. numer.* 1.

184 Quintò, & eadem die, quæ illis in Officijs reformatis eſt aſſignata; nec poſſe in alteram diem propria auctoritate mutari; alioquin non ſatiſfieret præcepto. Gauantus *cit. cap. 5. tit. 2. nu.* 7. quia taliter mutans officium non obſeruaret præceptum quoad ſubſtantiam; cum non ſolum præcipiatur recitatio officij diuini in genere, verum etiam in particulari, vt pluribus allegatis Barboſ. in *Cap. Presbyter. de celebrat. Miß. num.* 9. ita videlicet quod tali, & tali die, tale, & tale officium recitetur; cuius obligatio tranſit cum ipſo die vt potè tali diei affixa, & quia Pius V. non modò ſubſtantiam præcepit, ſed etiam modum, & formam horarum Canonicarum, & eo fine, vt varietatem omninò tolleret, vt cum multis Bonacina de *Hor. Canon. queſ.* 3. *punct.* 1. *num.* 17. quod docet & Suarez de *Relig. t.* 2. *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 6. vt clariùs infra *num.* 191. *&* 192. oſtenditur; loquendo ſaltem de recitatione publica, & in Choro, cum in hac publica oratione ſit res grauis dicta mutatio. Nec obſtat, quod Doctores loquantur in terminis de mutatione officij Breuiarij Romani, & non de mutatione officiorum propriorum, quia eadem eſt ratio de vtriſque. Suarez *d. num.* 6. *fin.* & ſemper intelliguntur conceſſa cum eiſdem obligationibus, & conditionibus Breuiarij Romani, niſi aliter exprimatur.

185 Poſſe tamen in aliquo particulari caſu Prælatum etiam Regularem diſpenſare ex graui, & rationabili cauſa, quod aliud præter ea die in Calendario aſſignatum officium vna, vel altera vice celebretur, admittit Suarez *ibid.* cum D. Antonino Tabien. Armill. & Nauarr. *cap.* 23. *num.* 17. ſequunturque Portellus in *dub. Regul. verb. Horæ canonicæ num.* 7. & Diana in *coord. tom.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 108. vbi tamen aduertit ſe à S. Rit. Congregatione contrarium ſtatutum audiuiſſe, licet ſibi non conſtaret. Sed hanc opinionem non ſatis ſubſiſtere notat Guyetus *ibid. lib.* 1. *cap.* 12. *q.* 9. & ab ea ſe retractaſſe Dianam; quam nec ego admitto, cum ſciam à S. Congregat. ſub 29. Nouemb. 1603. decretum, *non eſſe relinquendum officium debitum, pro officio deuotionis*, vt habent Gauantus *cit. tit.* 2. *num.* 1. Barboſ. *ead. collect.* 532. *num.* 12. & *de poteſt. Paroch. p.* 1. *cap.* 10. *num.* 14. nec ob deuotionem populi, ſeù votum vt idem Gauantus *ſect.* 2. *cap.* 2. *num.* 26. & Guyet. *d. cap.* 12. *q.* 4. nam his cauſis remotis, non video, quæ alia rationabilis pro licita diſpenſatione occurrere poſſit. Et ſuadetur vlterius, quia ſi aliquando id fieri poſſet, ſiuè officium aliud ab eo, quod eſt in Calendario aſſignatum, recitari, tunc maximè quandò aliqua feſtiuitas particularis occurrit. At cum nec in tali caſu id fieri poſſit, quandoquidem & tunc, etſi poſſint cani veſperæ de feſtiuitate, officium tamen in Choro

debet fieri iuxtà Calendarium ex hac noua *Rubr. Breuiar. Ordin. num. 7. Si verò occurrat in noſtris Eccleſijs ſolemnitas aliqua cum pompa exteriori, vel pro Titulo Altaris, aut pro Patrono alicuius Confraternitatis, poterunt recitari Veſperæ ſolemnes Votiuæ, non interrupto Breuiarij Romani officio, quod priuatè in Choro erit recitandum*; Sequitur clarè numquam licere aliud officium ab aſſignato in Calendario recitare.

186 Sed quid, quando in aliqua Diæceſi officium alicuius Sancti noſtri Ordinis concurrit cum Sancto eiuſdem Diæceſis ſub eodem ritu, illudque pro ſemper a propria die excludit, cum Feſtum Ordinis præualeat, vt mox dicetur; vel quando officium Sancti Ordinis inferioris ritus excluditur, ſeù pro ſemper à propria die in aliqua Diæceſi ab aliquo officio ſuperioris ritus, ita quod de ſic excluſis numquam poſſit propria die fieri; poterit ne Prælatus in his ſaltem caſibus pro officijs, quæ à propria die pro ſemper excluduntur, alteram diem fixam aſſignare? Reſpondet Guyetus *ibid. lib. 2. cap. 2. q. 5. & 6.* ſi agatur de Sanctis proprijs (quod vtique intelligendum de proprijs ſiuè Religionis, ſiuè Diæceſis) quando Feſtum alicuius Sancti à ſua natali die, ita à Feſto alterius Sancti excluditur, vt numquam poſſit in ea de eo fieri, poſſe alteram diem ſic excluſo aſſignari: ſi verò agatur de excluſione Sancti in Calendario Romano deſcripti, inclinat, quod non poſſit ſic excluſo altera fixa dies aſſignari, tum quia hic potiſſimum habere debet locum Rubrica de *Translatione Feſtor. num. 6.* quod videlicet occurrentibus ſimul duobus eodem die Feſtis, fiat de digniori, translato minus digno; tum quia, ſi mutaretur tale Feſtum Calendarij in alteram fixam diem, & hæc dies incideret in Dominicam, periret officium Dominicæ, quod incommodum dicit eſſe ſummopere cauendum. Et ſi replicetur eadem & militare pro mutatione Feſti proprij, affert pro reſponſione diſparitatem, quod ſcilicet Feſtum Calendarij Romani, quod ſupponitur mutandum, non eſt proprium, ſed commune totius Eccleſiæ; adeoque iure communi regendum, ſeù transferendum. Sed quidquid ſit de hoc, ſententiæ ſubſcribo, quia quoad Feſta Calendarij ſaltem Romani conſuetudo eſt, quod in huiuſmodi occurrentia, minus dignum transferatur, & numquam vidi diem fixam ex priuata auctoritate illi aſſignari; & de facto ſi aliquibus feſtis Calendarij Romani eſt in Officijs Ordinis noſtri reformatis, mutata dies, id actum ex Sedis Apoſtolicæ comprobatione, vt pluries videre eſt in litteris Apoſtolicis antè Rubric. officiorum Ordinis recognitorum, & in ipſis Rubricis. Quod & in primo caſu ob eamdem conſuetudinis rationem puto obſeruandum.

187 Si tamen contingat, quod de aliquo Sancto ſiuè proprio, ſiuè Calendarij Romani, die illi aſſignata ex obliuione actum non fuerit, prima die eius officium recitari poſſe, ne Sanctus maneat eo anno ſinè officio, firmat Trullench. in *Decalog. t. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 14. num. 11. fin.* quin

debere

debere contendit Leander *tom. 6. tract. 8. diſp. 3. q. 47.* eo quod nec Sanctus, nec recitans, qui habent ius ad illud officium pro ſemel in anno ſint ſinè culpa ſuo iure priuandi, cum ignoranti non currat tempus. *l. Quamdiù. C. de Admit. ad bonor. poſſeſs.* Flamin. de *Reſignat. lib. 5. q. 4. num. 34. cum ſequ.* Fagnanus in *Cap. Significatum. de Regularib. num. 18.* & Philippinus de *priuileg. Ignorantiæ num. 274.* nec ita affixa ſint diebus officia, quin ob impedimentum transferri poſſint, vt patet ex *Rubric. de Translat.* adeòque cum æquè ob impedimentum ignorantiæ de tali Sancto propria die actum non ſit, eo modo, quo ob impedimentum occurrens non fit de aliquo Feſto, quod transfertur, ſicut prima die non impedita fit de translato, ita & de oblito, vt clarè Pellizzar. *tom. 1. tract. 5. cap. 8. num. 74. verſ. Quæri poteſt hic*, & Leander *loc. cit.* Et ſi obijciatur, quod pariter poſſet Religioſus infirmus, dum conualuerit omiſſa officia repetere, non ſequi reſpondent ob diſparitatem, quia infirmo, qua die ob morbum non tenetur recitare, non currit obligatio, nec ius poſitum pro fundamento transferendi ob impedimentum obliuionis; & quia nimia inuerteretur ordo officiorum, ſi officia ob ægritudinem omiſſa reaſſumi poſſent, quod non habet locum in vna vel altera translatione per obliuionem, Pellizzar. *ibid.* Guyet. *lib. 2. cap. 17. q. 8.*

188 Sed contrarium tenendum cum Bordono infrà; & clariùs cum Ioan. Cardinale de Lugo in *Reſponſ. moral. lib. 5. dub. 8.* quem ſequitur Gobat *Theol. expriment. tract. 5. num. 641.* quia iuxtà Breuiarij Rubric. *de Translatione tit. 10.* non ſunt transferenda officia, niſi vbi, aut à Dominicis aliquibus, aut à Feſtis maioris ritus impediuntur, nulla facta inter caſus, in quibus eſt translatio permiſſa, & qui ibi enumerantur, impedimenti ex cauſa obliuionis, aut erroris mentione. Confirmatur, quia ſi impedimenta ex obliuione ſufficerent pro transferendo huiuſmodi officio, ſeù altera die recitando, poſſet, vt dictum eſt, & infirmus poſtquam conualuerit omiſſa officia reaſſumere; & diſparitas allata non euacuat difficultatem, cum tota ratio, cur poſſit, qui oblitus eſt transferre, ſeù altera die recitare, ſit, quia ex obliuione fuit impedita propria dies; & quarè non idem dicendum, ſi ex alia cauſa impediatur? Et ſi ob obliuionem non ammittit quis ius recitandi ſemel in anno tale officium, cur ammittet impeditus ob infirmitatem, eo magis cum proprietas impedimenti magis verificetur, & reperiatur in infirmo, qui ab ægritudine verè dicitur impeditus, quam in eo, qui ex obliuione omittit, cum non appareat quomodo obliuio dicatur propriè impedire? Vel, ſi infirmo non currit obligatio transferendi officium, quarè currere debet non recitanti propria die ob obliuionem? En exemplum ex eodem Ioan. de Lugo *num. 9.* in communione Paſchali, quæ ſiuè ob errorem, vel obliuionem, ſiue ob infirmitatem, vel quodlibet aliud impedimentum omiſſa, debet intrà eumdem annum quampri-

mum accipi, quia præceptum Communionis, taliter obligat ad circumſtantiam Paſchatis, vt præterea obliget ad ſubſtantiam Communionis intrà annum; Et ita, ſi præceptum recitandi officium de hoc Sancto, taliter alligatur ad circumſtantiam huius diei, vt etiam maneat obligatio ad ſubſtantiam intrà eumdem annum (ſicut manet quoad translata) manebit vtique obligatio, ſiuè per obliuionem, ſiuè ob morbum, aliudque quoduis impedimentum omiſſa fuerit in propria die recitatio. Ratio ergo aſſertionis eſt, quia ritus Diuini officij recitandi regulandus eſt iuxtà Rubricas, à quarum mente alienum eſt omninò transferre officium, præterquam in caſibus permiſſis, adeoque nec ob alia impedimenta, erroris ſcilicet, vel obliuionis.

189 Nec verum eſt, quod dicitur de iure ad officium aut Sancti, aut recitantis pro ſemel in anno, quaſi hoc illis competat indeterminatè, & pro toto anno: Sed totum huiuſmodi ius reſtringitur ad diem aſſignatam, niſi in caſibus à Rubricis permiſſis; vndè cum extra talem diem nullum prorſus ius illis competat ad tale officium, euaneſcit, quod dicitur de quoquam ſuo iure ſinè culpa non priuando; ſicut & quod ignoranti non currat tempus, quia locum non habent axiomata, & vbi nullum eſt huiuſmodi ius, & in ijs, quæ certè diei alligata ſunt, proùt eſt officium talis Sancti.

190 Si verò contingat ex errore pariter recitari hodiè officium, quod ex Calendarij præſcripto cras recitandum erat; licet probabile dicat Quintanduenas apud Pellizzar. *loc. ſup.* quod non ſit amplius de eo agendum, cum anticipatè ſolutum fuerit Sancto illi Officij ſui debitum, & inſueta ſit de eodem Sancto Officij repetitio; adhæret tamèn ſententiæ dicentium, eſſe iterandum craſtina die Officium, quam vt probabiliorem tenet Leander *ibid. q.* 48. cum minus malum ſit errare ſemel, quam bis in officij recitatione, ob ius, quod Sanctus habet ad officium pro craſtina die; nec admittatur, inſolitam eſſe eiuſdem Officij recitationem, cum pluriès in Octauis, & ex Pontificio priuilegio in Religionibus eadem Officia repetantur; nec poſſit dici facta ſufficiens ſolutio per anticipatam recitationem, cum die hodierna non currat recitanti debitum, nec Sanctus habeat pro hoc die ius ad officium, & talis recitatio habebit potiùs rationem donationis. Vndè pro ſolutione debiti eſt propria die iterum celebrandum; Addit Lugo *ibid. num.* 14. cum ſingulis diebus incipiat obligare præceptum officij illius diei, non poſſe præcepto pro craſtina die ſatisfieri recitando illud die antecedente.

191 Et quæ dicta ſunt de mutatione in publica recitatione, habere locum, & in priuata eſt hic aduertendum; & ita quod non ſolum in alteram diem officium vnius diei ex obliuione, vel errore omiſſum mutari non poſſit; ſed quod nec vnius diei officio omiſſo aliud ad placitum liceat recitare,

quia

quia ea prorſus militant pro priuata recitatione, quæ de publica dicta ſunt, cum negari non poſſit, & quoad priuatam, ſiuè ad ſubſtantiam, ſiuè ad circumſtantiam ſpectare dicatur, præceptum eſſe tale determinatum officium, quod ſatis eſt, vt illicitum ſit illud mutare. Quin falſum eſt, hoc tale & determinatum officium non ſpectare ad ſubſtantiam præcepti; licet enim *ſubſtantia præcepti in genere ſit de ſeptem horis canonicis in genere*; *tamen ſubſtantia præcepti in particulari, & in indiuiduo, prout tali tempore, & die applicatur, eſt de ſeptem horis talibus, & quoad talem ſubſtantiam in indiuiduo; ideſt, quod conſtet ex his pſalmis, his lectionibus &c. ſicut conſtare ex his carnibus, & oſſibus pertinet ad ſubſtantiam indiuiduam Petri. Sic ergo pertinet ad ſubſtantiam huius præcepti, etiam modus officij de tali tempore, & die*; eruditiſſimè & verè quoad vtramque rationem Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 23. num. 12. & 13.* Pro quo faciunt, quæ dicta ſunt *num. 76.* de obligatione recitandi ritu Romano, quod nempè afficiat quamcumque ſeù pro quolibet die recitationem; eodem enim modo diſcurrendum de determinatione officij, quod nec per vnam vicem poſſit mutari, cum præceptum ſit de tali officio tali die celebrando, vt obſeruat Garzias de *Benef. 3. cap. 2. num. 165.* diſcurritque Baldellus in *Theolog. moral. tom. 3. lib. 3. diſp. 30. num. 4.* licet *num. 5.* contrarium teneat; poſſe ſcilicet, ſic mutari officium, eo quia non ſit hoc mutare Breuiarium Romanum, ſed tantum regulam Breuiarij, quod tamen non placet; nam poſito hoc principio, poſſet quis vtique per vnum vel alterum menſem mutare officium, ex eodem tamen Breuiario Romano, cum ſic ſemper mutaretur ſola Regula, & numquam mutaretur Breuiarium ipſum; non enim maior ratio de vna mutatione, ac de pluribus; quod tamen admitti non poteſt, vt in ſimili argumentatur *loc. ſupr.* Garzias.

192 Et certè conſiderata rei veritate non minùs ad Breuiarij Romani formam pertinet diſtributio officij Diuini per ſeptem horas canonicas, quam per ſeptem hebdomadæ dies, & duodecim anni menſes, vt per benè Caramuel. in *Teolog. Fundament. lib. 2. fundam. 53. num. 2491.* vbi hanc non minùs illa eſſe in ſuo præcepto a Pio V. per ſe intentam, & ad ſubſtantiam præcepti pertinere, per hæc verba: *Circumſtantia illa, ſinè qua finem legis aſſequi non poteſt Legiſlator, præcipitur per ſe, & pertinet ad ſubſtantiam præcepti. His poſitis pronuntio tamquam certum; Pium V. voluiſſe vniformitatem in Eccleſia Romana; atqui iſtam vniformitatem non aſſequeretur, ſi alij legerent de Feria, alij de Sancto. Ergo præcepit per ſe, & tamquam circumſtantiam ſubſtantialem, quod Eccleſia ſit labij vnius, & ſermonum eorumdem; hoc eſt, quod omnes legant de Sancto, quando debet legi de Sancto, & omnes de Feria, quando legi debet de Feria.* Et conſiderans verba Pij V. *Poſt hac in perpetuum horas ipſas diurnas, & nocturnas ex huius Romani Breuiarij præſcripto, & ratione omninò teneri*, dicit, per dictionem *omninò* declarari, intentionem

*Summi*

*Summi Pontificis eſſe, vt tam præſcriptum, quam ratio ſint de eſſentia, & ſubſtantia præcepti*, cum eius dictionis natura ſit importare idem, ac *indiſtinctè*, ac *omni ex parte* per adducta à Barboſ. *in diction. vſufreq. dict.* 240. *num.* 6. & cum pro *ratione* veniat formula ipſa horarum, pro *præſcripto* dicit venire officiorum diſtributionem, & vtrumque præceptum per ſe complecti: *Exiſtimo hanc legem: Præcipimus, vt teneantur omninò legere ſecundum rationem, & præſcriptum Breuiarij Romani æquiualere huic: Præcipimus per ſe, & vt legis obiectiuè ſubſtantiam, vt legant non ſolum obſeruando rationem, & formulam officij Diuini in ſpecie, ſed etiam legendo in indiuiduo illud ipſum officium Diuinum; quod Breuiarium Romanum præſcribit*. Adeòque per voluntariam mutationem, ſi non mutatur in totum, mutatur tamen in parte, & æquè contrà Pontificis mentem, Breuiarium Romanum; & conſequenter nequit tali mutatione Diuini officij obligationi ſatisfieri, vt præter quam plures, quos allegat Diana *loc. cit. reſolut.* 86. Lezana *t.* 1. *p.* 1. *cap.* 11. *nu.* 20. Pellizzar. *loc. ſupr. num.* 74. Cotonus *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 59. Palaus *tract.* 8. *diſp.* 2. *punct.* 2. *num.* 18. Biſſus in *Hierurg. litt. M. nu.* 325. *§.* 2. *& ſequ.* Bordon. *reſol.* 30. *num.* 18. §. *Reſpondeo ad ſecundum*, vbi contrà Dianam ſubſtantiam officij conſiſtere in precibus, & orationibus deſſignatis ſingulis diebus iuxtà Rubricas; & Guyet. *d. cap.* 12. *q.* 7. dum nec laudabile eſſe mutare officium ex deuotione dicit, & pluribus ſapienter comprobat; vbi & ſignanter loquendo de priuata recitatione, cum priuata recitatio, ſit inducta in ſupplementum Chori, ſeù decantationis publicæ ex *Cap. Presbyter. diſt.* 95. & *Cap. Si quis Presbyter. diſt.* 92. ac proindè ſi nequit in Choro mutari, neque poſſe priuatim.

193 Difficultas adhuc ſupereſſe poteſt de hoſpite Religioſo, an in Conuentu, in quo reperitur, ſi contingat fieri de Sancto, cuius officium, vel iam in ſuo Conuentu perſoluerat, vel celebrandum ſit poſtquam redierit, poſſit ſe conformare ritui Conuentus, in quo reperitur, etiamſi indè bis de eodem Sancto ſit officium celebraturus. Et videtur poſſe; ſi namque verum eſt priuilegium Innocentij IV. virtute cuius poteſt, vt dicitur, Religioſus extrà Conuentum cum aliorum Ordinum Religioſis, etiam eorum Breuiario adhibito eorumdem officium recitare; de quo Tamburinus de *Iur. Abb. tom.* 2. *diſp.* 10. *q.* 7. *num.* 5. Bordon. *Reſol.* 64. *num.* 36. *& de quo ſup. num.* 68. *&* 80. à fortiori poterit ſe cum Religioſis ſui Ordinis, apud quos reperitur, in officio conformare. Facit etiam quod quiſquis debet ſe conformare moribus eorum, quibus cum viuit, vt habet Gloſſ. ad *Cap. Quæ contra mores. verb. peregrini. diſtinct.* 8. & *ad Cap. Quiſquis rebus. v. cum quibus viuit diſt.* 41. Hic enim etiam habet locum Axioma: *Cum fueris Romæ Romano viuito more; cum fueris alibi &c.* vt ad rem præſentem applicat Bordonus *reſol.* 30. *num.* 20. ibi: *Quia congruum eſt, vt perſonæ Religioſæ inter ſe conueniant in Diuini officij recitatione, quod procedit maximè in Choro, ad quem*

*acce-*

*accedentes tenentur ſe alijs conformare*, docetque Gobat. Theolog. *Experim. tract. 5. num.* 605. Quod & mihi probatur ſaltem poſt hoſpitalitatis triduum; cum enim tunc teneatur ad Chorum accedere per Conſtit. *p. 1. cap. 15. num. 7.* ibi: *poſt tres dies omnibus actibus communibus interſit*, aliud officium recitare certè non debet. Nec refert bis tunc ab eo idem repetendum officium, quia in tali caſu, & ob laudabilem vniformitatem non videtur improbanda repetitio, quæ alias ex ſe mala non eſt, vt apparet in Octauis.

## SECTIO TERTIA.

### *De alijs officijs Ordinis, vbi de genuflexione in Officio, & eleuatione SS. Sacramenti.*

194 ET hæc ſpectant ad Ordinis officia; & ſunt commemoratio S. P. Auguſtini, S. M. Monicæ, & S. Nicolai de Tolentino ſemel in menſe prima die officio nouem lectionum non impedita; eiuſdem S. P. Auguſtini ſemel in hebdomada; Sanctiſſimi Sacramenti ſingulis Ferijs V. & Conceptionis B. V. diebus Sabbati feſto nouem lectionum pariter non impeditis, ex varijs Clementis VIII. & X. conceſſionibus, prout in Officijs Ordinis recognitis.

195 Et quoad Sancti P. Auguſtini menſtruam commemorationem, omitto, quod Religiones omnes cõmunicantes in priuilegijs poſſint de ſuo Fundatore, canonizato tamen, eam celebrare, ob priuilegium conceſſum Minoribus pro S. Franciſci menſtrua commemoratione, vt probant Peyrinus in *Regul. Minim. cap. 4. §. 13. q. 1. & q. 2. num. 1.* & cum alijs Paſqualigus de *Sacrif. nou. leg. q. 275. num. 3.* quod tamen cum Gauanto *ſect. 2. cap. 4. num. 26.* negant Guyet. *lib. 1. cap. 14. q. 7. per tot.* Biſſus in *Hierurg. litt. O. num. 31. §. 11.* vbi id à Sacr. Rit. Congregat. 16. Octobris 1668. declaratum; & mihi probabiliùs videtur ob Pij Quinti reuocationem priuilegiorum. Hoc inquam omiſſo, eam in Ordine antiquam eſſe ſcio, cum in Capitulo generali de 1468. Senis celebrato decretam teſtetur Tabula Officiorum propr. noſtri Ordinis de 1580. Venetijs impreſſa apud Stephanum Iordanum Zilettum; & eſſe de præcepto declarant Rubricæ Officior. Ordinis nuper recognitor. *Tit. de Commemorationibus hebdomadarijs &c. nu. 5.* Vndè inferri videtur alias ſupradictas commemorationes non eſſe de præcepto ex vulgato axiomate, quod incluſio vnius, ſit excluſio alterius; & quia quoad iſtas in conceſſionibus vtuntur Summi Pontifices verbis, *poſſint*, & *valeant*, quæ præceptum non important, ſed facultatem. Quod ſaltem quoad commemorationes hebdomadarias S. P. Auguſtini. SS. Sacramen-

menti, & Conceptionis verum puto; cum expreſsè in dictis Rubricis *cit. num.* 5. has deuotionis, non verò obligationis eſſe legatur, quod non legitur vbi de commemorationibus menſtruis S. Monicæ, & S. Nicolai: quin & de his fieri poſſit Officium in Aduentu, & Quadrageſima ex eiſdem Rubricis *loc. propr. earumd. commemorat. ad matutin.* ſicut & de menſtrua S. P. Auguſt. commemoratione, quam de præcepto vidimus; quod non militat in commemorationibus hebdomadarijs ſupradictis, quæ illis temporibus (*vt infrà num.* 197.) omittuntur Rubric. commun. *pro Commemorat. menſtr. S. Monicæ, & S. Nicolai num.* 3. Nec magni facienda eſt forma loquendi Summorum Pontificum, *poſſint*, & *valeant*, cum eadem vtantur & in conceſſione aliorum officiorum, præter has menſtruas commemorationes, quæ deuotionis ſolum eſſe nequeunt, & de quibus *num.* 199.

196 Vtcumque ſit; in his commemorationibus hic ordo ſeruandus, quod ſemper Commemoratio S. P. Auguſtini præferatur, ſubſequatur illa, quæ eſt S. Monicæ, poſtrema ſit S. Nicolai. Rubr. *cit. tit. pro Commemorat. menſtr. num.* 2. & ſingulis menſibus celebrandæ, illis exceptis, in quibus aliquod eorumdem reſpectiuè Sanctorum (ſiuè etiam Canonizationis, aut translationis) feſtum peculiare contigerit. Rubric. *ibid. num.* 1. & prima vtique menſis die officio nouem lectionum non impedita. Conſtit. antiq. Ordin. *cap.* 3. & cit. Rubr. *d. num.* 1. Quapropter ſi prima die non impedita de hiſce commemorationibus officium non habeatur, non poterit altera die reaſſumi, cum ſit pro ipſis aſſignata prima. Bordon. *reſol.* 30. *num.* 24. & iam dictum eſt a *num.* 184. *& ſeq.* Impedita autem cenſetur dies, quotieſcumque celebrandum eſt, aut remanet officium nouem lectionum, ſiuè duplex, ſiuè Semiduplex, tum translatum. Rubric. *loc. cit. eod. num.* 1. tum etiam infra octauam, cum hæc omnia ſint nouem lectionum officia. Bordon. *ibid. num.* 25. Et ſi detur caſus, quod in aliquo menſe duo ſint officia celebranda prima die officio nouem lectionum non impedito, vt in menſe Octobri, in quo Feſtum Angeli Cuſtodis, & Commemoratio S. Monicæ pari modo prima die non impedita celebrari debent, tunc, licet de S. Angelo Cuſtode non faciendum, quando ſupereſt Officium etiam ſemiduplex translatum dicat Bordonus *cit. num.* 25. ex eo quod illi aſſignetur prima dies non impedita officio nouem lectionum, quod verificatur etiam de Semiduplici translato, in propoſito tamen caſu cum Commemoratio S. Monicæ non ſit ex translatis, de S. Angelo officium faciendum cenſeo, cum & hic habeant locum, quæ de occurrentia Feſtorum in ordine ad translationem habet Guyet. *lib.* 4. *cap.* 7. *q.* 3. *cap.* 9. *q.* 5. *& cap.* 10. *q.* 3. ſeù maior dignitas Angelorum, & ſignanter quod Feſtum S. Angeli ſit ritus duplicis, in cuius occurrentia transferenda commemoratio, quæ eſt ritus ſemiduplicis. Rubric. Breu. Roman. *de translat. nu.* 5.

197 Quo vero ad Commemorationes hebdomadarias obſeruandum, ſiuè

ſiuè S. P. Auguſtini, ſiuè SS. Sacramenti, & etiam Conceptionis non habere locum in Aduentu, & Quadrageſima ex litt. Apoſt. antè officia propr. Ordinis, & ex Rubric. particular. *loc. propr. huiuſmodi commemorationum*. Et in ipſis celebrandis idem ſeruandum, quod de menſtruis, celebrandas eſſe, ſcilicet, diebus ſtatutis; prima die, ſi de S. P. Auguſtino; feria V. ſi de Sanctiſſimo; vel Sabbato, ſi de Conceptionis commemoratione agatur, officio nouem lectionum eodem modo non impeditis. Vndè ſi plures ſint feriæ in eadem hebdomada, & feria tertia S. P. Auguſtini commemoratio omittatur, de ea fieri non poterit feria quarta propter dicta, *à d. num.* 184. Omitti tamen debet ea hebdomada, in qua nullus dies remanet liber præter feriam quintam, vel Sabbatum, quibus de Sanctiſſimo, vel Conceptione reſpectiuè faciendum, dummodò ſaltem menſtrua S. P. Auguſtini commemoratio celebrata ſit, vel alia die celebrari poſſit. Quando enim pro hac locus alius non ſupereſt, huic omnes aliæ cedere debent. Rubric. de *Commemor. hebdomadar. num.* 5.

198 Dubitatur tamen modò, an huiuſmodi omnes hebdomadariæ commemorationes ſuis reſpectiuè diebus celebrandæ ſint nec ne? Et licet aliqui ex libito omitti, & earum loco prima hebdomadæ die, vel præfatis Feria Quinta, & Sabbato modo dicto non impeditis, officium de feria celebrari poſſe ſentiant, & in ſimilibus tenet Bordonus *reſol.* 30. *num.* 24. eo quod priuilegio ſuo nemo vti cogatur; pro quo etiam facit, quod in Rubricis propr. *d. num.* 5. has omnes deuotionis eſſe dignoſcitur; Ego tamen non facilè admiſerim propter dicta *num.* 179. *&* 180. licet enim non ſub præcepto, ſeù verbis præceptiuis iniunctæ ſint huiuſmodi commemorationes à Summis Pontificibus, ſed tantum eas recitandi conceſſa facultas ob deuotionem Ordinis; eo ipſo tamen, quod Religio acceptauerit, iam omitti non poterunt vt *d. num.* 180.

199 Etſi vrgeatur, ad quid ergò deuotionis eſſe dicuntur? Reſpondeo non dici deuotionis, quatenùs omitti poſſint eorum reſpectiuè diebus officio nouem lectionum non impeditis, cum eſſe deuotionis non idem ſit, ac eſſe ad libitum: ſed dici deuotionis, vel vt dignoſcatur commemorationes hebdomadarias in occurrentia menſtruarum illis cedere debere, vel quatenùs non ſunt officia propria Sanctorum Ordinis, ſed ex deuotione aſſumpta; cum quo tamen ſtat, quod debeant, vt dictum eſt, poſtquam aſſumpta ſunt, & addita Calendario, celebrari. Et confirmo ex hac, & quidem notanda Rubric. *cit. tit. de Commemor. hebdomad. num.* 1. ibi: *Si in aliquo ex diebus, in quibus faciendum eſt officium de huiuſmodi commemorationibus, occurrat aliquod Feſtum, quod ſit translatum, ſiuè duplex, ſiuè ſemiduplex, recitabitur de Feſto translato, relicto commemorationis officio. Si verò occurrat ſemiduplex ad libitum, poterit de illo fieri, ſi ſemel ſaltem in menſe recitatum fuerit de vna, vel altera commemoratione; aliàs officium fiat de commemoratione*

P *curren-*

*currenti, omiſſo officio ad libitum, quod in aliam diem nequit transferri: quod etiam faciendum eſt occurrentibus iiſdem diebus, vt ſuprà, Officijs Sanctorum Diæceſis, & locorum, vbi habitant Fratres noſtri, abſque eo quod poſſint transferri;* Si enim debet in caſibus prædictis pro commemoratione hebdomadaria omitti officium ſemiduplex occurrens ad libitum, vel Sancti Diæceſis &c. arguitur a fortiori, & ſi deuotionis dicantur, omitti non poſſe, quando officio nouem lectionum non impediuntur. Nec tandem vrget quod Summi Pontifices in ijs concedendis non vſi fuerint verbis præceptiuis, ſed facultatiuis, *poterunt, valeant, &c.* quia & huiuſmodi vſi ſunt, & vtuntur in conceſſionibus aliorum officiorum. v. g. SS. Liberati, & Sociorum, Antonini, Maximæ, Alipij, Patritij, Poſſidij, Gelaſij, Proſperi, Veronicæ, & ſimilium, vt videre eſt in litteris Apoſtolic. antè Officia Ordinis nuper recognita, quæ tamen nemo dixerit, poſſe ad libitum omitti. Ad hoc ergo vt cadant ſub præcepto, ſufficit, quod ſint in Calendario, niſi vbi declaratur eſſe ad libitum conceſſa, vel poſſe hoc, vel illo caſu omitti.

200 Hoc inſuper obſeruandum circa hebdomadariam S. P. Auguſtini commemorationem, eius ſcilicet officium idem prorſus eſſe quod menſtruæ; & in hoc ſolum vnam ab alia differre, quod dùm primò fit, dicitur menſtrua; & ſi alia hebdomada replicetur, hebdomadaria. Priuilegium ſanè non exiguum; quandoquidem contingere poteſt, quod pluries in menſe idem repetatur officium. Sed quid, ſi dato, quòd Feria tertia actum ſit de commemoratione S. P. Auguſtini, quæ cum primò fiat in aliquo menſe menſtrua dicitur, feria ſexta eiuſdem hebdomadæ nullum ſit officium trium lectionum celebrandum, poterit ne feria ſexta fieri de eodem S. P. Auguſt. pro commemoratione hebdomadaria? Negatiuè reſoluendum cenſent aliqui; primò quia, cum & ipſa commemoratio, quæ primò fit, & ideò menſtrua dicitur, infrà hebdomadam fiat, duæ erunt in hebdomada vna eiuſdem rationis commemorationes, & officia; quod, cum ſit multum exorbitans, non debet ſupponi conceſſum; ſecundò quia ſi, vt *num.* 196. dictum eſt, eo menſe, quo aliquod Feſtum S. Auguſtini occurrit, de menſtrua eius commemoratione nequit officium fieri, nec faciendum erit de hebdomadaria commemoratione ea hebdomada, in qua celebratum ſit de menſtrua; & tertiò, quia ſi à Rubricis communibus Ordinis *num.* 4. Sanctorum Diocæſanorum octauæ prohibeantur, *ne maioris partis Feriarum anni officia relinquantur*, idem in præſenti ſaltem caſu, vbi ſemel in aliqua hebdomada de S. P. Auguſt. licet ſub menſtruæ commemorationis titulo actum ſit, amplectendum videtur, & obſeruandum. Non eſt tamen, cur rigoroſè loquendo, non poſſit affirmatiuè reſponderi, cum nullum ex Rubricis appareat obſtaculum; nec obſtat, quod duæ eſſent in eadem hebdomada commemorationes, & eiuſdem rationis officia, quia cum

prima

prima commemoratio, quæ menſtrua dicitur fiat ex præcepto; ſecunda verò, quæ hebdomadaria, ex deuotione, ſufficiens ratio diuerſitatis habetur. Sed hoc præciſo, & ſi eiuſdem rationis quid indè? non ne in eadem octaua pluries, & continuatè eadem officia perſoluuntur? Non ergo exorbitans bina eiuſdem officij repetitio: quin in hoc conſiſtit ſingularitas priuilegij. Addo præter priuilegium pro menſtrua commemoratione, aliud eſſe priuilegium pro hebdomadaria; & cum non excipiatur in conceſſione hebdomada illa, in qua actum fuerit de menſtrua, latè interpretandum, quod ſcilicet in omni hebdomada, & in qua celebrata fuit menſtrua, celebrari poſſit & hebdomadaria. Patet hinc reſponſio ad ſecundum; non ſequi ſcilicet illationem, quod ſi prohibetur menſtrua commemoratio vbi actum ſit de aliqua eiuſd. S. P. Auguſtini feſtiuitate, ſit inhibita & hebdomadaria, vbi actum ſit de menſtrua; cum præter menſtruam ſit vlterius conceſſa hebdomadaria, vt patet; & in his attendenda non eſt paritas rationis, ſed forma priuilegij, & conceſſionis. Et clara eſt inſtantia; ſi namque vigore huius priuilegij omni hebdomada ſeù ſecunda, tertia, & quarta cuiuſque menſis poteſt fieri officium de hac hebdomadaria commemoratione (die tamen à feſto nouem lectionum non impedito) non obſtante quod ſemel iam de ea actum ſit in prima hebdomada; quarè fieri non poterit, & in hebdomada, in qua iam actum eſt de menſtrua? Nec à diſpoſitione illa particulari quoad octauas Sanctorum Diæceſis, ne Feriarum Officia omittantur, inferendum idem in præſenti, cum his non obſtantibus qualibet feria quinta, & Sabbatis non impeditis facienda ſint officia, vel de Sanctiſſimo, vel de Conceptione iuxtà Pontificum conceſſiones, & eaſdem Ordinis Rubricas.

201 Et quoad commemorationem Sanctiſſimi Sacramenti obſeruandum, huiuſmodi officium eo proſùs modo, & cum omnibus canticis *Alleluia*, vti præſcribitur in Officijs Ordinis eſſe perſoluendum, non obſtante quod *Alleluia* ſolemnitatem quamdam propriam diei Feſti importare videatur, cum ſit vna cum illis recitari conceſſum. Bordon. *reſol.* 64. *nu.* 31. Quod officium exceptis primo reſponſorio, & vt plurimum lectionibus, quæ peculiares habentur, illud idem eſt Feſti, & Octauæ Corporis Chriſti.

202 Obſeruandum item, dum dicitur hymnus *Pange lingua*, eſſe genuflectendum ex more ad verſum *Tantum ergo Sacramentum*; Circà quem ritum diuerſas video Auctorum opiniones; Gauantus ſiquidem, & ſi ad *Rubric. Breu. Rom. ſect.* 10. *cap.* 1. *num.* 4. genuflectendum cenſeat, *ſi coràm Sanctiſſimo* dicatur, ex Ceremon. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 28. non tamen ſatis explicat, an expoſito, vel an etiam in Tabernaculo; & alias dictio *coràm* poſſit pro vtroque caſu verificari; quamuis eius mentem ſic poſtea in *Epitom. Sacr. Rit. part.* 2. *tit.* 1. *num.* 4. interpretatus fuerit Compendiator Arnaudus:

dus: *Si coràm Sacramento etiam latente in Tabernaculo immobili*. Clarius Caſtaldus in *Prax. Ceremon. lib. 2. ſect. 1. cap. 4. num. 5.* vult genuflexionem durante expoſitione, ibi: *Si Sanctiſſimum Sacramentum ſit expoſitum*; ſicut & Biſſus in *Hierurg. litt. T. num. 9.* ibi; *Omnes genufleſtere debent, ſi ſuper Altare Chori ſit Sanctiſſimum Sacramentum: ſecùs verò, ſi ſit incluſum, vel non adſit*. Michael Bauldry verò in *Manual. Sacr. Cerem. p. 2. cap. 3. num. 2.* ſiuè expoſitum ſit, ſiuè non, dummodò coram Tabernaculo cum Sanctiſſimo, ibi: *Si coram Sanctiſſimo etiam in Tabernaculo incluſo, aliàs non*, & *part. 4. cap. 16.* ibi: *Si Tabernaculum Sanctiſs. Sacramenti ſit ſuper Altare, antè quod dicuntur: alias verò non genufleſtitur*, quem ſequitur Hippolytus Tonellus in *Sacr. Enchirid. lib. 3. cap. 2. §. 2. num. 12.* Nullo autem modo genufleſtendum ſi officium celebretur in Choro, à quo abſit Tabernaculum cum Sanctiſſimo, vt Bauldry, & Biſſus in adductis verbis, ac etiam *loc. cit.* Tonellus. At his non obſtantibus in omni caſu, & indiſtinctè à nobis, quotieſcumque fit de Sanctiſſimo ad prædicta verba fleſtenda genua ex noſtri Ceremonialis præſcripto *lib. 2. cap. 5. §. 1.* ibi: cum dicitur: *Tantum ergo Sacramentum ſemper genufleſtitur*, cum dictio *ſemper* omne tempus includat, & exponatur pro omni caſu per allegat. à Barboſ. in *Diction. iur. vſufreq. dict. 361. num. 2.* nec eſt, cur ab hoc more recedatur, cum magis congruat Sanctiſſimo; ideòque laudetur à Franciſ. Mar. Maggio de *Sacr. Ceremon. opuſc. 2. diſq. 39. num. 233.* Et vtique genufleſtendum, vſque dum omnes ſequentes verſus ad *ſenſuum defeſtui* incluſiuè recitentur Paulus à S. Ioan. *d. cap. 5. Ceremonial. §. 1.* vt & à pluribus Religionibus obſeruatur, & de quibus Maggius *ibid. num. 230.*

203 Et quoniam ſermo eſt de genuflexione in obſequium Sanctiſſimi Sacramenti, abs re non erit videre, quid faciendum ſi, dum in funeribus Defunctorum fit abſolutio ad Tumulum, contingat eleuationem in aliqua Miſſa fieri? Eruditè hanc poſt Quarti ad *Rubric. Miſſal. p. 2. tit. 13. dub. 3.* agitat quæſtionem Maggius *loc. ſupr. diſq. 46.* vbi plures hinc indè, & non ſpernendæ rationes. Videri etiam poſſunt Hyppolytus Tonellus *loc. cit. lib. 2. tit. 3. in not. ad Rubr. 4. tit. 13. not. ad Rubr. 1. tit. 14. num. 12.* & Biſſus in *Hierurg. litt. G. num. 25.* Sed ad omnia inconuenientia, quæ in vtraque ſententia notantur, euadenda, placet, vel quod non celebrentur tunc miſſæ priuatæ, vt monet Paulus à S. Ioan. in *d. noſtr. Ceremon. lib. 3. cap. 14.* & Caſtaldus in *Ceremonial. Theatin. lib. 2. cap. 17. num. 1.* laudantque Maggius *d. diſq. 46. num. 271.* & in ſimili Caramuel in *Theolog. Regular. diſput. 130. num. 1631. fin. & 1632. fin.* vel quod pro eo tempore ad eleuationem campanula non pulſetur, vt inſinuant Gauantus ad *Rubr. Miſſ. p. 2. tit. 13. in fin.* Bauldr. *p. 3. cap. 7. de ritib. ſeruandis in celebr. Miſſ. tit. 13. in not. fin.* & *cap. 14. num. 11.* Tonellus in *fin. not. ad d. Rubr. 4. §. Neutra opinio. & not. ad Rubr. 1. tit. 13. §. nota hic obiter.* & de Sacr. Congreg. Rituum mente vi-

debitur

debitur infrà *num.* 205. tunc enim, ideſt remota pulſatione, Chorus genuflectere ad eleuationem non tenetur, cum ad ea, quæ iuxta Chorum fiunt aduertere non debeat, Tonellus *ibid. tit.* 3. *ad d. Rubric.* 4. §. *ſequenda igitur*. Biſſus *ead. litt. G. num.* 25. §. 3. quod & hic applicari poteſt ob eamdem rationem. Nec ſatis apparet cur omninò pulſanda ſit, vt opinatur *loc. cit.* Quarti ex eo quod talis pulſatio decernatur à Rubric. Miſſ. *p.* 2. *tit.* 8. *num.* 6. cum, vt ad rem aduertit Maggius *ibid. num.* 271. violari non dicatur huiuſmodi regula, ſi ſemel, & in hac circumſtantia non interumpendi actionem abſolutionis, abſque eo quod irrogetur irreuerentia Sanctiſſimo, campanulæ pulſatio omittatur; eo modo quo non pulſatur dum in expoſitione SS. pro oratione quadraginta horarum, Miſſæ celebrantur. Biſſus *litt. C. num.* 44. §. 2. vbi approbat, ſi neque pulſetur, non ſolum dum Miſſa ſolemnis, ſed nec alia priuata celebratur. *litt. S. num.* 20. §. 15.

204 Caſu verò quod neutrum obſeruetur, ab omnibus genuflectendum cenſeo iuxta noſtrum Ceremoniale *loc. cit.* ibi: *Si, dum fit abſolutio, eleuatur in aliquo Altari Sanctiſſimum Sacramentum, omnes debent genuflectere*, & iuxtà Quarti *loc. cit.* Heriſſonium in *Manuduct. Sacerd. appendic.* 2. *cap.* 5. *num.* 10. Nec apud me præualere poteſt ratio Caramuelis *loc. ſupr.* qua ad rem præſentem vtitur Biſſus *d. litt. G. num.* 26. §. 2. quod cultus Latriæ Deo exhibitus in forma communitatis, qualis conſideratur in abſolutione ad Tumulum, non debeat interrumpi per alterum cultum Latriæ priuatum, qualis eſt Miſſa; cum non agatur hic de cultu Latriæ alicuius particularis, ſeù Sacerdotis celebrantis: ſed totius communitatis, ſeù totius Chori genua flectentis; tota ſiquidem Communitas eſt, quæ facit abſolutionem ad Tumulum, & quæ genuflectendo adorat Sacramentum, quod in Miſſa eleuatur; vndè non verificatur, quod ob cultum Latriæ priuatum, omittatur cultus Latriæ communitatis. Et ſi repetatur, dici cultum latriæ priuatum, non reſpectu perſonæ, vel perſonarum genuflectentium, ſed reſpectu actionis particularis, ſeù genuflexionis ad eleuationem Sanctiſſimi, ob quam omittendus non ſit cultus latriæ communitatis, quem Deo præſtat totus Chorus in abſolutione ad Tumulum; nec adhuc hoc mihi probatur, quia non eſt maior ratio, cur ſit actus latriæ per modum communitatis abſolutio illa numerica ad Tumulum: non verò adoratio per genuflexionem eiuſdem totius communitatis ad eleuationem; ſecùs nec dicendus eſſet actus latriæ, per modum communitatis, dum totus Conuentus orationi mentali ſimul vacat in Choro; quod tamen gratis diceretur.

205 At hoc omiſſo non probatur abſolutè Caramuelis aſſertio; primò, quia in proceſſionibus, quæ ſunt actus communitatis eiuſdem rationis cum abſolutione ad Tumulum, ſi antè Altare, in quo eleuetur Sanctiſſimum

mum Sacramentum tranſire contingat, genuflectendum eſt, vt habet Paulus à S. Ioanne *cit. Ceremonial. lib. 5. cap. 14. pag.* 321. ſed relictis domeſticis. *In proceſſionibus, quæ fiunt per Eccleſiam tranſeuntes, antè Altare, in quo ſit Sanctiſſimum Sacramentum, vel eleuata Sacra Hoſtia vſque ad communionem non genuflectentes, animaduerſione dignos indicauit S. Rituum Congregatio; talemque conſuetudinem non genuflectendi abuſum, & coruptelam declarauit.* Sic Caſtaldus in *Prax. Ceremon. lib. 2. ſect. 1. cap. 4. num. 2.* hoc eſt in *Pacen. 14. Decembris* 1602. vt referunt Sellius in *Select. Canon. c. 17. num. 48.* & ex eo Barboſ. in *Collect. Deciſ. Apoſt. coll. 398. num. 1.* & ex Caſtaldo Tonellus in *not. ad d. Rubr. 4. fin.* Pro quo facit & altera eiuſd. S. Congregationis reſponſio ſub 1. Martij 1681. vt videre eſt poſt Officia Canonicorum Lateranen. per Petrum Antonium Brigoncium de 1687. Venetijs impreſſa, *pag. mihi* 41. ibi: *An in proceſſionibus Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quæ fiunt per Eccleſias ſinè Sanctiſſimo, ſi occurrat tranſire antè Altare, vbi occaſione Miſſæ fiat eleuatio Sanctiſſimi Corporis Chriſti, genuflectendum ſit, & an ibi morandum donec depoſitus fuerit calix?* Reſpondit: *non pulſandum campanulam; quod ſi pulſetur, & aduertatur eleuatio v.g. Corporis Chriſti, tunc genuflectendum vtroque genu à tranſeuntibus antè Altare vbi Miſſa celebratur: ſimiliter ſi alij tranſeant in eleuatione Calicis.*

206 Secundò, quia genuflectendum pariter eſt ab omnibus adſtantibus in Choro, licet in actu latriæ per modum communitatis, hoc eſt actu occupatis, dum Sanctiſſimum Sacramentum circumfertur per Eccleſiam, & alia loca, vt *ibid.* idem Caſtaldus, & Bauldr. *p. 2. cap. 3. num.* 10. Tertiò, quia dum celebratur Miſſa, ſi eleuetur Sanctiſſimum Chriſti corpus in alio Altari, Miniſtri inferiores, exceptis paratis, non excuſantur à genuflexione, vt ex Gauant. *loc. ſupr. p. 2. tit. 3. num. 4. litt. P.* obſeruat Turrinus in *Director. Sacrific. p. 2. ſect. 4. cap. 4.* Quartò, quia dum Miſſa ſolemnis celebratur, ſi à latere Altaris fiat communio, ita vt ab aſſiſtentibus Miſſæ ſolemnis aſpiciatur Sacramentum, debent genuflectere, vt ex *Ceremonial. Epiſcop. lib. 2. cap.* 30. notat idem Turrinus. Vndè cum Maggio *loc. ſupr. diſq. 48. num.* 276. benè reſumere potero. Si in Choro, Proceſſione, & dum celebratur Miſſa, & fit communio, eſt, vt vidimus, genuflectendum dum eleuatur Hoſtia, *cur cum omnes vna ſimul per gyrum Tumulo adſtant, Sacram Hoſtiam, & Calicem adorandi gratia, non genuflectatur?* & cum Turrino *loc. cit.* concludere, *Ergò etiam in caſu noſtro.*

Aliam addit rationem Tonellus *cit. lib. 2. tit. 14. num.* 12. quæ & hic applicari poteſt; *Si enim aſſurgimus Prælato, & Principi* (loquitur de conſuetudine aſſurgendi in Miſſa ſolemni, & Veſperis in eorum acceſſu, & aperto capite ſtandi, donec ipſi orauerint) *quare Regem Regum (Chriſtum ſub accidentibus panis, & vini, genuflexi non adoramus? & ſi cultum latriæ publicum fas eſt interrumpere*, ad exhibendum honorem homini, cur non licebit,

& in-

& interrumpere; *immò duplicare ad præſtandum obſequium Deo*, ſeù etiam in exequijs ad Tumulum, dum eleuatur Hoſtia genufle&tere?

207 Et quia dictum eſt, *ab omnibus genufle&tendum*, obſeruandum primò; id habere locum, etiam quoad diſtantes ab Altare, in quo fit eleuatio, cum indecorum nimis eſſet, ſi alij genufle&terent, & alij ſtarent. Maggius *ibid. diſq. 46. num. 270.* Secundò, & celebrantem vna cum Miniſtris hic comprehendi, etiam ſi opporteat ad modicum actionem ad Tumulum interrumpere, vt dum celebrans circuit aſpergendo, vel incenſando, cum talis interruptio ob cultum ipſi Chriſti corpori non ſit inconueniens, vt docet, Quarti *d. dub. 3.* nec puto aſſignari poſse talem neceſſitatem continuandi abſolutionem ad Tumulum, quin nequeat ob hunc reſpectum adorandi Chriſti Corpus interrumpi; Si enim Miſsa, quæ à fortiori continuationem exigere videtur, interrumpitur concione, quarè non in præſenti caſu, maximè cum Chriſti Corporis eleuationi maior abſque dubio debeatur reuerentia, quam ipſi ad Tumulum abſolutioni? Excipitur tamen dum actu Celebrans recitat orationem, tunc enim genufle&tere non debet, ſicut & Miniſter tenens librum, quia Oratio, quæ ex Eccleſiæ more ſtando recitanda eſt, cum peculiarem requirat attentionem, non eſt moraliter capax interruptionis; & conſequenter in hac circumſtantia irreuerentiæ non arguitur, ſi non genufle&tat Celebrans. Quarti *ibid.* Heriſson. *loc. cit. num. 11.* & certè differentia eſt inter incenſationem, & orationem; cum namque illa pluribus, & interpollatis ductibus compleatur, nihil impedit, quin poſſit vna incenſatio modicè interrumpi ab alia; quod non habet locum in Oratione, quæ vnicum habet ſenſum, & ſi interrumpatur, iam non eſt ampliùs oratio. Sicut excipiuntur etiam Cruciferarius, & Ceroferarij, qui genufle&tere non debent, quia in illis non conſideratur conditio perſonarum, ſed res, quam tenent. Quarti *ibid. §. limitatur ſecundò.* Caſtaldus *lib. 2. ſect. 10. cap. 1. num. 14.* Bauldr. *p. 1. cap. 14. art. 1. num. 4.* & ſimulacra marmorea (ſaltem Ceroferarij) repræſentant. Paulus a S. Ioan. *ibid. lib. 1. cap. 12.*

## SECTIO QVARTA.

### *De alijs Officijs peculiaribus Conuentuum.*

208 ALia præter Religionis propria, de quibus hucuſque actum; particularia officia ſupereſse ſupponunt Conſtitutionum verba, ibi: *Annotentur Feſta Sanctorum Ordinis noſtri, & etiam ea, quæ apud Nos, & in Diœceſi illa celebrari debent*; Quæ vtique cenſenda ſunt officia Dedicationis, ac Titularis cuiuſque Eccleſiæ; Reliquiarum,

quæ

quæ ibibi coluntur, & alia fortè de quibus mox aliqua.

209 Quando enim ſolemni ritu ab Epiſcopo conſecrata eſt Eccleſia (quod eſt id, quod in præſenti dedicationis nomine importatur. Barboſ. de *Iur. vniuerſ. Eccleſ. lib. 2. cap. 2. num. 25.* Gauantus ad *Rubr. Breuiar. ſect. 8. cap. 5. num. 2.*) anniuerſariæ dedicationis Feſtum celebrandum non ambigitur, ex vtroque *Cap. Solemnitates diſt. 1. de Conſecrat.* & vtique cum Octaua *d. Cap. Solemnitates il 2.* ſeù communi dedicationis officio ſub primæ Claſſis ritu. Gauant. *ibid. num. 3.* Biſsus in *Hierurg. litt. D. num. 51. §. 5. & 17.*

210 Et quamuis idem fieri poſse, & ſi conſecrata non ſit Eccleſia, ſed tantum benedicta (vt eam Prælatis Regularibus benedicere concedunt priuilegia Iulij II. & Leonis X, apud Caſſarub. in *Compend. Priuil. Mendican. verb. Benedicere Eccleſiaſtica*. Peyrin. *tom. 1. Priuil. Minim. ad Conſtit. 1. eiuſdem Iulij. §. 22.* & ad *Leon. X. Conſtit. 18. §. 3.* Lezanam *tom. 2. verb. Eccleſia num. 7.* Barboſ. de *off. & poteſt. Epiſcop. allegat. 27. nu. 44.*) adſtruat Peyrinus in *Regul. Minim. cap. 4. §. 14. q. vnic. num. 11.* eo quod hoc anniuerſarium non ſit conſecrationis Eccleſiæ, ſed tantum dedicationis, vt ex titulo *Commune Dedicationis Eccleſiæ*, quo propriè ſignificatur locus prophanus cultui Diuino dedicatus; quod æque fit per conſecrationem, ac per benedictionem; quem ſequitur Lezana *tom. 3. in Mar. magn. Carmelit. §. 103. num. 518.* vbi pro ſe adducit Gauantum *ibid. ſect. 8. cap. 5. num. 5.* nonnullaque Concilia dedicationis Feſtum indicantia; nec contrarias dicit Breuiarij, aut Miſſalis Rubricas. Nihilominùs id puto non admittendum, quia dum de dedicationis Feſto agitur, ſermo eſt de anniuerſario conſecrationis die, vt ex *Cap. Præcepta Synod. Cap. Baſilicas. Cap. Certum eſt. Cap. Arianorum. de Conſecr. diſt. 1.* & ex Guliel. Durando in *Rational. Diuin. Offic. lib. 1. cap. 6.* & *lib. 7. cap. 48.* Stephan. Durant. de *Ritib. Eccleſ. lib. 1. cap. 24.* Creſpet. *Summ. Eccleſ. Diſciplin. verb. Dedicatio*. Gauant. ad *Rub. Breuiar. ſect. 8. cap. 5. num. 2.* Guyet. *lib. 1. cap. 3. q. 1. 2. & 7. & lib. 2. cap. 1. q. 1. & 2.* in quibus, & à quibus dedicatio pro conſecratione vel ſupponitur, vel exponitur. Et patet ex Oratione in *Commun. Anniuerſ. Dedicationis Eccleſ. Deus qui nobis per ſingulos annos huius Sancti Templi tui conſecrationis reparas diem &c.* & ex Feſtis Dedicationis Eccleſiæ Saluatoris IX. & Eccleſiæ SS. Petri, & Pauli XVIII. Nouemb. in quibus ex lectionibus ſecundi Nocturni patet apertè earumdem Eccleſiarum conſecrationem annua celebratione memorari. Sic enim *lect. 4.* quoad illam Saluatoris: *Ritus, quos in conſecrandis Eccleſijs, & Altaribus Romana ſeruat Eccleſia*, & *lect. 5. Quam idem Pontifex conſecrauit 5. Idus Nouembris, cuius conſecrationis memoria celebratur hodierno die*. Et quoad alteram Sanct. Apoſtol. *lect. 5.* ſic. *Quam Sanctus Silueſter Papa 14. Kalend. Decembris, eo modo quo Lateranenſem Eccleſiam conſecrauerat, dedicauit, & in ea Altare lapideum Chriſmate delibutum erexit. Eamdem Baſilicam vetuſtate &c. Vrbanus VIII. eadem die*

recur-

*recurrente anni 1626. ſolemni ritu conſecrauit.*

211 Ex quibus clarè dignoſcitur Rubricarum, & Conciliorum, dum de dedicationis officio, aut feſto loquuntur, de anniuerſario conſecrationis feſto ſenſum eſſe. Nec diuerſum colligi poteſt ex Gauanto, qui *d.n.5.* tantum dicit, Feſtum Titularis Eccleſiæ ſub ritu primæ claſſis celebrandum cum Octaua, ſicut & Feſtum dedicationis: ſed non dicit celebrandum anniuerſarium Feſtum dedicationis, ſi non ſit conſecrata Eccleſia, & tantum dedicata, quod eſt valdè diuerſum. Et licet dedicatio haberi poſſit per conſecrationem, vel per benedictionem; dum tamen anniuerſarium dedicationis feſtum permittit Eccleſia, conſecrationis anniuerſariam memoriam intendit, vt vidimus. Et ita, & benè Paſqualig. de *Sacrif. nou. leg. q.271. per tot.* & ex Prax. Roman. Gobat. *Theol. experim. tract. 3. num. 696. appendic. 3. litt. O.* & ante illum Guyet. de *Feſt. propr. loc. lib. 1. cap. 3. q.4.* vbi *q.7.* nec poſſe fieri Feſtum anniuerſarium dedicationis, ſi caſu deſijt conſecratio, eo quod, cum Feſtum anniuerſarium dedicationis ſit anniuerſaria recenſio factæ olim conſecrationis, deſtructo principali, nequeat ſtare acceſſorium. Et ita etiam in Officior. Ordinis nuper recognit. Rubricis *num. 6.* ibi. *Faciant quoque officium Dedicationis propriæ Eccleſiæ, ſi ſit conſecrata*; cum namque permittatur ſub conditione conſecrationis; hac deficiente dedicationis officium intelligitur interdictum.

212 Hinc eſt, quod omnes Eccleſias noſtras conſecrari optarem; & etiam ob maiorem Sacrorum Canonum obſeruantiam, cum id ſuadeatur *Cap. Tabernaculum*; & *Cap. Eccleſias. de conſecrat. diſt. 1.* ita quod extrà Eccleſias conſecratas antiquo ſaltem iure attento Miſſas celebrare non liceat, *d. Cap. Tabernaculum, Cap. Sicut non alij. Cap. Nullus Presbyter. tit. eod.* & communiter DD. quorum plures apud Barboſ. ad *d. cap. Miſſarum num. 1.* maximè cum nullum ex conſecratione incommodum; quamuis enim conſecrari non debeat Eccleſia, niſi aſſignata dote, *Cap. Piæ mentis*; & *Cap. Frigentius 16. q.7. Cap. Placuit. 1. q.2. Cap. Nemo. de Conſecrat. diſ. 1. Cap. Cum ſicut. de Conſecr. Eccleſ. Altar.* Barboſ. ibi *num.2.* & de *Poteſt. Epiſcop. allegat. 27. num.3.* Lambertin. de *Iur. Patron. lib.1. p.1. q.5. art. 18.* Gonzalez in *Cap. Propoſuit. De Filijs Presbyter. num. 5.* ſecus tenetur Conſecrator eam dotare. Gloſſ. in *d. cap. Nemo* & in *cit. Cap. Cum ſicut.* Fagnanus in *Cap. Cum ſecundum. De Præb. & dignit. num. 21.* & *Cap. Quoniam de Iur. Patron. num. 35. & 36.* Barboſ. *ead. allegat. 27. num. 3. fin.* quod Religioſam paupertatem grauare poſſet; ceſſat huiuſmodi incommodum, cum id Mendicantes ligare non videatur, eo modo quo & ſine dote Eccleſias ædificare poſſunt, & ex Silueſtro *verb. Eccleſia 2. num. 3.* Lezana *tom. 2. verb. eod. numer. 8.*

213 Siuè verò conſecrata ſit, ſiuè non, & tantum benedicta, Feſtum Titularis Eccleſiæ eſt inſuper & ſemper celebrandum, & vtique ſub ritu

duplicis primæ Claſſis, & cum Octaua. Rubric. Breuiar. Rom. *tit. de Octauis*. Gauantus *d. ſect.8. cap.5. num.5.* Paulus à S. Ioan. Ceremonial. *lib. 4. cap.20.* Guyetus *ibid. cap.4. q.5.* Biſſus *ibid. litt. F. num.54. §.3.* & *litt. T. num.64. §.1.* & in *cit. Rubr.* Breuiarij Auguſtiniani *num.6.* ibi: *Faciant quoque officium &c. nec non de Titulari eiuſdem ſub ritu duplicis primæ Claſſis, & de vtroque Octauam.*

214 Et hæc dicta ſint de Eccleſiæ dedicatione, & eius Titulari; nam ſi ſermo ſit de Altare aliquo conſecrato, licet ipſa die conſecrationis poſſit Miſſa dedicationis prout in Miſſal. pro dedicationis die, celebrari per Guyet. *d. lib.1. cap.3. q.12.* Biſſ. *litt. D. num.51. §.13.* nullatenus poteſt huiuſmodi conſecrationis anniuerſaria commemoratio celebrari, ſeù nec officium, nec Miſſa dedicationis recitari. Guyet. *d. q.12.* nec eſt in vſu, vt notat Biſſus *ibid. §.14.* Etſi de dedicato, ſeù de alicuius Altaris Sancto Titulari, cum diſtinctione loquendum; Vel Titularis eſt Sanctus, qui ſit in Calendario, ſeù Breuiario diſpoſitus, vel non. Si ſecundum, ſicuti certum eſt, non poſſe officium de eo Sancto fieri, tum quia obſtat S. Rit. Congregat. Decretum, de quo ſupra *num.178.* quo omnibus officia alia addere prohibetur, vt Gauant. *ſect.1. cap.5. tit.2. n.9. & ſect.2. cap.2. nu.24. & 26.* ibi: *Neque quia titulus eſt Capellæ, ſeù Altaris*; & *ſect.3. cap.12. num.15. & 16.* Paſqualigus de *Sacrif. nou. leg. q.265. numer.2.* Lezana *t.1. p.1. cap.12. num.37.* Quarti ad *Rubr. Miſſ. p.1. tit.1. dub.5.* Biſſus *litt. T. num.65. §.2.* tum quia Altaria non eo fine eriguntur, vt in ipſis perſoluantur Diuina Officia; qua de causa nec ibi eſt vſus Chori; Quo fit nec Officium diuerſum à Breuiario, ſeù talis Titularis poſſe Officium celebrari, ſi de tali Sancto celebrandum non ſit, ex Guyet. *d. lib.1. cap.16. q.3.* Itá paſſim admittitur poſſe Miſſam de eo Sancto Titulari in Calendario non deſcripto, more feſtiuo in eius die feſto celebrari, Gauant. *ſect.3. cap.12. num.15.* Quarti *ibid.* Guyet. *cit. q.3. & lib.4. cap.21. q.10.* Biſſus *d. litt. T. num.65. §.2.* ſeù cum *Gloria in Excelſis*, Gauant. & Quarti *loc. cit.* Guyet. *ead. quæſt.10.* Tobias Lohner in *Prax. Miß. part.2. tit.10. num.3.* ſed cum commemoratione officij diei, cum ſit quaſi votiua. Gauant. *d. Rubric. Miß. p.1. tit.9. §. In Miſſa de Sancto.* Biſſus *litt. M. num.232.* Si verò fuerit in Calendario, celebrandum erit officium, & ſub eo ritu, qui in ipſo Calendario ſtatuitur. Lezan. *loc. ſupr.* Nec ob titulum Altaris altior ritus inducendus eſt ex Decret. eiuſd. S. Congreg. Quart. *cit. dub.5.* Gauant. *ſect.1. cap.5. tit.2. nu.8. & ſect.2. cap.2. nu.25.* vbi, nec etiam ſi cauſa iuſta videatur, ſinè Sedis Apoſtolicæ permiſſione; & iterum *ſect.3. cap.12. num.16.* Paſqualigus *cit. qu.265. num.4.* Biſſus *d. litt. T. num.65. §.2.*

215 Nec obſtat, quod in contrarium quoad vtrumque, officium ſcilicet, & ritum ſcribat Bordonus *reſol.30. num.18.* ex non ſubſiſtente tamen fundamento, quoad primum nempè, quod omnium Eccleſiarum, etiam

Regu-

Regularium conſuetudo ſit celebrandi officium Titularis Altaris in Calendario non deſcripti; & quod Rubricæ Breuiarij de *Commemorationibus nu.3.* ſupponant de his Officium duplex, licet ſinè expreſſione maioris, vel minoris. Et quoad ſecundum, quia cum mutare ritum in tali caſu non ſit ex prætextu, ſed ob cauſam, non contrariatur præfato S. Congregationis decreto, quo ritus mutatio prohibetur tantum, ſi aliquo prætextu fiat: non verò ſi ob cauſam, eo modo quo de Sancto Titularis Eccleſiæ ex hac Titularis cauſa ſit officium ſub ritu primæ claſſis, & ſi in Calendario ſit ſimplicis ritus. Quo enim ad conſuetudinem certè non probatur, & contrarium potiùs deducitur attentis S. Congregationis Decreto, & modò dictis cum Gauanto, & Biſſo. Et quoad Rubricas: en ipſarum verba: *De alijs Dominicis à prædictis nulla fit commemoratio Dominicæ occurrente Feſto Duplici, quia feſtum in illis occurrrens transfertur, niſi illud Feſtum fuerit principale Patroni, vel tituli ipſius Eccleſiæ: non autem alicuius Capellæ, vel Altaris eiuſdem;* per quæ certè nequit dici, ſupponi officium duplex pro Altaris titulari, cum verba, *non autem alicuius Capellæ, vel Altaris eiuſdem*, appoſita cenſeantur ad maiorem expreſſionem eius, quod intendebatur, ſcilicet, non eſſe transferendum in eo caſu feſtum Titularis Eccleſiæ, ſiuè pro Titulari Altaris faciendum ſit officium, ſiuè non, proùt non faciendum obſeruat Biſſus *d. §. 2.* ex eo quod in Rubricis generalibus nulla fiat mentio de Titulo Altaris; Ni velimus dicere, & clariùs, quod cum poſſit contingere, quod in aliqua ex *alijs Dominicis à prædictis* occurrat Feſtum alicuius Sancti Titularis Altaris, vel Capellæ, cuius officium iuxtà Calendarium ſit ritus duplicis, addita ſint illa verba, *Non autem alicuius Capellæ, vel Titularis*, ad indicandum ſolum, quod huiuſmodi Sancti Titularis Altaris feſtum ex Calendario duplex debeat transferri; non verò ad inſinuandum de quolibet Titulari Capellæ, vel Altaris poſſe fieri officium duplex. Quo verò ad mutationem ritus ex cauſa, præterquamquod non ſubſiſtit, cum ratio Titularis Altaris non exigat officium, vt dictum eſt cum Guyeto, adeòque neque mutationem ritus; quando hæc Tituli cauſa ad id ſufficiens eſſe poſſet, nec adhuc propria auctoritate, & ſinè S. Congregationis permiſſione ad praxim reducenda, vt pariter cum Gauanto, & alijs *num. præcedent.* dictum eſt.

216 Saltem apud Nos prædicta omnia obſeruanda, cum in Rubric. generalib. Breuiar. reformat. Ordinis *num. 7.* ſic diſponatur. *Titulus Altaris, ſeù Capellæ ſi nominetur in Calendario Romano, celebrandus eſt eo ritu, ſicut ibi deſcribitur; & ſi in illo non nominatur, ad illud Altare celebrari poterunt Miſſæ feſtiuæ tantum cum hymno Angelico Gloria in Excelſis: ſed officium nullatenùs fiat ſinè licentia Maiorum.* Et hæc attenta præciſa ratione Titularis, quia ſi eiuſdem Titularis adſit ibi inſignis reliquia, tunc ratione Reliquiæ faciendum eſſet officium, vt mox dicitur; ſicut etſi adſit conſuetudo faciendi

ciendi officium de Altaris Titulari, vt Guyet. *d. lib.*1. *cap.* 16. *q.*3. & Biſſus *cit. num.*65. §.2. dicunt, dummodo conſuetudo hæc ſit antiqua & antè Bullam Pij Quinti. Guyet. *ibid. cap.* 13. *quæſt.*4.

217 Præter ergò ſupradicta celebranda ſunt quoque officia Reliquiarum in noſtris Eccleſijs exiſtentium ex Concil. Turonen. ſub Nicolao I. *cap.*61. Guyet. *ibid. cap.*9. *q.*1. etiam Sanctorum in Breuiario Romano non nominatorum, ex conceſſione Gregorij XIII. Quaranta in *Summ. Bull. verb. Diuinum officium*. Lezana *t.* 1. *p.* 1. *cap.* 12. *num.* 35. & Rubric. Breuiar. Ord. *loc. ſup. num.*8. Adderem libenter, nec in Martyrologio, ob plura corpora in ſacris Romæ Cæmeterijs, dummodò tamen reliquiæ ipſæ approbatæ ſint, vt ex pluribus S. Rit. Congreg. Decretis apud Gauant. in *Rubric. Miſſ. p.*1. *tit.*11. *litt. H.* & in Rubric. Breuiar. *ſect.*1. *cap.*5. *tit.*2. *num.* 8. Io: Mar. Nouar. *Lucern. Regular. verb. Officium num.* 7. Barboſ. in *Collect. deciſ. Apoſt. collect.* 802. *num.* 4. Ad quem effectum ſufficit moralis certitudo deducta ex probabilibus argumentis. Gobat. in *Theol. experiment. tract.* 3. *num.*683. Quintanaduen. *Theol. moral. tract.* 7. *ſingul.*27. *num.* 10. Quarti in *Rubr. Miſſ. p.*1. *tit.*1. *dub.*4. vel vſus, & continua à priſcis temporibus traditio, vel legitimum inſtrumentum eorum, ad quos ſpectat. Guyet. *lib.* 1. *cap.*9. *q.*2. Rubric. Ord. *loc. ſup. num.*8.

218 Et ſi fuerint inſignes huiuſmodi reliquiæ, vt corpus, caput, brachium, crus, vel pars, in qua paſſus eſt Martyr, iuxta eiuſd. Gregorij XIII. ſub 30. Decemb. 1573. & S. Rit. Congregationis die 28. April. de 1628. declarationes, de quibus Gauant. *cit. p.* 1. *tit.* 11. *litt. H.* Nouarr. *ibid. num.*18. Barboſ. *ead. Collect.* 802. *num.*5. *&* 9. Guyet. *ead. q.*2. *& lib.*2. *cap.*11. *q.*6. Biſſus *litt. C. num.* 560. §.20. celebrandum erit officium; modò tamen pars, in qua paſſus eſt Martyr, ſit integra, & non modica, ex d. S. Congregationis decreto laudati DD. Quapropter, ſi aliquid ex eius integritate deperdatur, ceſſare licentiam pro officio, ſubdit Quarti *loc. cit. dub.* 4. §. *Colligitur*, quòd tamen puto intelligendum de integritate morali, & non phiſica; ita quod, ſi aliquod paruum tantum deficiat, non officiat, Paſqualigus de *Sacrif. nou. leg. q.*261. *num.*4. ſecus res ſcrupulis plena eſſet. Et celebrandum ſub ritu duplici. Barboſ. *cit. num.* 4. Nouarr. *eod. num.* 7. Lezana *d. cap.*12. *num.*35. *&* 37. etiam ſi in Breuiario talis Sancti officium ſit ſemiduplex, vel ſimplex. Lezana *d. num.*35. Rubricæ Ordinis *cit. nu.*8. duplicis tamen minoris, vt ex S. Rit. Congreg. ſub 23. Nouemb. 1602. idem Gauantus *cit. ſect.*1. *cap.*5. *tit.*2. *num.*8. *& ſect.*3. *cap.*2. *nu.* 10. Quarti *eod. num.*4. Guyet. *lib.*2. *cap.*11. *q.*3. *& q.*6. Rubric. Ordin. *ibid.* Biſſus *litt. F. num.*54. §.8. *& litt. O. num.*31. §.8. vbi, ſicut & *litt. C. num.*560. §.22. non licere ſub altiori ritu v.g. duplicis maioris, per Gobat. *d. tract.* 3. *nu.*686. (excepto tamen ſi ex vſu recepto ſolemniore ritu celebrari conſueuerint. Guyet. *cit. q.*3. *&* 6. Biſſus *litt. F. num.* 54. §. 8.) cum Credo tamen in Miſſa. Ga-

uant.

uant. ead. *part*. 1. *tit*. 11. *litt. H.* Quarti pariter *p*. 1. *tit*. 11. *dub*. 3. Arnaud. *Epitom. Sacr. Rit. p*. 1. *tit*. 11. Guyet. *lib*. 3. *cap*. 28. *q*. 3. Tobias Lohner *loc. ſup. p*. 2. *tit*. 17. *num*. 1. Biſſus *cit. litt. C. num*. 560. §. 20. Et hoc ſalua ratione duplicis minoris; cum duplex maius tale non ſit ex Symbolo Apoſtolico in Miſſa, ſed ex integris Veſperis in concurſu cum alijs duplicibus minoribus, vt notant Gauantus *ead. ſect*. 3. *cap*. 2. *num*. 6. & Biſſus *d. litt. F. num*. 54. §. 5. vel ex maiori ſtabilitate, & in ſua die firmitate, vt in occurrentia cum duplicibus minoribus, cum hæc ſint transferenda, non verò illa. Guyet. *lib*. 2. *cap*. 11. *q*. 4. *&* 7. & Rubr. Breuiar. *De occurrentia, & concurrentia officiorum*.

219 Si verò Reliquia inſignis non fuerit, & officium concedatur (à Sacr. ſcilicet Congregat. ſuper hoc conſulenda, vt Biſſus *litt. O. n*. 31. §. 9. Quarti *p*. 1. *tit*. 2. *dub*. 5.) ſub ritu ſemiduplicis celebrandum erit ad differentiam inſignis. Gauant. *d. ſect*. 3. *cap*. 3. *num*. 3. & ex S. Rit. Congregat. decreto 1. Septembris 1612. Barboſ. *loc. ſup. num*. 6. & de *Offic. Paroch. cap*. 10. *num*. 20. Nouarr. *ibid. num*. 8. Lezana *eod. cap*. 12. *num*. 37. Quarti *cit. tit*. 2. *dub*. 5. Guyet. *d. lib*. 2. *cap*. 12. *q*. 1. Biſſus *litt. C. num*. 560. §. 22. *& litt. F. num*. 54. §. 8. adeòque & ſine *Credo* in Miſſa. Gauant. *cit. litt. H.* Guyet. *lib*. 3. *cap*. 28. *q*. 3. Biſſus *cit. num*. 560. §. 20. Et ea die, qua vel eius Martyris contingit dies natalis, ſeù tranſitus, per Guyet. *lib*. 2. *cap*. 1. *q*. 2. *cap*. 2 *q*. 1. *& ſequent*. vel quæ ei pro officio aſſignatur in Calendario, ſi ſit ex deſcriptis in ipſo. Idem *ibid. q*. 2. *fin*. & ſi non ſit ex deſcriptis, & dies natalis ignoretur, ea die, quam Prælatus ſtatuerit. Idem Guyet. *eod. cap*. 2. *q*. 10. ſicut de die anniuerſaria dedicationis Eccleſiæ, quando conſecrationis dies ignoratur, ipſe idem reſoluit *cit. cap*. 1. *q*. 4. Vbi admonendus Prælatus, ne eam aſſignet, quæ in Calendario alteri eiuſdem nominis Martyri aſſignatur, ne decipiatur populus, putans Martyrem, qui ibi colitur, illum eſſe, qui in Calendario. Gauantus *ſect*. 8. & ſemel aſſignata non eſt ampliùs mutanda, eo modo, quo nec licitum eſt alijs officijs dies aſſignatos pro libito mutare.

220 Hæc autem omnia in ea tantum Eccleſia locum habent, in qua fuerint Reliquiæ, ex S. Rit. Congregat. Decreto 23. Iunij 1617. Gauant. *ſect*. 3. *cap*. 3. *num*. 5. Nouarius *cit. num*. 17. *&* 18. Barboſ. *ead. Collect*. 892. *n*. 9. Paſqualig. *loc. cit. num*. 8. Lezana *d. cap*. 12. *num*. 33. Pax Iord. *tom* 2. *lib*. 10. *tit*. 39. *num*. 14. Quarti *cit. tit*. 2. *dub*. 5. Biſſus *litt. C. num*. 560. §. 23. *& litt. O. num*. 31. §. 8. Hyacinth. Donatus in Prax *tom*. 4. *tract*. 18. *q*. 63. *num*. 3. vndè nullatenùs Reliquiæ quantumuis inſignis in vno Monaſterio ad aliam Eccleſiam officium fas eſt extendere Guyet. *lib*. 1. *cap*. 1. *q*. 8. *fin*. *& cap*. 2. *quæſt*. 4.

SEC-

# SECTIO QVINTA.

## *De Feſtis Sanctorum Diæceſis.*

221 CElebranda item ſunt officia Sanctorum Diæceſis, in qua aliquod ſitum fuerit Monaſterium. Ita clarè Conſtitutiones *loc. ſupr.* ſeù dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, & ſub ritu primæ claſſis. Sed difficultas eſt, an celebrandum huiuſmodi officium ex ſola congruentia, vt cum Gauanto *ſect.8.cap.5.num.5.* Biſſus *litt.D. num.51.§.6.* vel ex debito, vt volunt Tamburinus in *Decal.lib.2. cap.5. §.2. num. 5.* Guyet. *lib.1. cap.3.q.11. & lib.2.cap.16.q.4.* Et quidem Rubricæ Breuiarij Ordinis *nu.2.* ad huiuſmodi officium nos non teneri declarant, quamuis celebrare permittant, & laudent, ibi: *laudabile tamen ſi recitent in gratiam populorum.* Sed ad illud nos teneri ſuſtineo, cum per Apoſtolicas noſtras Conſtitutiones ea nobis iniungantur officia, *quæ in Diæceſi illa, in qua ſitum fuerit Monaſterium celebrari debent;* inter quæ abſque dubio non vltimum locum habet officium dedicationis Cathedralis, quod certè ex præcepto celebrandum eſt in Diæceſi, vt ex Sacr. Rit. Congregat. 2. Martij 1619. decreto; Gauant. *d. num.5.* Guyet. *lib.1.cap.3.q.11.* Biſſus *litt.D. num.51.§.6.* & licet in fine Conſtit. Clementis X. incipien. *Ex iniuncto Nobis &c.* quæ præmittitur officijs Ordinis, legatur derogatio per clauſulas generales omnium in contrarium facientium ſtatutorum auctoritate Apoſtolica confirmatorum; per huiuſmodi derogationem tolluntur ad ſummum, quæ impedire poſſunt recitationem officiorum pro Ordine Eremitarum conceſſorum, quod eſt intentum illius Conſtitutionis, ibi, *vt alijs quibuſcumque relictis, nouiſſimè hiſce Ordinis officijs, & Miſſalibus correctis, & auctis omninò vtantur:* non verò tolluntur cætera conceſſa à Sede Apoſtolica huiuſmodi officijs non contraria, licet fortè quoad aliqua alia non conueniant cum Rubricis prædictis; quandoquidem de Rubricis nulla prorſus in dicta conſtitutione mentio habetur, nec earum obſeruantia demandatur. Et ſic quoad hanc partem dico vigere noſtram Apoſtolicam legem de celebrandis Feſtis, & officijs, quæ fiunt in Diæceſi; adeòque & ad officium dedicationis Cathedralis teneri; maximè cum permittatur, vt dixi, à Rubricis Ordinis.

222 Accedit officium Patroni principalis Diæceſis, ad quod Regulares omnes tenentur iuxta Conſtit. Gregorij XIII. *Paſtoralis officij*, die 30. Decembr. 1579. apud Quarant. in *Compend. Bullar. verb. Diuinum officium.* Nouar. *Lucer. Regul. verb. Officium n.21.* Peyrin. *t.1. ad Conſtit.28. Leon.X. num.5.* Bordon. *reſol. 124. num. 15.* Lezan. *t. 1.p.1. cap. 12. num.34.* Guyet. *cit.q.4.* Gobat. *Theol. experim. tract.5.num.627.* Biſſus *litt. R. num. 27.* Quin

& Pa-

& Patroni loci ( Oppidi exem. gr.) in quo ſitum Monaſterium, ex eiuſd. S. Rit. Congreg. decreto, vt teſtantur Gauantus *ſect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 6. & ſect. 3. cap. 12. num. 5.* Biſſus *d. num. 27.* & præſcribunt Rubricæ Ordinis *eodem num. 2.* poſito, quod Patronus loci alius ſit à Patrono Diæceſis, vt benè diſtingunt Guyet. *lib. 1. cap. 7. q. 8.* & *loc. cit.* Biſſus, & Gobat, qui tamen quoad concluſionem contrarium ſentit. Addo & Patronorum minùs principalium, non quidem loci (cum hic differat a Diæceſi) ſed Diæceceſis, de quibus in ea fit officium, propter eamdem noſtram Conſtitutionem, *quæ in Diæceſi illa celebrari debent*, ſicut & Titularis Eccleſiæ Cathedralis, quando alius eſt à Patrono. Guyet. *cit. q. 4.* cum pariter ad Diæceſim ſpectet. Idem ibid. *cap. 19. q. 2.* dummodò tamen, vt dictum eſt, in Diæceſi celebrentur.

223 De Octauis verò loquendo, ad illam dedicationis Eccleſiæ Cathedralis abſolutè Regulares non teneri, ſcribit Gauant. *ſect. 8. cap. 5. num. 5.* quem *tract. 3. num. 696. appendic. 3. litt. O. fin.* laudat Gobat, ſequitur Biſſus *litt. D. num. 51. §. 6.* tenetque Guyet. *ead. q. 4.* vbi Octauas quaſcumque locorum ex S. Rit. Congregat. decreto ad Regulares non ſpectare, vt & pro noſtra Religione declarant Rubricæ Breuiarij Ordinis *ibid. num. 4.* Quod & à Nobis obſeruandum etiam in Ciuitate, vbi ipſa Cathedralis Eccleſia, cum, licet in ea Ciuitate celebranda ſit huiuſmodi octaua, non debeat celebrari in Diæceſi, vt ex S. Rit. Congreg. decreto, Gauant. *d. ſect. 8. cap. 5. num. 5.* Biſſus *cit. §. 6.* & officia à nobis celebranda non ſint, quæ in Ciuitate, ſed quæ in Diæceſi celebrari debent. Vndè infero celebrandam illam Patroni (non obſtante quod nec ad hanc teneri Regulares doceant Bordonus *Reſol. 30. n. 18. & reſol. 124. nu. 15.* Pax Iordan. *tom. 2. lib. 10. tit. 39. num. 19.* & prædicti Gauant. *ſect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 6.* & *ſect. 3. cap. 12. num. 5.* & Biſſus *litt. R. num. 27.* vbi ſignanter etiam ſi agatur de Octaua Patroni Diæceſani) non quidem loci, ſed Diæceſani, ſi in Diæceſi celebretur; eo magis, cum & Rubricæ Ordinis *cit. num. 4.* eam permittant. Quod ſentiendum eſt & de alijs Octauis, ſi quæ ex alio titulo, ſicut & de Officijs, quæ ſine illis in tali Diæceſi celebrentur, cum diſpoſitio, *Et quæ in Diæceſi illa celebrari debent*, ſit indefinita; adeoque omnia complectatur. Secus verò de Officijs Eccleſiæ Parochialis, intrà cuius fines ſitum Monaſterium, quia nomine Diæceſis, de qua in præfatis Conſtitutionibus, venire nequit Parochia; præter communem, & pro omnibus Eccleſijs rationem, quod ſinè Sedis Apoſtolicæ auctoritate fieri nequeat officium, eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis, vt ex S. Congregat. decreto infert Gauantus *ſect. 2. cap. 2. num. 25.* & ad rem præſentem exornat Guyet. *lib. 2. cap. 16. q. 7.*

224 Circa quæ tandem officia hæc obſeruanda. Primò, proprijs illius Diæceſis, ſi habeantur, in recitatione officijs vtendum eſſe, vt ex Rubricis

Bre-

Breuiarij Romani, *De officio duplici num.* 1. verbis *cum officijs proprijs à Sede Apoſtolica approbatis, aut eiuſdem Sedis auctoritate receptis, vel recipiendis*, reſoluit Guyet. *lib.3.cap.*1.*q.*20. & vti concedunt Rubricæ generales noſtri Ordinis *num.*5. Secundò, in occurrentia Octauæ Patroni Diæceſis, cum Octauis Sanctorum Ordinis, has illa omiſſa, præferendas. Rub. Ordin. *ibid.num.*4. Ex quo idem de alijs octauis (ſi quæ) Diæceſis à fortiori dicendum; ſicut & occurrente Dedicatione propriæ Eccleſiæ, cum officio dedicationis Cathedralis, hanc ad proximam diem transferendam, ex *Rot. Roman. Deciſ.* 616. *num.* 1. *p.*1. *recent*: docent Gauant. *ſect.* 8. *cap.* 5. *num.* 6. Carellus in *Doctr. Sacr. Rit. p.*4. *Dialog.*5. Bordonus *reſol.*30. *num.*23. & occurrente Feſto Patroni loci cum Patrono Religionis, hunc illi præferendum, cum ſit Patronus Generalis totius Religionis ad plura, & in pluribus Diæceſibus Monaſteria ſe extendens; & quia illo dignior, cum preciſè loquendo Patronus loci quoad Regulares, vt inſinuatum eſt, ſine Octaua conſideretur, quod de Religionis Patrono dici non poteſt; & etiam quia Regulares magis debent proprio Patrono, quam alteri ſibi, & a'ijs communi. Bordonus *reſol.* 64. *num.* 14. quod dicendum eſt de Sancto quolibet Ordinis, quando occurrit cum altero Sancto Diæceſis eiuſdem ritus. Idem Bordon. *cit reſol.*30. *num.*23. & Rubricæ Ordinis *loc. ſup. num.* 9. E contra verò occurrente Titulari Eccleſiæ propriæ cum Patrono principali Diæceſis, officium de Patrono, translato Titulari faciendum, cum totius Diæceſis ſit iſte Protector: Titularis verò vnius tantum Eccleſiæ. Gauant. *ſect.* 3. *cap.*10. *num.*15. Carellus *ibid.* & Rubricæ Ordinis *num.*6.

OB-

# OBSERUATIO DECIMA.

## Ad Text.

*FRatres Conuerſi, & Commiſſi Roſarium integrum, cum meditatione quindecim Myſteriorum, circa quam vigilanter doceantur, loco Horarum recitabunt: Dominicis autem, & Feſtis diebus, ac prætereà quando in Choro dicitur officium paruum, ipſi Coronam Virginis ſuperaddent.* Conſtit. *d. part.* 1. *cap.* 1. §. 11.

## SECTIO PRIMA.

*De Officio Laicorum, ritu in eo recitando, & ſub quo onere.*

225 OFficij Laicorum nomine preces à Fratribus Laicis dicendas appello breuitatis cauſa, & quia ità nuncupantur à Caſſarub. in *Compend. Priuileg. Minor. verb. Moniales. num.* 30. Portell. in *dub. Regul. verb. Horæ canonicæ.* Corduba in *Expoſit. Regul. cap.* 3. *q.* 1. Peyrin. *tom.* 1. *de Subdit. in Addit. ad Conſtit. Leonis X. cap.* 4. *num.* 58. & *in Regul. Minim. cap.* 4. §. 16. *per tot.* Bordon. *reſol.* 30. *num.* 17. & item in Conſtitutionibus Ordinis Eremitarum antiqu. de 1551. *cap.* 2. *de Officio Fratrum Illiteratorum*; tum de 1620. impreſſis *lib.* 1. *cap.* 5. *de officio Diuino, ſeù precibus, quæ ſingulis quibuſque horis perſolui debent à Fratribus Laicis, & Conuerſis.* Et in integro B. V. Roſario conſiſtere patet; quod quotidiè recitandum ab illis, cum loco Horarum, quæ quotidiè à Choriſtis perſoluuntur, ſubſtituatur, & cum præfatorum Myſteriorum meditatione, tamquam conditione ad perfectam recitationem, & loco attentionis requiſita.

226 Modus autem recitandi non alius admittendus videtur, quam per Choros, & alternatim, vt pluribus ſuadet Nauar. de *Orat. cap.* 10. *num.* 27. & *ſeq.* exornat, & approbat Suarez de *Relig. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 14. &

elicio à Conſtitutionibus primò, ex eo quod loco Horarum recitandum ſit; adeòque & alternatim ad inſtar Horarum. Secundò, quia Conſtitutiones *cap. 2. §. 6.* de Roſario, & oratione mentali Laicorum eodem modo loquuntur, ibi: *Noctis tempore ijdem Fratres (Conuerſi, & Commiſſi antè conſuetam Conuentus, duas horas orationi vacabunt; vnam ſcilicet mentali, alteram vocali*; hoc eſt ſimul vacabunt vocali, eo modo, quo ſimul aſſiſtunt mentali: Modus autem vacandi ſimul orationi vocali proprius ille videtur, qui alterna recitatione completur; nec opus fuiſſet, ſi priuatim recitandum eſſet, addere, *alteram vocali*, cum ſufficienter hoc inſinuatum iam eſſet cap. antecedenti, per iam adducta verba *Roſarium integrum loco Horarum recitabunt*. Et certè, cum per horam ſit Orationi vocali vacandum, intelligendum ſtatutum de oratione vocali in communi, & non priuata, quandoquidem recitationi priuatæ Roſarij non benè accomodatur hora, ſicut accomodatur recitationi in communi, & alternatim. Addo aliam coniecturam ex eo ſumptam, quod quando in Choro officium paruum B. Virginis dicitur, ipſi coronam eiuſdem ſuperaddere debent loco officij parui Choriſtarum; Cum enim extrà Chorum, & priuatim non teneantur Clerici ad dictum officium paruum B. Virg. ſed ſolum in communi, & in Choro, vt infra dicitur, ità nec extrà eorum proprium Oratorium, ſeù Chorum, hoc eſt priuatim huius modi Coronam recitare teneantur Laici. Vndè ſequitur, quod dum vrget obligatio eam recitandi, recitanda ſit in dicto eorum Choro; hoc eſt alternatim, & in communi; & quarè non Roſarium?

227 Sed quomodo teneantur, ſeù an ſub lethali difficultas eſt. Et quidem ſi iuxtà quorumcumque Ordinum ſtatuta ad peccatum, vel non obligantia, id ſit reſoluendum, vt monent Suarez de *Relig. tract. 4. lib. 4. cap. 17. num. 2.* Baſſæus in *Flor. Theol. verb. Horæ canonicæ. 1. num. 9. fin.* Baldellus *Theol. mor. tom. 2. lib. 3. diſp. 22. num. 5.* Biſſus in *Hierurg. litt. C. num. 511.* cum noſtræ Conſtitutiones, quæ non intelligunt ad culpam obligare, niſi vbi quid ſub formali præcepto damandatur, nullo verbo præceptiuo, vbi de hoc Laicorum Officio, vtantur, dicendum eſſet, nequaquam ad id ſub lethali culpa eos teneri, vt hac de cauſa concludunt Sanchez *Conſil. lib. 7. cap. 2. dub. 3. num. 13.* Tamburin. de *Iur. Abb. tom. 2. diſp. 10. q. 15. num. 1.* Leander *tom. 6. tract. 8. diſp. 2. q. 5.* Verum ratio hæc non ſufficere videtur, cum neque verbis ad culpam obligantibus vtantur Conſtitutiones, vbi de Officio Diuino Choriſtarum, ad quod tamen ſub mortali Clericos profeſſos teneri vidimus. Vndè poteſt eſſe, quod aliundè pariter obligentur Conuerſi, abſque eo quod id in Conſtitutionibus ſub lethali præcipiatur, ſicut apparet de Clericis profeſſis, & ad rem notat Peyrin. in *Regul. Minim. cap. 4. §. 16. quæſt. vnic. num. 4.* dum apertè ſui Ordinis Laicos ad preces ipſis in Regula præſcriptas ſub graui culpa teneri declarat, etiamſi eo-

rum

rum Regula ad vllum peccatum nec veniale conſtringat.

228 Licet ergò non ſint Choro deputati, ex quo capite ad Horas canonicas eos non teneri ſentiunt communiter DD. cum tamen ſint & ipſi, æquè ac Clerici, ſuo tamen modo, cultui Diuino dicati, eo modo quo Choriſtæ Diuino officio, ſic Conuerſos precibus ipſis ab eorum legibus aſſignatis obligatos ſentio. Et etiam, tum quia, cum ſint pars Communitatis, & æquè viuant, participentque de eleemoſinis, tenentur pro Benefactoribus orare ſicut alij ſecundum modum illis à lege præſcriptum; quæ obligatio, cum oriatur ex iuſtitia, ad mortale obligat ex Peyrin. *ibid.* tum quia, cum ſint veri Religioſi, tenentur Deum ſpecialiter laudare, cui oneri certè ſatisfacere mihi non videntur, orando ſolum, vt habet Caramuel in *Theolog. Regul. num.* 1342. ſicuti cæteri Chriſtiani; eo magis cum id Monachorum inſtitutioni conforme videatur, quandoquidem omnes priſcos Monachos, & ſi nundum clericatui adſcriptos, vel Diuinas laudes in eorum Eccleſijs, ſeù Oratorijs perſoluere, vel ſaltem precibus particularibus Deum colere conſueuiſſe, non eſt qui dubitet, vt videre eſt apud Caſſianum, Biuarium de *Veter. Monach.* Nebridium à Mundelheim in *Antiquar. Monaſt.* Dadinum Alteſerram de *Origin. rei Monaſt. lib.* 5. *cap.* 2. ibi: *Certè ſinè oratione, & pſalmodia non poteſt intelligi vita aſcetica*; & in Regulis diuerſis apud Holſtenium. Et ita docet noſter B. Auguſtinus Triumphus, de Ancona dictus, de *Poteſt. Eccleſ. q.* 69. *art.* 6. vbi ſic. *Laici verò Religioſi ſimiliter* (*non ad Horas canonicas, vt perperam nonnulli interpretantur*) *aliquid loco Horarum tenentur dicere, tot Pater noſter, vel aliquid tale ſecundum Conſtitutiones ipſorum Religioſorum* (ſeù iuxta Conſtitutionum determinationem) *quæ cum ſint per Eccleſiam confirmatæ, loquendo de Religionibus approbatis, ex præcepto tenentur & ipſi dicere, ſicut alij*; tenetque Peyrinus *tom.* 1. *q.* 1. *cap.* 24. §. 3. & cum Paludan. Tabien. Graff. & alijs in *Regul. Minim. loc. cit.*

229 Quo verò ad meditationem myſteriorum, non id cadere ſub præcepto docet apertè Nauarrus in *Miſcell. de Pſalter; & Roſar. B. V. Miſcell.* 21. & 22. ex eo quod non videatur magis adſtrictus contemplari diuina, qui Roſarium, quam qui horas Canonicas tenetur recitare; & aliàs certum ſit, quod pro debita horarum recitatione ſufficiat intentio, & attentio, de quibus ſuprà *nu.* 28. *ad* 31. Vndè concludit, quod qui ad Roſarium tenetur, neceſſe ſit, & ſufficiat, *quod habeat propoſitum actuale, vel virtuale debitè attendendi ad Pater noſter, & Aue Maria, quæ pronuntiabit; Sicut & benè pronuntiaturus horas canonicas, vel alias preces debet habere propoſitum benè attendendi ad ea, quæ pronuntiat; & quod ſicut benè pronuntiaturo horas canonicas, ſufficit attendere vna trium attentionum alibi declaratarum, puta ad verba, vel ſignificata eorum, vel ad Deum, & Diuina; ita benè pronuntiaturo pſalterium, vel Roſarium ſufficit vna illarum.*

# SECTIO SECVNDA.

## *De officio paruo B. Virginis, eius Auctore, & obligatione.*

230 DEbita hæc, licet impar omni ſecluſo dubio B. V. laus; adeòque & laude dignus, qui nos eam ſic laudare docuit. Vndè quiſnam huius officij auctor fuerit, & ſi definire certò non concedatur, quis ſaltem credi poſſit, non puto prætereundum. Et omiſſo eorum placito, qui Vrbanum II. in Concilio Claramontano de 1095. vel Sanctum Petrum Damiani circà 1056. faciunt auctores; cum ab his tantummodò reſtitutus fuerit, vt de Vrbano II. Cardinalis Bona in *tract. de Diuin. Pſalmod. cap.* 12. §. 2. *num.* 1. & de S. Petro Damian. Ioannes Hieronymus Rubeus in *Hiſt. Raucnat. lib.* 5. *pag. mihi* 305. idem Cardinalis Bona *ibid. & nu.* 2. & quoad vtroſque, ex eo quod talis officij antiquior vſus clarè probetur in Monaſterijs per ea, quæ ex Petro Diacono ſcribunt Gauantus ad *Rubr. Breuiar. ſect.* 9. *cap.* 1. Idem Cardinalis Bona *d. num.* 2. Bernardus Biſſus in *Hierurg. litt. O. num.* 36. & Angelus à Nuce in *Chronic. Monaſt. Caſsinen. num.* 1669. *& num.* 2118. *& ſeq.* Hoc inquam omiſſo placito, officij parui B. V. auctorem fuiſſe S. Benedictum ſcribit ex B. Alano de Rupe idem Angelus de Nuce *cit. num.* 1669. Sanctum verò P. Auguſtinum Hyppolitus Maraccius in *Fundatorib. Marian. verb. Auguſtinus pag. mihi* 4. his verbis: *In Deiparæ laudem Officium cum Antiphonis, & reſponſorijs Auguſtinum compoſuiſſe nonnulli tradunt, cum alijs precibus, quas familia Auguſtiniana ſtatutis diebus ei recitat imitatione ſui Patroni tantæ Virginis ſingulari ſtudio accenſa. In cuius quoque honorem alba veſte vtitur, cum obligatione cuiuſdam penſi horarij, quod ei Choris alternantibus exoluit. Eamdem veluti Matrem, & Patronam Ordinis ſingularem in ſigillis, ac inſignibus à Romanis Pontificibus iam olim accepit, in quorum Area B. V. Maria, dextera parte conſtat totius Ordinis Cuſtos, & Patrona: ſiniſtra verò cernitur S. P. Auguſtinus monaſticis ſimul, & Pontificalibus amictus veſtibus.* In qua diuerſitate, ſicuti primam opinionem improbare non audeo, ſic nec cuiquam improbabilis cenſeri debet ſecunda; cum ſicut neutræ poſſit quid poſitiuè opponi, ſic vtraque æquali nitatur fundamento, nec pro alterutra maior ratio.

231 Quicumque tamen fuerit Auctor, in Choro recitandum huiuſmodi officium ſupponunt Conſtitutiones tùm *loc. ſupr.* tùm §. 5. ibi: *Mandamus etiam, vt quotieſcumque officium paruum B. Virginis dicendum fuerit in Choro &c.* vt ſupr. ante *num.* 118. Sed an ex debito, vel non, non apparet; nec ſatis videtur, quod nullum quoad hoc præceptiuum verbum legatur

propter

propter dicta *num.*227. & aliàs, cum conſtet de antiqua in Ordine Eremitarum huiuſmodi officij conſuetudine, vt ex Conſtitutionibus Ordinis de 1551.*cap.*1. ibi: *Pulſato itaque vltimo ſigno, & ad ſignum Maioris dicto ſub ſilentio Pater noſter, Fratres dicant Matutinum de B. Virgine ſtando. Deindè expletis matutinis B. Virg. verſi ad Altare, & Crucis ſignaculo ſe ſignantes (quod tam in inchoatione horarum Virginis, quam dici volumus obſeruari) incipiant matutinum de tempore &c.* ſub præcepto cadere videtur huiuſmodi recitatio; quandoquidem Pius V. in ſua Conſtit. *Quod à Nobis* pro Romani Breuiarij reformatione edita, dum ab hoc præcepto omnes Breuiario Romano vtentes exemit, huiuſmodi conſuetudinem preciſè reſeruàuit, ibi: *Hoc autem concedimus ſine præiuditio ſanctæ conſuetudinis illarum Eccleſiarum, in quibus officium paruum B. Mariæ ſemper Virginis in Choro dici conſueuerat; ita vt in prædictis Eccleſijs ſeruetur ipſa laudabilis, & Sancta conſuetudo celebrandi more ſolito prædictum officium.* Et ita Gauantus *ſect.9.cap.*1. *num.*5. Quod non ſolum intelligendum de conſuetudine illud recitandi diebus à Rubricis Breuiarij deſignatis: ſed etiam alijs diebus, & ſi officium ſit nouem lectionum, vbi talis fuerit (ſicut in caſu noſtro) conſuetudo; & ex S.Congregat. declaratione ſub 1. *Septemb.* 1607. idem Gauantus *ibid.nu.*6. ita quod, ſi contingeret, quod aliqua Religio, quæ huiuſmodi officium recitare conſueſcat, Romanum Breuiarium recipiat, adhuc, vt priùs, tale officium paruum recitare tenebitur, vt ab Vrbano VIII. de S.Rit.Congreg. conſilio decretum 2. *Ianuar.* 1627. ſcribit idem Gauantus *ibid.* & ex eo Guyet. *lib.*4.*cap.*19.*q.*5. ex quo Biſſus *litt. O. num.* 36. §.4.

232 His tamen non obſtantibus dicendum nullam eſſe quoad huiuſmodi officium in Choro ſub mortali obligationem; tum quia, ſi verum eſt, quod habet Donatus in *Prax. Regul. tom.*4. *tract.* 18.*q.*45.*num.* 3. Pij V. mens in præſeruanda dicta conſuetudine eas tantum reſpexit Eccleſias, quæ diuerſo à Romano Breuiario vtuntur, non verò vtentes Romano; nam quoad iſtas officij huiuſmodi obligationem etiam per antiquas conſuetudines introductam reuocauit; tum quia, & veriùs, ex dicta Ordinis Eremitarum Conſtitutione non probatur conſuetudo recitandi hoc officium paruum, vt in ſimili Baſſæus in *Flor. Theol. verb. Horæ canonicæ* 2. *num.* 5. vbi, teneri ex Regula ſe conformare ritui Romano, non facere quoad hoc officium conſuetudinem; Et non exiſtente conſuetudine dubium non eſt, quod nulla ſit obligatio, cum ablata ſit a Pio V. vbi conſuetudo non adſit. Suarez *tom.*2. *de Relig. lib.*4.*cap.*13. Leander *tom.*6. *tract.* 8. *diſp.*3.*q.*33. Donatus *ibid. q.*45. Stephanus à S. Gregorio de *Diuin. Pietat. vinculis lib.*3.*cap.* 73.*num.*8. & communiter DD. Et quando probaretur, non appareret, an inducta animo obligandi, vel ex deuotione; quo caſu ſtandum pro libertate, & ſupponendum eſſe ex mera deuotione, vt ex Suarez *lib.* 7. *de legib. cap.* 15.*num.* 13. & Diana *tract. de legibus, reſol.* 30. reſoluit Caramuel in

*Theol.*

*Theol. Regul. num.* 1323. quin eſſe conſuetudinem tantummodo reſultantem ex præſcripto Conſtitutionum; adeòque vt acceſſoriam ad ipſas, quæ ad culpam non obligant, nec ìpſam taliter obligare, vt Donatus *Ibidem q.* 46. *num.* 3. Poſito autem quod huiuſmodi conſuetudo ad culpam non obligauerit, nulla maior conſurgit obligatio dicendi officium paruum in Choro per hoc, quod Pius V. conſuetudinem exceperit, cum hinc teneantur Eccleſiæ ad hoc officium in Choro perſoluendum eo tantum modo, quo erat conſuetudo, & ſecundum quod talis conſuetudo obligabat, vt ad rem Suarez *ibid. d. lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 13. Sanchez *Conſil. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 27. *num.* 5. Donatus *cit. quæſt.* 46. *num.* 2. Leander *tom.* 6. *tract.* 8. *diſp.* 3. *q.* 34. Et ſic ſemper verum, quod officij parui B. V. in Choro recitatio ſub peccato non cadat; Et de facto, quod omnem remouet difficultatem, nec in recentioribus Conſtitutionibus Ordinis, nec in officijs nuper recognitis vllum de hoc officio verbum, excepto officio Conceptionis pro Sabbatis.

233 Quod à fortiori dicendum reſpectu priuatæ recitationis, cum Pius V. *ibidem* tollat omnem obligationem illud recitandi extrà Chorum Gauant. *ſect.* 9. *cap.* 1. *num.* 2. Suarez *cit. lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 7. & 8. Sanchez *eod. dub.* 27. *num.* 1. & 4. Baldellus *cit. lib.* 3. *diſp.* 23. *num.* 26. Stephanus à S. Gregorio *d. num.* 8. & cum multis Leander *loc. cit. q.* 22. Lezana *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 12. *num.* 21. etiam ſtante conſuetudine illud dicendi ex deuotione in Chorò, cum deuotio Capituli, & Cleri non poſſit imponere obligationem ſingulis, quoad priuatam recitationem, vt Suarez *d. num.* 8. & Baldellus *ibid.*

## SECTIO TERTIA.

### *De officio Defunctorum, eius Auctore, & onere illud recitandi.*

234 ET de hoc in præſenti agere lubet, cum alibi fortè nulla opportunitas. Cuius pariter officij auctorem inuenio S. P. Auguſtinum, apud Iacobum de Valentia in *eſpoſit. Cantic. Te Deum laudamus.* §. *Septima autem vtilitas*, ibi: *Et ideò condemnata iſta peſtifera hæreſi* (Pelagij ſcilicet) *in Concilio Romano, & Africano, tunc Auguſtinus cæpit ordinare plura officia in ſua Eccleſia Hypponenſi contrà intentum illius ſectæ, inter quæ primò ordinauit officium Defunctorum diuiſum in tres Nocturnos cum ſuis laudibus, quod quidem officium illicò ſuſcepit tota Eccleſia Africana, & exindè venit in Eccleſiam Italicam, & Gallicanam, & Hiſpanicam, & Germanicam, & etiam ordinauit Miſſam pro Defunctis, in quo officio petuntur ſuffragia pro Defunctis contra perfidiam Pelagianorum*, qui deductiuè ex eorum

prauo

prauo principio contrà neceſſitatem gratiæ tollebant viuorum, & mortuorum ſuffragia, vt *ibid.* explicat idem Iacobus. Alij verò Amalarium putant, vt Auctor *ligni Vitæ lib.* 5. & Biſſus in *Hierurg. litt. O. num.* 40. eo quod Amalarius de *Ordine Antiphonarij cap.* 79. ſe ex Romano, & Metenſi Antiphonarijs ea, quæ ſibi recta viſa ſunt de ordine Sepolturæ collegiſſe teſtatur, ibi: *Ex vtriſque collegi ea, quæ recta mihi videbantur, & rationabili curſui conuenire.* Nec prætereundi Guilelmus Durandus de *Eccleſ. offic. lib.* 7. *cap.* 35. *num.* 3. & Io: Belethus, qui in *Rationali Diuinor. Offic. cap.* 160. primò ab Apoſtolis inſtitutum, ſed ab Origène teſte S. Iſidoro *lib. de Eccleſ. offic.* (in quo tamen id inuenire non potui) auctum, & maxima parte ordinatum ſcribunt.

235 Sua cuique ſit opinio, maximè cum facilè conciliari poſſint, tribuendo ſcilicet Apoſtolis primam originem, quatenùs ab ipſis eſt primò, vt habet idem S. Iſidorus *loc. cit. lib.* 1. *cap.* 18. orare pro mortuis inſtitutum, alijs verò pſalmorum, vel qualitatem, vel numerum, ſiuè lectiones, aut ordinem, vel formam, vel etiam additiones, vt de Officio Romano, cuius diuerſi, reſpectu tamen diuerſorum, aſſignantur Auctores. Non tamen improbabilis, quæ huius officij auctorem facit S. P. Auguſtinum, & propter dicta ex Iacobo de Valentia, & etiam quia ipſe, vt ex particulari tractatu, quem *De Cura pro Mortuis gerenda* compoſuit, & ijs, quæ in *Enchirid. cap.* 110. & de *Ciuit. Dei lib.* 21. *cap.* 24. ſcripſit, ad eorum ſuffragia propenſus dignoſcitur. Vndè forſan eſt quod Miſſa quædam in Miſſali Venetijs apud Hæredes Petri Rauani, & Soc. *menſe Auguſti* 1554. ſic inſcribatur. *Miſſa generalis S. Auguſtini pro viuis & Defunctis*, cum his orationibus: *Omnipotens Sempiterne Deus, qui viuorum dominaris, ſimul & mortuorum &c.* Ad ſecreta. *Deus, cui ſoli cognitus &c.* Poſt communio. *Purificent nos quæſumus &c.* Nec video, *quomodo opinio hæc explodatur*, vt in ſuo *Tract. de Diuina Pſalmod. cap.* 13. §. 2. *num.* 2. nulla adducta ratione, vel ſaltem quæ Iacobi de Valentia aſſertioni poſſit adaptari, liberaliter ſcribit eruditiſſimus alias, & ſemper colendus Cardinalis Bona. Hoc vnum obſeruo antequam Africam S. P. Auguſtinus repeteret, officium mortuorum, vel determinatam formam non habuiſſe, vel ſatis ab hodierno diuerſam; quandoquidem, vt idem Auguſtinus *Confeſſ. lib.* 9. *cap.* 12. ſcribit, vt S. Monicæ eius Matri defunctæ iuſta perſolueret, *Pſalterium aperuit Euodius, & cantare cæpit pſalmum, cui reſpondebamus, Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*, ni velimus dicere non officium, ſed preces ex libito tunc perſolutas.

236 Vtcumque ſit, ad huiuſmodi officium ſiuè in Choro, ſiuè extrà nemo ſub præcepto tenetur ex his, qui Ritum Romanum ſequuntur, quia expreſsè Pius V. ab onere huiuſmodi officij Romanum ritum ſequentes exemit in Conſtitut. *Quod à Nobis &c.* Quod intelligendum etiam, vbi

erat conſuetudo, illud recitandi; nam dum idem Pontifex reſeruauit ſolum onus recitandi officium B. V. vbi erat conſuetudo, ex hac exceptione ſequitur remotum onus recitandi officium Defunctorum, etiam vbi erat conſuetudo. Sanchez *Conſil. lib. 7. cap. 2. dub. 27. num. 5.* Baſſæus in *Flor. Theol. verb. Horæ canonic. 2. num. 5.* Leander *tom. 6. tract. 8. diſput. 3. q. 34.* Donatus *p. 4. tract. 18. q. 22. num. 5.* Stephanus à S. Gregorio de *Diuin. Piet. vinc. cap. 73. num. 8.* Quod militat & de Pſalmis gradualibus, & Pænitentialibus in Fer. quartis, & ſextis. per eoſdem, & communem ſenſum DD. Excipienda tamen dies 2. Nouembris, in qua Commemaratio omnium Defunctorum; nam tunc omnes ſiuè in Choro, ſiuè extrà ad officium Defunctorum tenentur, cum huiuſmodi officium ſit pars officij illius diei, vtpotè ſpecialiter per Rubricas particulares (quod tamen ego obſeruare non potui) iniunctum per Suarez de *Relig. t. 2. tract. 4. lib. 4. cap. 25. num. 8. & 9.* Sanchez *cit. dub. 27. num. 1.* Palaum *tom. 2. diſp. 2. punct. 2. num. 13.* Leandr. *ibid. q. 36.* Baldell. *tom. 2. lib. 3. diſp. 33. num. 27.* & quam plures apud Dianam in *Coordinat. tom. 3. tract. 6. reſol. 94. num. 10.* ſic etiam declarante conſuetudine, vt Diana *ibid. num. 11. & ſeq.* Baſſæus *cit. num. 5.* à S. Stephano *eod. num. 8.* ſaltem, cum hæc ſit communis opinio, & probabilior, vt notat Gobat. in *Experim. Theolog. tract. 5. num. 614.* ab ea non recedendum. Pellizar. *t. 1. tract. 5. cap. 8. num. 48.* Diana *d. num. 11.*

237 Verum ab his præſcindendo probat id ſufficienter Diana *ibid.* ex eo quod officium Defunctorum ſit officium proprium ſecundæ diei Nouembris; Cum enim per nomen *Feſtiuitatis* explicetur, de quo agi debeat officium; & nomen, quod in Calendario, & Martyrologio Eccleſia tribuit feſtiuitati illius diei ſecundæ Nouembris ſit hoc: *Commemoratio Defunctorum*, ſatis clarè dignoſcitur, officium magis proprium illius diei eſſe officium Defunctorum; & hac de cauſa magis pro ea die ab Eccleſia intentum. Vndè ipſa diſpenſans cum inclyto Ordine Prædicatorum, vt ea die ad vnum ſolum officium tenerentur, officium Defunctorum, illo Octauæ Sanctorum relicto, deſignauit. Et confirmatur, quia ſi in diem Dominicam inciderit, ſequenti die eſt omninò celebrandum, vtpotè officium proprium illius diei, nullatenus transferendum, & multo minus omittendum. Deducit etiam *num. 12.* ex eo quod cauſa, ob quam exemit Pius V. ab onere officij Defunctorum pluriès in anno recitandi, ſcilicet. *Nos propter varia huius vitæ negotia multorum occupationibus indulgentes &c.* non applicatur officio Defunctorum pro ſecunda Nouembris die, cum ad ſemel illud dicendum non obſtent negotia, & occupationes; & propterea quoad hoc non eſſe ſupponendam exemptionem. Et tertiò *num. 13. & 14.* ex conſuetudine, tùm interpretatiua legis, adeòque ſupponente obligationem, cum conſenſus communis omnium DD. poſt Pij V. Bullam ſit, quod per illam ſublata non fuerit obligatio talis officij; tùm inductiua obligationis, cum

ex

ex coniecturis, (eſt namque grauis, difficilis, & communiter obſeruatur) colligatur obligare, per Suarez *lib.7.de leg.cap.* 15.*num.* 13. CaſtroPal. *t.* 1. *tract.3. diſp.3.punct.2.§.3.num.*13. Ioan. Vuigerſ. in *part.2.D.Thomæ q.97. art.3.num.29.* Vndè & ità cum Diana ſentiendum.

238 Sunt & alia pro Defunctis perſoluenda officia, ſcilicet in tota Eremitana Religione iuxta Rubricas nouorum officiorum bis in anno 14. *Nouembris* pro *Fratribus, & Monialibus Ordinis*; & prima die poſt S. Agathæ Feſtum à nouem lectionum feſto non impedita pro animabus *Patrum, Matrum, Fratrum, Sororum, Familiarium, & Propinquorum Defunctorum Ordinis noſtri*, ſub ritu duplici. Et rurſus apud nos, non ſolum pro quolibet Congregationis Religioſo Defuncto, ex tot Capitulorum Generalium ordinatione, tùm communiter, & ab omnibus Choriſtis in Choro, tùm etiam priuatim à Clericis (loco cuius Laici omnes præter conſuetum, & quod in communi dicunt, aliud Roſarium recitare, ſicut & Sacerdotes Miſſam vnam, præter cantatam, celebrare debent) ſub eodem ritu duplici (quæ omnia in eo Conuentu, vbi quis deceſſerit, ſunt ter repetenda) ſed etiam pro Defunctis Patre, vel Matre cuiuſque Religioſi, in eo tamen Conuentu tantùm, in quo fuerit filius; vt in Ceremonial. Paulus à S. Ioan. *lib.*5. *cap.* 18. Sed non ſub alia obligatione hæc cadere obſeruant Lezana *tom.*1. *part.*1. *cap.*12. *num.*23. Biſſus *litt. O. num.*40. §. 14. Donatus in *Prax. Regul. tom.3. tract.7.q.96.* niſi qualis eſt à Conſtitutionibus, vel Ceremoniali, aut conſuetudine impoſita; ex quorum nullo titulo talis apparet, vt ad culpam lethalem adſtringere dicatur.

239 In his porrò recitandis obſeruandum primò, quod licet in officijs ex obligatione, ſeù de quibus in Breuiarij Rubricis, Veſperæ poſt Veſperas officij diei, & ſtatim poſt *Benedicamus Domino*, & Matutinum poſt *Benedicamus Domino* ad Laudes debeant recitari, iuxtà eaſdem Rubricas in die *prima Nouembris poſt Veſper.* & 2. *Nouembr. poſt laudes offic. omn. Sanct.* & antè *Offic. Defunctor. poſt Offic. B.V.* quod tradunt & Gauantus ad *Rubr. Breuiar. ſect.9. cap.2. num.*15. *&* 16. & Biſſus *eod. num.*40. §.7. nihilominus, cum hoc ſit intelligendum, niſi alia ſit Eccleſiaſtica conſuetudo, vt idem Biſſus *d.*§.7. explicat, & Rubrica particularis ad officium Defunctorum, & de qua infrà *num.*272. Matutinum (nam ſemper Veſperæ poſt Veſperas) apud nos recitari debere, vel manè antè Primam, vel ſerò poſt Completorium; cum talis ſit mos Congregationis.

240 Secundò; & ſi ad preces genuflectendum eſſe iuxtà hanc particularem poſt *Magnificat ad Veſp. Defunctor.* Rubricam: *Preces infraſcriptæ dicuntur flexis genibus ſimiliter ad laudes*, affirment Gauantus *d. cap.2. num.*3. Bauldry. in *Prax. Cerem. p.*2. *cap.*3. *num.*5. Caſtaldus *lib.*2. *ſect.*3. *cap.*4. *nu.*2. Corſetus in *Prax. Sacr. Rit. tit. de Mortuor. offic. nu.* 3. & Biſſus *loc. cit.* §. 8. etiam quando pſalmi omittuntur, per Gauant. *ibid.* iuxta tamen Franciſ-

cum Mariam Maggium de *Sacr. Ceremon. opuſ.2. diſq.45. num.264.* quando officium Defunctorum ſub duplici ritu celebratur, & pſalmi omittuntur, genufle&cendum non eſſe, ſed ſtandum, cum talis genuflexio non præſcribatur in Ceremoniali Epiſcoporum: ſed meliùs, quia in libro Sacerdotali, quem Leo X. an.1520. vniuerſæ Eccleſiæ Romanæ propoſuit, & obſeruandum præcepit, hæc leguntur: *Notandum, quod in diebus ferialibus in Veſperis trium, ſiuè nouem lectionum, quando ſine nota dicuntur, & in laudibus eorumdem dicitur Pater noſter cum pſalmo, Lauda anima mea Dominum, & verſiculis, & debitis orationibus, flexis genibus: in alijs verò diebus in officio Defunctorum genua non flectuntur, nec dicitur pſalmus, Lauda anima mea Dominum.* Per quæ explicatur Rubrica ſupraposita de genuflectendo, quod ſcilicet genuflectendum ſit, quando officium Defunctorum eſt ſimplex, & dicuntur integræ preces cum pſalmis. Quod & à nobis obſeruandum, iuxtà Ceremonialis *lib.2.cap.12.* præſcriptum, ibi: *Nullus in Choro genuflectat ad preces, quia officium eſt duplex.*

# OBSERUATIO VNDECIMA.

## Ad Text.

POſt *Matutinum verò Litaniam Virginis Lauretanæ dicent.* Conſtit. *d.part. 1.cap. 2.num. 3.*

## SECTIO PRIMA.

### *De litanijs Beatæ Virginis Mariæ.*

241 ET hoc aliud in Sanctiſſimam, & Deiparam Virginem Mariam Congregationis cultus, & obſequij ſignum. Præter tres pſalmos cum totidem lectionibus certis temporibus recitandos, & de quibus *num.*122. & præter antiphonam, quæ in eius laudem poſt Miſſam Conuentualem quotidiè decantatur, & de qua *num.* 112. & præter aliam antiphonam *Salue Regina*, quæ quotidiè pariter in Oratione ſerotina dicitur, & de qua *num.* 140. eiuſdem litanias ſingulis item diebus in Choro recitari mandant Conſtitutiones, quæ omnibus etiam B. Virginis Feſtiuitatibus, ac Sabbatis poſt completorium, ex inueterato Congregationis more canuntur, vt ex Ceremonial. *lib.5.cap.15.* vndè ijs diebus bis perſoluuntur, ſemel poſt Laudes in Choro, & iterum poſt Completorium in Eccleſia.

242 Lita-

242 Litania porrò, quæ græcum nomen eſt, & latinè ſupplicationem, & deprecationem ſignificat, ſeù interceſſionem per Albin. Flacc. de *Diuin. offic. tit. de Sabb. Sanct. Paſchæ*, & *tit. de Litan. Maior.* Amalarium de *Eccleſ. Offic. lib.1. cap.28.* & à Iuſtino Miechouienſi in *Litan. Lauretan. Titul. num.3.* deſcribitur, *Formula quædam præcandi Deum, mediante interceſſione Sanctorum*, in præſenti eſt: *Ordinata deprecatio ad Deum, mediante Virginis Sanctiſſimæ ſub varijs nominibus eiuſdem laudem exprimentibus interceſſione.* Ità ex Suarez *tom.2. de Relig. tract.4. lib.3. cap.9. nu.29.* Miechouienſis *ibid. diſcurſ. 1. num.14.* Paulus Maria Quarti de *Litan. ſect.1. punct. 1. §. Dico ſecundo.*

243 Eius auctorem facilè non eſt inuenire; ſic enim *ibid.* idem Miechouienſis: *Quiſnam fuerit primus auctor, ſeù primus inuentor illius, compertum non habeo.* Poſterior tamen creditur ad Litaniam Sanctorum iuxtà Suarez *d. lib.3. & cap. 9. num.24.* & Miechouienſ. *cit. num.14.* Cui ſi admittenda ſunt, quæ *diſcurſ.9. num.2.* ſic ſcribit: *Locus, in quo primò decantari audita eſt litania hæc, eſt ſacratiſſimum conclaue illud, in quo Verbum caro factum eſt, quod ratione loci Lauretanum dicitur; à quo etiam litania hæc nomen Lauretanæ accepit*, non videtur 1294. quo Sanctiſs. Virginis domus Lauretum tranſlata eſt, antiquior; ni velimus dicere, antè tranſlationem decantatam ibidem primò litaniam; ex ſubſequentibus poſteà, hoc eſt poſtquam eadem domus Laureti conſtitit, appellatam à loco Lauretanam.

244 Et quidem hoc tempore antiquiorem aliqui eam volunt, ex eo quod Sergius Papa I. de 687. electus in Virginis honorem litanias in eius Annuntiationis, Dormitionis, & Natiuitatis feſtis fieri, & à S. Adriani Eccleſia ad eam S. Mariæ decantari præceperit, vt ex Anaſtaſio Bibliothecario in *Vit. Pontific. in Sergio* Petrus Courcier. in *Negot. Saculor. Maria ad ann. Mundi* 4670. ſicut & in die Purificationis, vt ex Albin. Flacc. *ibid. Tit. in die Purification.* Baronius *ad ann.*701. Courcier. *ibidem*, & ex Amalario *loc. ſupr. lib. 3. cap.43.* Caniſius de *Verb. Dei corruptel. tom.2. lib.5. cap.24.* & notat etiam Angelus à Nuce ad *Vit. S. Benedict. num.273.* Verum non apparet, an propter hoc dici poſſint litaniæ B. Virginis, eo modo quo, & ſi Honorius Papa *fecit*, vt loquitur Baronius ad ann. 638. *conſtitutum in Eccleſia, & decreuit, vt omni hebdomada Sabbati die exeat litania à B. Apollinare ad S. Petrum*; ſicut & Stephanus Papa III. *Omni Sabbatorum die litaniam omni poſtpoſito neglectu fieri ſtatuit. Vnum quidem Sabbatum ad S. Dei Genitricem ad Præſepe; alium verò ad &c.* vt idem Anaſtaſius in hoc Stephan. ad *ann. Chriſti* 752. Sabbatorum hæc deſignatio non videtur ſatis, vt ideò B. Virginis litanias eas fuiſſe dicatur.

245 Rem magis explicare videtur quod apud Democharem *lib.3. cap. 17. pag. mihi* 58. *col.4.* lego; ſeù quod Conſtantina Tiberij filia & Mauricij de 577. ad Imperium euecti *vxor. in Blachernis* (hoc eſt Templo in ſuburbio dicto, vt ex Iacob. Gretſer. *lib.2. comment. cap.6. in Georg. Codin. cap.5.*

*num.91*. de quo latè Carolus Dufreſne in *Conſtantinopol. Sacr. lib.4.§.2.n.6.*) *in memoriam Dei Genitricis litaniam fieri, & laudes dicere Dominæ noſtræ nominans eam Panegyrim, iuſsit*. Cum namque dicantur litaniæ in memoriam, & laudem Dei Genitricis, non leue indè indicium ad aſſerendum, eas fuiſſe litanias B. Virginis: Sed an illas, quæ modò Lauretanæ appellantur, non ſufficiens.

246 Hæc pro certis habeo. Primò antiquiſſimum in Eccleſia ſub his verbis, *Sancta Maria ora pro nobis* inuocandæ Virginis morem, vt pluribus documentis oſtendit Serrarius *opuſc. de litanijs Sacris*, & ex ipſo Beyerlinck in *Theatr. Vit. human. verb. litania*. Secundò has litanias, & vſu Eccleſiæ, & Summorum Pontificum auctoritate confirmatas, vt notant Suarez *loc. ſupr. num.29.* & Miechouienſis *eod. diſcurſ. 1. num. 14.* & vltimò Clementis VIII. decreto de 1601. apud Cherubin. *tom. 3. Conſt.* 122. dum omnes alias præter, quæ Sanctorum ſunt, & has Lauretanas, omnes prohibuit, vt deducit Miechouienſis *ibid. diſcurſ. 4. num. 1.* Et tertiò *pium, & Religioſum* (cum Suarez ibidem loquor) *cultum eas continere*, cum ſint, vt iam dictum eſt, ex integro deprecatio ad Deum per Virginem ſub varijs eiuſdem, vel proprijs, vel metaphoricis, veris tamèn, & debitis nominibus inuocatam.

247 Item certum eidem Virgini eſſe pergratas; ſic enim ipſa B. Veronicæ de Binaſco noſtri Eremitarum ordinis Moniali aperire dignata eſt, quando quadam die Sabbati, cantantibus de more in Eccleſia litanias ſororibus, dixit illi: *Concentus hic mearum litaniarum, atque antiphona Salue Regina mihi quam acceptiſsimus eſt*; vt in eiuſd. B. Vit. *lib. 3. cap. 7.* per Iſidorum de Iſolanis conſcripta; & conſequenter eas recitantibus valdè proficuas; ſic enim de ipſis Miechouienſis *ibid. diſcurſ. 2. num. 23.* proſequitur, & verè; *Et ne dum contrà Dæmones, verum etiam contrà quaſuis calamitates, tribulationes, anguſtias, moleſtias, & infirmitates litaniæ ad Deiparam directæ quamplurimum valent. Ipſa namque vti Mater Dei, Diuis omnibus, Deo ipſi, & ſitu propior, & dignitate prior, & meritis ſuperior, & conſequenter ad impetrandam Diuinam miſericordiam eſt potentior. Vndè ſi ad inuocationem aliorum Sanctorum quæuis mala pelluntur, multò magis ad inuocationem Deiparæ eadem auferuntur*: vt de eius interceſſionis efficacia ſileam, de qua præter Suarez in *p. 3. quæſt. 37. art. 4. diſp. 23. ſect. 3.* ad Hæreticorum confutationem æquè, & confuſionem innumeri ferè Scriptores.

248 Hinc meritò ſubdere poſſum, in earum recitatione primò ſpecialem mentis attentionem requiri, non ſolum ratione generica orationis vocalis, de cuius ſubſtantia attentionem eſſe, dictum eſt *num.25.* ſed præciſa, quia litaniæ ſunt, vt Quarti *d. tract. de Proceſſ. ſect. 2. punct. 9.* ibi: *Tandem aduertimus, & monemus deberi à Fidelibus prædictas litanias peculiari mentis attentione, & cordis feruore cantari, vel recitari; ſunt enim preces ſacratiſſimæ ſublimis, & exquiſitæ formæ, & grandis efficaciæ apud Deum, & apud*

*San-*

*Sanctos*; quod à fortiori dicendum de his B. Virginis litanijs, cum omnes Sanctos meritis, ſanctitate, & dignitate antecellat. Secundò deuotionem, & animæ puritatem; cum namque ex eo quod Moyſes ad Rubum, vt *Exod.3.* non niſi ſolutis è pedibus calceamentis accedere permiſſus ſit, doceatur quiſque ad Mariæ, quæ per Rubum deſignatur, laudes non niſi à terrenis affectibus ſolutus accedere; vndè D. Bernardus de *Verb. Apocalip. Meritò quidem admiraris Moyſes ſancte, & curioſiùs deſideras intueri: Verumtamen ſolue calceamenta de pedibus tuis, ſi aſcendere Rubum, nempe Marianas laudes concupiſcis*; quomodò terrenis cogitationibus affecta mente, vel non mundo corde, eam, vt propitia ſit exorare, & deprecari quiſquam audebit?

249 Eſt autem in ijs recitandis Eccleſiæ mos retinendus, ſeù eo modo, & verbis, quibus inſtitutæ ſunt, hoc eſt *ora pro nobis*, & non *ora pro eo*, vel *eis*, & ſi pro infirmo, vel pro defunctis perſoluantur, ex Sacr. Rit. Congregationis declaratione, vt in pluribus Ticinenſis Eccleſiæ Calendarijs legitur; nec alius, & ſi in B. Virginis laudem, præter ibi expreſſos ſinè eiuſd. Sacr. Congregationis approbatione addendus titulus, vbi tamen agatur de publica recitatione, vt de alijs litanijs infrà à *nu.268. & ſeq.*

## SECTIO SECVNDA.

### *De Litanijs Sanctorum. Vbi de Maiorum, & Minorum Auctoribus, & earum ritibus.*

NVlla quidem quoad iſtas in Conſtitutionibus diſpoſitio ſpecialis; Sed cum ſepè in Choro apud nos perſoluantur; & in eis nonnulla conſiderentur, quæ B. Virginis litanijs conuenire poſſunt, & de ipſis propterea breuiter loquendum.

250 Sunt ergò & ipſæ preces, & rogationes, vt præter Albin. Flacc. & Amalarium *loc. ſupr.* laudatos, Rabanus Maurus de *Inſtit. Clericor. lib.2. cap.15.* Valafridus Strabo de *Reb. Eccleſ. cap.28.* & ex S. Iſidor. *lib.6. Ethymolog. cap. vlt.* Antonius Auguſtinus in *Epitom. Iur. Pontific. lib.21. Tit. 29. cap.21.* ſeù, vt dictum eſt, *Formula quædam precandi Deum* (in quo cum litanijs B. V. conueniunt,) *mediante Sanctorum interceſſione.* Sic Suarez, qui *loc. ſupr. de Orat. lib.3. cap.9. num.25.* poſt adductam Concilij Moguntini I. ſub Carolo Magno *cap. 32.* deſcriptionem: *Litania dicitur propter rogandum Deum, & impetrandum in aliquo miſericordiam eius*, addit, *media ſcilicet inuocatione Sanctorum*; & dicuntur *Sanctorum*, quia, vt habet Quarti *cit. append. de litan. punct. 1.* magna ex parte conſtant ſanctorum inuocationibus.

251 Ha-

251 Harum pariter auctor ignoratur. Ritus tamen in Eccleſia antiquiſſimus, vt benè oſtendunt Baronius in *not. ad Martyrolog.* 25. *April.* Suarez *cit. cap.* 9. *num.* 25. & 27. Nicolaus Serrarius de *Litanijs lib.* 1. *cap.* 4. Petrus Creſpetius in *Summ. Eccleſ. Diſcipl. verb. litaniæ*. Garz. Loayſa in *Not. ad Concil. Gerundens. can.* 2. & 3. *verb. de Litania* Emmanuel. Gonzalez ad *Cap. ex parte veſtra. de obſeruat. Ieiun. num.* 12. Fránciſcus Longus à Coriolano in *Breuiar. Chronolog. ad ann.* 590. Iuſtus Miechouienſis *diſcurſ.* 1. *per tot.* Lezana *tom.* 2. *verb. Litaniæ num.* 2. & Iacobus Pignatellus *Conſult. Canonic. tom.* 5. *Conſ.* 84. *à num.* 16. ex eo quod non ſolum in Concilijs, & præ cæteris, Aurelianenſe I. *can.* 29. quod de 507. iuxtà fidem Binij celebratum eſt; ſed & in S. Baſilij *epiſt.* 63. & in alijs litaniarum memoria recolatur. Quin ſub Decio Imperatore Tyranno contra eius perſecutionem in Orientali Eccleſia, hoc eſt de 240. *frequentatum vſum litaniarum, quibus Sacra Virgo, & reliqui Cælites inuocantur*, ex Fereolo Locrio in *Chronic. Anacephalæos Mariæ Auguſtæ*, ſcribit Laudatus Courcier. *loc. ſupr. ad ann. Mund.* 4223. aſſentiturque Baronius *ibid.* Nec prætereundum Litanias olim pro Proceſſionibus intellectas, vt ad *Concil. Laodicen. Can.* 17. *In Proceſſionibus &c.* exornat Seuerinus Binius, docentque Baronius, Loayſa, Longus, *locis cit.* Cardinalis Bona de *Diuin. Pſalmodia cap.* 14. §. 4. Antonius Dadinus Alteſerra in *not. ad Anaſtaſ. Bibliothecar. de Vit. Pontific. in Pelagio*. Carolus Dufreſne in *Gloſſar. ad Script. Med. & infim. latinit. verb. Litaniæ*. Iacob Eueillon. de *Proceſſionib. cap.* 1. & *cap.* 30. Quarti de *Litanijs ſect.* 1. *punct.* 1. Ioan. Mabillon. in *Muſeo Ital. tom.* 2. *part.* 1. *Comment. in Ordin. Roman.* §. 5. hoc enim poſito ſatis probabile eſt, quod cæperint ſub Apoſtolis litaniæ, vt tenet Quarti *ibid. punct.* 4. cum antiquiſſimas in Eccleſia Proceſſiones ex S. Hieronymo *epiſt.* 12. *ad Euſtoch.* & Tertulliano de *Idolatr. cap.* 15. & *lib.* 2. *ad Vxorem cap.* 4. & *de Præſcription. cap.* 43. Pamelius pluries; Ioan. Stephanus Durant. de *Ritibus Sacr. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 1. & 2. Baronius, Loayſa, Binius *loc. cit.* & pluribus oſtendant Gauantus ad *Rubr. Miſſ. part.* 1. *tit.* 19. *litt. C.* Ioan. Baptiſta Caſalius de *Veter. Chriſtianor. Ritib. cap.* 40. & idem Quarti de *Proceſſionib. ſect.* 1. *punct.* 3.

252 Quod, & ſi dictum volo de Litanijs non tantum quatenus ſupplicationes, & rogationes ad Deum ſignificant, quas litanias dici admittunt Valafrid. *cit. cap.* 28. Caſalius *d. cap.* 40. *pag. mihi* 180. *litt. C.* & Caramuel in *Theolog. Regul. num.* 1231. ſed præcisè, quatenùs litaniæ Sanctorum ſunt; de his tamen ita dictum ſit, vt ſic acceptis, & præſcindendo ab earum, quarum modò vſus eſt in Eccleſia, indiuiduatione; cum has antè S. Hieronymum non tot Sanctos, nec etiam poſt ipſum eos omnes, quos modò continent, fuiſſe complexas certum ſit, vt ex Vualafrid. *eod. cap.* 28. obſeruat Gauantus ad *Rubr. Breu. ſect.* 9. *cap.* 4. *num.* 9. & tenet Quarti de *Litanijs ſect.* 1. *punct.* 4. *fin.*

253 Ex

253 Ex quibus euidens eſt, eas eſſentialiter ſumptas non ſuam à S. Gregorio ducere originem, ſed longè in Eccleſia antiquiores, licet ipſe frequenter, & in varijs locis eas indixerit, præſertim in publicis neceſſitatibus, & calamitatibus, vt patet ex *lib.7. Epiſt.76. & lib.9. Epiſt.45.* Ita Suarez *d.cap.9. nu.27.* & fusè probant Miechouienſis *loc. cit.* & Caniſius de *Verb. Dei Coruptel. tom.2. lib.5. cap.30.*

254 Duplici autem gaudent titulo, maiorum ſcilicet, & minorum; licet eædem omninò ſint. Illæ ſunt, quæ in Feſto S. Marci, quas à S. Gregorio inſtitutas communis vox loquitur. Hæ, quæ in triduo antè Aſcenſionem perſoluuntur, & Rogationes ſpecialiter appellantur. *Cap. Rogationes. de Conſecrat. diſt. 3.* Nec admittendum, quod aliquibus probatur; ſeù minores eſſe, quæ die S. Marci: Maiores verò, quæ antè Aſcenſionem triduò decantantur, ſiuè ob temporis magnitudinem, cum ſint triduanæ; ſiuè ob antiquiorem inſtitutionem, vtpotè a S. Mamerto anno 452. inſtitutas; Quia his non obſtantibus Eccleſia Catholica præſertim hoc tempore vbique in Breuiarijs, Martyrologijs, & Rituali Romano eas S. Marci maiores, eas verò Rogationum minores vocat, vt *loc. ſupr. ad Tit. Litania num.6.* notant Miechouienſis, & Quarti de *Proceſſionib. ſect. 2. punct. 9.*

255 Sed hic duo non prætereunda. Primum: Quoad Litanias maiores, eas non videri aliquibus à S. Gregorio, nec ſub hac ratione inſtitutas, cum de Litanijs maioribus tamquam de præexiſtentibus, & iam conſuetis ſit ipſe, vt initio *lib.2. Epiſtolar.* legitur, ità locutus: *Solemnitas annuæ deuotionis nos filij dilectiſſimi admonet, vt litaniam, quæ maior ab omnibus appellatur, ſollicitis, ac deuotis debeamus auxiliante Domino mentibus celebrare.* Vndè quoad huiuſmodi litanias S. Gregorio adſcribendum cenſent, non quod eas inſtituerit, ſed quod ad S. Petrum fieri demandarit, vt Baronius in *Not. ad Martyrol. 25. April.* Rutilius Benzonius de *Ann. Iubil. lib. 4. cap.15.* Franciſcus à Coriolano, Loayſa *locis vbi ſupr.* & ex Baronio Gauantus ad *Rub. Miſſ. par.4. tit.11. num.7.* Alteſerra *loc. cit. in Leone III. verb. cum die quadam*, ſic ſcribens: *Letania maior eſt ea letania, quæ eſt inſtituta à S. Gregorio I. à Baſilica ſui tituli Laurentij Martyris ad B. Petrum.*

256 Verum, cum certum ſit S. Gregorium in ſui Pontificatus exordio ad auertendum peſtilentię flagellum, eam ſolemnè Litaniam à ſeptem in ea perſonarum Ordinibus ſeptiformem appellatam de menſe Septembris inſtituiſſe, de qua Paulus Diaconus de *Geſt. Longobardor. lib.3. cap.25.* & Gregorius Turonenſis de *Geſt. Francor. lib. 10 cap. 1.* & Baronius *tom. 8. pag.5. edit. Roman.* certum erit etiam, præfatum Decretum, in quo maioris litaniæ ſit mentio, ad hanc ſolemnem, & ſeptiformem litaniam poſterius eſſe; & conſequenter, talem ſolemnitatem litaniarum, quam vocat annuam, benè *annuam* dici potuiſſe, quatenùs à S. Gregorio ipſo poſt illam ſeptifor-

mem,

mem, vt ſingulis annis celebraretur inſtitutum fuerat, vt clarè Emmanuel Gonzalez *loc. ſupr. num.* 12. Gabriel a S. Vincentio de *Remedijs Ignorantiæ diſp.* 14. *dub.* 7. *num.* 98. Biſſus etiam in *Hierurg. litt. L. num.* 113. §. 1. dum ſic de S. Gregorio: *Qui hanc litaniam in tota Chriſtiana Republica obſeruari præcepit.* Sed antè ipſos Guilelmus Durandus in *Rational. Diuin. Offic. lib.* 6. *cap.* 102. *num.* 2. dicens: *Hanc Litaniam vbique terrarum ſeruari præcepit*, & clariſſimè, ac proprijſſimè Iacobus de Vitriaco *Sermon. in maior. litan.* per hæc verba: *Ex quo ſigno* (ſcilicet gladij ab Angelo in vaginam repoſiti) *intellexit, quod ira Dei placata eſſet, & vltio Diuina ceſſarit; & inſtituit hanc proceſſionem ſingulis annis fieri in Eccleſia Dei.*

257 Et confirmatur, quia hæc annua ſolemnitas litaniæ maioris, ſiuè litaniæ per ſingulos annos repetitio, ideò inſtituta fuit, vt ob liberatam à peſte Vrbem Deo grates redderentur, prout obſeruat Magrius in *Notit. Vocab. Eccleſ. verb. Litania*; & iam clarè docuit, vt vidimus Iacobus de Vitriaco; & ſufficienter indicare videntur eiuſdem S. Gregorij ſubſequentia verba, *Vt tam de antiquis, quam de præſentibus beneficijs pietati eius in quantum poſſumus referre gratias mereamur.* Non ergo *annua* erat antecedenter ad S. Gregorium; & ideò dum de ea litania tamquam de *annua* ibi loquitur, loquitur de *annua* ex ſuo præſcripto, & inſtitutione.

258 Idem dicendum de titulo *maioris*, qui ſcilicet ſuo tempore acceſſerit litanijs poſt editum de annua celebratione decretum; & ſatis indicat forma ipſa loquendi: *litaniam, quæ maior ab omnibus appellatur*, quæ nomen potiùs tunc nouum, quam vſitatum ſignificat, cum ex indicatiuo *appellatur* non ſit locus aliud arguendi, quam tunc appellari, non verò priùs appellatam. Et non ſine fundamento tunc *maiorem* eam dictam opinor, quia ex dictis apparet illam ſucceſſiſſe (& de quo mox) illi ſeptiformi cum magna ſolemnitate, vt dictum eſt, pompa, & populi concurſu primò inſtitutæ; ex quibus circumſtantijs *maioris* denominatio deſumpta eſt per Suarez *d. cap.* 9. *num.* 26. & quia eadem litaniæ repetitio, de qua ibi S. Gregorius, fuit ab ipſo cum maiori ſolemnitate inſtituta, vt in puncto ex verbis *Solemnitas annuæ deuotionis* aſſerit Gonzalez *d. num.* 12. Non ergò ibi loquitur S. Gregorius de litania, aut *annua*, aut *maiore* ante ipſum, ſed quæ talis ex ſuo euaſerit inſtituto. Et ità, & benè ſentit Iacobus Eueillon. *lib. de Proceſsionib. cap.* 20. ſed adhuc clarius Nicolaus Serrarius de *Proceſsionib. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 1. cuius verba deſiderari non patior. Chartula illa quæ initio *lib.* 2. *epiſtolar.* S. Gregorij vocat *litaniæ maioris annuam ſolemnitatem*, non eo anno propoſita eſt, quæ libro illi ſecundo præfigitur, indictione, ſcilicet X. qui erat ſecundus Gregorij Pontificatus annus Domini 592. ſicut nec illa, quæ initio lib. 11. eo item anno, & indictione ſexta, quæ præſcripta eſt, vt acuratè idem Reuerendiſſimus demonſtrat Baronius initio *tom.* 8. ita vt ex ea colligi non poſſit fuiſſe ante S. Gregorium anniuer-

ſariam hanc ſolemnitatem. Si enim Chartula illa poſt aliquot Pontificatus exactos annos ſcripta, & proſcripta eſt, potuit anniuerſariam dicere ſolemnitatem, quæ ab illo cæpta quidem fuiſſet, ſed annos iam aliquot v.c. duos, tres, aut plures celebrata. At fuiſſe Chartulam illam poſt annos Gregoriani Pontificatus minimum duos, aut tres conſcriptam, indicia duo ſunt. Vnum, quod præſcribat, *vt ibidem ſacra Myſteria celebrantes tam de antiquioribus quam de præſentibus beneficijs pietati eius referre gratias mereamur*. Alterum, quod eidem Chartulæ hoc ibi præſcriptum ſit, *Charta, quæ relicta eſt de litania maiore in Baſilica S. Mariæ*. Ideò concludo S. Gregorium videri primum litaniæ maioris auctorem. Hæc Serrarius.

259 Addo non eſſe improbabile, quod talis litaniæ annuæ repetioni aſſignata fuerit dies S. Marci, vt apertiſſimè Magrius *ibid.* & non obſcurè Valafridus Strabo *d. cap.* 28. Caniſius *eod. cap.* 30. Caſalius *loc. cit. pag.* 177. Biſſus *d. num.* 113. §. 1. & Pignatellus *d. conſ.* 54. *num.* 25. quin ab ipſo S. Gregorio, vt aſſentiri videntur Serrarius, & Eueillon. *loc. cit.* ex quo fit, ſatis etiam probabiliter S. Gregorium non iam ſimpliciter litaniarum Sanctorum, ſed litaniarum *maiorum* auctorem dici poſſe.

260 Dixi probabiliter, quia certum non eſt, quod pro ea annuali litaniæ repetitione, quam à S. Gregorio ſtatutam vidimus, fuerit ab ipſo Pontifice S. Marci dies aſſignata. Nihilominùs, & ſi determinata ſubinde ſit ab Eccleſia; cum ſaltem ex nunc laudatis ſcriptoribus, & Ordine Romano de *Litan. maior.* Amalario de *Eccleſ. Offic. lib.* 4. *cap.* 24. & 25. Valafrid. *eod. cap.* 28. Micrologo in *Obſeruat. Eccleſ. cap.* 57. Guilelm. Durand. *Rationale Diuin. Offic. lib.* 6. *cap.* 102. Polydor. Virgil. de *Inuent. rer. lib.* 6. *cap.* 11. Michaele Bucchingero *Hiſt. Eccleſ. p.* 1. *in Gregor. I.* §. *Præterea verò.* Creſpetio *loc. ſupr.* Iacob. Eueillon, *eod. cap.* 20. Carolo Dufreſne *loc. cit.* Stephan. Baluzio. ad *lib. Capitular. tom.* 2. *col.* 726. Biſſo *ibid.* §. 2. idem ſentientibus, litania, quæ tali die modò celebratur, ſucceſſerit loco illius ſolemnis litaniæ ob peſtilentiam à S. Gregorio inſtitutæ, quin, vt ego puto, loco illius litaniæ maioris ex S. Gregorij inſtitutione annuatim celebrandæ, ſatis hoc eſt, vt ipſe litaniæ *maioris* auctor habeatur.

261 Eo magis cum non verificentur, quæ de *Proceſsionib. ſect.* 2. *punct.* 9. ſub hac forma opponit Paulus Maria Quarti. *Cæterum hæc opinio falſo nititur fundamento, vt mox dicemus: Siquidem litaniæ maiores recitabantur in Eccleſia longè antè S. Gregorium*. Et probat poſt aliqua ſic: *Siquidem in pluribus Concilijs, quæ longè præceſſerunt D. Gregorium, fit mentio litaniarum maiorum, & minorum, vt videri poteſt apud Suarez loco citato* (ſeù *d. cap.* 9. *nu.* 6.) *vbi etiam id confirmat auctoritate D. Auguſtini, Baſilij, & aliorum D. Gregorio antiquiorum*. Non inquam verificantur, quia in nulla ex Conciliorum auctoritatibus, quas Suarez adducit, verba hæc *litania maior* leguntur vno

excepto Concilio Moguntino *cap.33.* ibi. *Obſeruanda litania maior ſicut à Patribus eſt inſtituta*: Sed ex qua nihil ad rem, cum huiuſmodi Concilium celebratum fuerit tempore Caroli Magni, ſeù poſt S. Gregorium. Et argumenta Suarez eò tendunt, vt litanias in ratione litaniarum non à S. Gregorio inſtitutas probet, cum adducat S. P. Auguſtinum *Serm.* 173. *de tempore*, qui potiùs loquitur (& ità à DD. intelligitur) de litanijs rogationum, & antè Aſcenſionem, ſeù minoribus. Quod verum eſt, cum litanias antè ipſum S. Gregorium, etiam vt litanias Sanctorum vſitatas dixerimus. Sed à Suarez non probatur litaniarum maiorum non fuiſſe inſtitutorem S. Gregorium; eo modo quo ipſe Quarti, vt mox videbimus, dicit argumenta Baronij probare quidem litanias non à S.Mamerto inſtitutas: ſed non probare, litanias minores non ab eodem inductas. Hoc vnum certum eſt, litaniam *maiorem* legi apud S. Gregorium, quam antè ipſum non lego, licet litanias legam. Vndè deducere non vereor, *maiorem* eius tempore dictam, quatenus loco illius ſolemnis &c. & pro annua celebratione ſubſtitutam, & conſequenter ipſimet S. Gregorio tribuendam litaniæ maioris originem.

262 Non eſt ſecundò prætereundum; quod de S.Mamerto dicitur, non ſatis ſubſiſtere; & non rogationum antè Aſcenſionem inſtitutorem, ſed potiùs reſtitutorem eſſe dicendum, cum iam antè ipſum in vſu eſſent huiuſmodi rogationes, vt ex S. P. Auguſtino *cit. ſerm.* 177. *de tempore*, Suarez *ibid. num.*27. Longus à Cariolano, Loayſa, Gonzalez, *loc. ſupr.* & Benzonius ex Baronio, qui in *not. ad Martyrolog.* 25. *April.* tum ex laudato S. P. Auguſtino, tum ex Sidonij Apollinaris epiſtola ad eumdem S. Mamertum *lib.* 7. *epiſt.* 1. & ad Aprum 14. *lib.* 5. quorum verba refert, & ex eis id clarè concludit.

263 At quia Quarti *d. ſect.* 2. *punct.* 10. prætendit argumenta Baronij probare ſolum litanias non fuiſſe à S. Mamerto inſtitutas: non verò ab ipſo primò pro proceſſione triduana antè Aſcenſionem non indictas; adhuc S. Mamerto antiquiores, & earum primùm inſtitutorem ipſum non fuiſſe dignoſcitur; quandoquidem à S. Lazaro Archiepiſcopo Mediolanenſe ſic inſtitutæ leguntur in Breuiario Eccleſiæ Mediolanenſis: *Inſtituit triduanas litanias, quæ inter huius Eccleſiæ ritus quotannis celebrantur.* Et in Actis Eccleſiæ Mediolan. *part.* 6. *Tabell. Archiepiſcopor. Mediolan. n.* 20. *S. Lazarus litanias triduanas, quæ Mediolani adhuc religioſo cultu obſeruantur, inſtituit.* Quod ſcribunt & Beſutius in *Pontifical. Mediol.* atque Ripamontius *Hiſt. Eccleſ. Mediol. lib.* 6. Sanctum autem hunc Lazarum fuiſſe S. Mamerto antiquiorem non dubito, cum ille (ſi non anno CDXXVI. creatus vt in ſuo *Mediolanenſ. Eccleſ. Martyrolog.* notat ad diem 11. *Februar.* eruditiſſimus & ob hanc eamdem lucubrationem de Eccleſia Mediolanenſi ſignanter benemeritus Petrus Paulus Boſca, vbi de Mamerto loquens dicit circa annum

CDLII.

CDLII. ab eo inſtitutas Viennæ litanias) ſaltem circa ann. 449. obdormierit, & iſte, ideſt Mamertus, de 470. floruerit, & non niſi poſt S. Lazari dormitionem in Epiſcopum Viennenſem ordinatus ſit, vt oſtendit Bollandus ad diem 5. *Februar.* in *Commentar. prævio ad Vit. S. Aniti.* §. 1. *n.* 5. & ad diem 11. in *Commentar. Hiſtor. de S. Lazaro Epiſcop. Mediol. n.* 5. *&* 6. vbi his Ripamontij verbis: *Cæterum haud ſum neſcius diſſentire quoſdam, & initia conſuetudinis huius* (ſeù triduanarum rogationum) *in ipſum Lazarum referre*, aſſentitur ſubdens: *Et meritò, cum antè S. Lazarus è vita deceſſerit, quam S. Mamertus Viennenſium ſit ordinatus Epiſcopus*; vbi à Ripamontio apertè diſſentit, quod famæ iam de S. Mamerto harum rogationum inſtitutore peruulgatæ credens ſcripſerit (prout facit & Beſutius) S. Lazarum talem S. Mamerti morem imitatum, eaſdem ſubſequenter Mediolani induxiſſe. Vbi, & modeſtè corrigit Ripamontium, dum S. Mamertum Viennæ in Germania facit Epiſcopum, cum Viennenſem Eccleſiam, quæ in Gallia eſt, gubernarit.

264 Vtræque porrò litaniæ ſiuè maiores, ſiuè minores cum annexis precibus recitandæ ſunt, aut in ipſis Proceſſionibus, quæ diebus S. Marci, vel rogationum fiunt, aut priuatim ab his, qui Proceſſionibus non interſunt; & vtique ſub mortali; vt benè Suarez de *Orat. lib.* 4. *cap.* 25. *n.* 8. Gauant. ad *Rubr. Breuiar. ſect.* 6. *cap.* 16. *n.* 3. *& ſect.* 9. *cap.* 4. *n.* 15. Baldell. *Theol. moral. tom.* 2. *lib.* 3. *diſp.* 33. *n.* 27. Gobat in *Experim. Theol. tract.* 5. *n.* 614. Murga in *Conſtit. Apoſtol. conſt.* 5. *n.* 39. Leander *t.* 6. *tract.* 8. *diſp.* 3. *q.* 35. Biſsus in *Hierurg. litt. L. n.* 114. & quam tutiorem, & veriorem ſententiam dicit Diana in *coordinat. tom.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 93. *n.* 2. cum ità generaliter præcipiatur in Rubricis Breuiarij locis peculiaribus ad præfatos reſpectiuè S. Marci, & Rogationum dies, ibi: *Qui non interſunt Proceſſioni, priuatim poſt matutinum, & laudes, dicant litanias cum ſuis precibus, & orationibus*, ſicque intelligant Suarez *ibid. n.* 9. & Lezana *QQ. Regul. tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 12. *n.* 23. & ex communi ſenſu Theologorum, & Eccleſiæ vſu cenſeantur pars officij Diuini iuxtà Palaum *tom.* 2. *diſp.* 2. *punct.* 2. *n.* 13. Corſettum in *Prax. ſacr. Rit. tract.* 1. *part.* 2. *cap.* 9. *n.* 6. Lezanam *tom.* 2. *verb. Litania n.* 7. ita quod, vbi agatur de aſſiſtentibus Proceſſioni, non ſatisfaciant, ſi per viam eas non recitant, aut confabulando procedunt, vt notat Biſſus *d. n.* 114. cum tali modo eos inter abſentes numerari dicat Gauantus *cit. cap.* 16. *n.* 4.

265 Sunt autem (loquendo extra Proceſſionem) poſt matutinum, & laudes perſoluendæ ex præcepto Rubricarum, vt vidimus, ſeù poſt *Benedicamus Domino* ex Rubric. *ad Pſal. Pœnitential.* ibi: *dicuntur autem in Quadrageſima in Choro poſt matutinum, & laudes dicto Benedicamus Domino*, & ex eis tradunt Gauantus *ſect.* 9. *cap.* 4. *n.* 13. Biſſus *d. n.* 114. §. 1. & ſtatuitur in noſtro Ceremoniali Eccleſ. *lib.* 2. *cap.* 15. Ex quibus ſequitur, non

eſſe neceſſe, quod in priuata recitatione dicantur eadem die. v. g. S. Marci; ſed poſſunt pridiè poſt abſolutum matutinum, & laudes ſtatim perſolui; cum enim Rubrica coniungat litanias cum laudibus, conceſſo quod matutinum pridiè recitetur, conceſſum & videtur recitare litanias, quæ matutinum ſequuntur. Ita Gauantus *d. cap. 16. n. 5.* & non reprobat Gobat. *loc. cit. n. 615.* probat verò Leander *ibid. diſp. 4. q. 95.* vbi Tamburini argumenta diſſoluit; aſſentiturque Biſſus *ibid.* §. 2. contrà Guyetum. Non ſunt tamen in alteram diem transferendæ (intellige maiores) niſi quando occurrant in Sancto die Paſchæ, quo caſu feria tertia Paſchatis dicendæ ſunt, ſicut & facienda Proceſſio, licet translato poſt Octauam S. Marci feſto, ex Sacr. Rituum declaratione die 25. *Septemb.* 1627. apud Gauant. *eod. cap. 16. n. 1. & ſect. 7. cap. 6. n. 25.* Guyet. *lib. 4. cap. 20. q. 5.* Biſſum *d. n. 113.* §. 7.

266 Et in eis recitandis hæc duo potiſſimè obſeruanda. Primò: Genibus flexis perſoluendas eſſe extrà Proceſſionem, non obſtante tempore Paſchali, cum mærorem ſecum ferant, & in ſignum mæroris colorem violaceum, vt ex Beleth. *cap.* 121. Gauantus *eod. cap. 16. n. 3.* Bauldry. *in Manual.* Ceremonial. *part. 2. cap. 3. n. 5.* & *part. 4. cap. 12. n. 15.* Corſettus *loc. cit. tract. 1. part. 1. cap. 21. n. 14.* & *part. 2. cap. 9. n. 6.* præterquam ad Orationes, quas ſtando dicere debet Hebdomadarius, per eumdem Gauant. *ſect.* 10. *cap. 1. n. 7.* Corſettum *d. n.* 14. Bauldry. *part. 2. cap. 3. n. 5.* & *cap. 17. n. 5.* & *part. 4. cap. 12. n.* 10. & Biſſum *eod. n.* 113. §. 5. Et ita quoad vtrumque in eod. noſtro Ceremonial. *cit. cap.* 15. Non obſtante quod initium, & medium litaniarum recitata ſint genibus flexis; ex quo & orationes genuflexo dicendas vult Bordonus *reſol. 64. n. 3.* per hoc quod iuxtà *l. Oratio. ff. de Sponſ.* finis, & mediorum ſit eadem ratio; nam huic reſiſtit ſpecialis rubricarum Breuiarij diſpoſitio *Tit.* 34. §. 4. ibi; *In Ferijs Aduentus, Quadrageſimæ, & quatuor temporum dicuntur preces feriales etiam ad Veſperas, ſi non ſequatur Feſtum. Ad Completorium dicuntur conſuetæ de Dominica, ſed flexis genibus ab Hebdomadario, vſque ad verſ. Dominus Vobiſcum antè primam orationem.* Ita Diana *tom. 2. tract. 1. reſol.* 195. *num.* 5.

267 Secundò, prout ſtant, ſimpliciter recitandas, vlla Sancti cuiuſpiam facta additione ob prohibitionem, tum generalem Pij V. qui additionem quamcumque inhibuit, iuxta dicta *num.* 124. & ad rem notat Gauantus ad *Rubr. Miſſal. part. 4. tit. 10. n. 30. litt. C.* & ad *Breuiar. ſect. 9. cap. 4. n.* 10. tum ob ſpecialem Clementis VIII. de 1601. in *tom. 3. Bullar. Conſtit.* 122. qua *præcipit, & mandat, vt retentis antiquiſsimis, & communibus litanijs, quæ in Breuiarijs, Miſſalibus, Pontificalibus, & Ritualibus continentur, nec non litanijs de B. V. quæ in Sacra Æde Lauretana decantari ſolent,* alias ſinè Sedis Apoſtolicæ, vel S. Congregationis approbatione *in publicum*

*cum edere, aut publicè recitare præſumant*, ſiuè,vt Chriſtianus Lupus in Concil. *tom.* 2. *Not. ad Can.* 75. *Trullan. pag.* 1018. obſeruat, ſinè prædicta facultate *omnes litanias à quocumque compoſitas vetuit in Eccleſia cantari*; quod idem eſt ac nouitatem publicam in litanijs inhibuit.

268 Ex quibus ſequitur, nec ordinem ab Eccleſia inter Sanctos ſtabilitum alterari poſſe, etiam ſi ſint Titulares, vel Patroni v. g. S. P. Auguſtinum antè S. Stephanum inuocando, vt potè contrà ordinem Eccleſiæ iuxta Bauldry. *d. part.* 4. *cap.* 12. *n.* 13. & Biſſum *cit. n.* 113. *§.* 6. Nec nomina Patronorum, vel Titulariium in illis inſeri poſſe, quando in eis expreſſa non ſint, vt ex Sacr. Rit. Congreg. decreto 22. *Martij* 1631. Corlettus *d. cap.* 9. *n.* 5. Gauantus *eod. cap.* 4. *n.* 10. & ex eo Lezana *d. verb. Litaniæ n.* 5. Quarti de *Proceſsionibus ſect.* 3. *punct.* 3. *circumſtant.* 6. *q.* 4. Bauldry. *eod. cap.* 12. *n.* 13. Biſſus *cit. n.* 113. *§.* 6. *& litt. P. nu.* 253. §. 4. licet Guyetus *ibid. q.* 7. non reprobet contrarium, vbi eſt conſuetudo. Et multo minùs nomina ſeruorum Dei non canonizatorum, ex *Gloſſ. in Cap. vnic. de Reliq. & Vener. Sanctor. in* 6. *§. Sedes Apoſt.* Bellarmin. *de Sanctor. Beatitud. cap.* 10. Biſſus *cit.* §. 4., neque in priuata recitatione iuxtà Sanchez in *ſumm. lib.* 2. *cap.* 43. *n.* 5. quem ſequuntur *ibid.* Gauantus & Magrius in *Not. Vocab. Eccl. verb. Litania fin.* & Guyetus *cit. q.* 7. quod idem dicendum de litanijs B. Virginis Mariæ, ſcilicet nec in eis aut tranſpoſitionem titulorum, aut alios addi, aut ſub alia forma ſine præfata approbatione recitari poſſe, vt ex ead. Clem. VIII. *Conſtit.* de vtriſque litanijs concludit Card. Laurea *Epitom. Canon. verb. Litaniæ*.

269 Quæ tamen intelligenda ſunt de recitatione priuata litaniarum ex obligatione; nam in priuata ex deuotione Sanctos aliquos particulares addi poſſe, & inuocari admittunt Quarti de *litanijs ſect.* 1. *punct.* 1. & Lezana *cit. verb. Litaniæ num.* 4. Paſqualigus ad *Lauret. de Franch. p.* 1. *à num.* 191. *& ſeq.* ex verbis *euulgant, circumferuntur, eas in publicum edere, aut recitare*, quæ reſtringunt diſpoſitionem ad recitationem tantummodò publicam. Quod etiam ad Seruos Dei non canonizatos, quos eorum deuoti credunt frui gloria eterna, extendit Iacobus Pignatellus *Conſult. Canon. tom.* 4. *Conſ.* 46. non obſtantibus dictis, quia ibi eſt ſermo de perſona arctata, & obligata ad litanias v. g. maiores, vel rogationum nomine Eccleſiæ recitandas, quo caſu, nec priuatim poteſt non canonizatos inuocare: hic verò ſermo eſt de perſona non arctata, ſeù non obligata, quin etiam de perſona arctata, quæ tamen præter litanias conſuetas, ad quas tenetur, alias velit cum tali inuocatione vlteriùs recitare. Idem Pignatellus *ibid. fin.* quia hoc non excedit cultum priuatum, qui non videtur prohibitus per eumdem Pignatellum cum allegatis ab ipſo *tom.* 1. *Conſult.* 502. *per tot.*

270 Sicuti etiam in publica litaniarum recitatione, quæ ob peſtem famem,

mem, aut bellum, vel ſimilem cauſam fiunt, addi poſſe: *A peſte, fame, & bello &c.* concedunt Gauantus *eod. num.* 10. Caſtaldus in *Prax. Cerem. lib.2. ſect.*10. *cap.*7. *num.*6. Bauldry. *cit. cap.* 17. *num.*11. Guyet. *d. q.* 7. vel aliam ſimilem deprecationem, de quibus Caſtaldus *ibid. à d. num. 6. & ſeq.* cum id non videatur à Pontifice, ſi cauſa fiat rationabili, prohibitum. Gauant. *ibid.* ſicuti etiam, vbi ritus ſit bis Patronum, aut Sanctum, cuius dies feſtus agitur, & qui ſit in litanijs deſcriptus nominare, approbat Guyetus. *ibid.* cum repetere non ſit addere, vt obſeruat Paſqualigus *ibid. num.* 193.

271 Videndum ſolummodò remanet, quando, ſeù quomodò recitandæ, dum in Choro ex Superiorum placito ob aliquam particularem cauſam debent poſt Primam, & Tertiam recitari; ſeù an dicendæ ſint ſtatim poſt *Benedicamus Domino*, vt de litanijs ex obligatione dictum eſt, vel poſt antiphonam finalem B. Virginis, & poſt *Sacroſanctæ &c.* Et quidem Breuiarij Rubrica *Tit. 36. num.3.* ſic de iſtis antiphonis finalibus B. V. *Numquam verò dicuntur poſt aliquam horam, quando ſubſequitur cum officio diei officium Defunctorum, vel ſeptem pſalmi pœnitentiales, aut litaniæ, præterquam poſt Completorium, in quo ſemper dicuntur, etiamſi prædicta ſubſequantur,* & ſequuntur Gauantus *ſect.* 5. *cap.*22. *num.* 15. Caſtaldus *ibid. lib.*2. *ſect.* 3. *cap.*2. *num.*16. Io: Baptiſta Rubeus in *Nou. Rational. Diuin. Offic. lib.3. cap.* 24. *fin.* Biſſus *litt. A. num.* 381. §.2. Arnaud. in *Epitom. Sacr. Rit. tract.* 2. *Tit.*26. *num.*6. Quam diſpoſitionem extendit Gauantus *d. cap.*22. *num.* 15. etiam ſi ex deuotione dicantur: *Quando ſubſequitur cum officio diei officium Defunctorum etiam ex deuotione recitandum: eodem modo, quando ſolæ litaniæ ſubſequuntur,* ſcilicet ex deuotione; vnde ſubdit: *Dixi ex deuotione recitandum, quia hoc ſignificant ea verba, præterquam poſt Completorium, etiamſi prædicta ſequantur. Ergo poſſunt ſequi etiam ex deuotione, ne dum in ratione officij, quod vel ſequitur Veſperas, vel laudes, non autem Completorium.* Eodem modo loquitur Arnaud. *loc. cit.* & aſſentiri videtur Guyet. *lib.* 3. *cap.*19. *q.* 4.

272 Cæterum non video huius extenſionis ſufficiens ex hac Rubrica fundamentum; cum enim Rubrica intendat docere, & præfigere modum ſeruandum in recitatione officiorum, ad quæ quis tenetur; non apparet, an idem ſit proindè diſpoſitum quoad arbitrariam recitationem. Et quod Rubrica loquatur ſolum de Officio Defunctorum ex obligatione (quod idem dicendum de litanijs) ſatis dignoſcitur ex verbis, *quando ſubſequitur cum officio diei officium Defunctorum*; officium namque Defunctorum ex deuotione non dicitur propriè ſubſequi cum officio diei, cum nullam cum eo habeat connexionem, ſicut habet officium Defunctorum v. g. in die commemorationis omnium Defunctorum, & litaniæ in diebus S. Marci, & Rogationum, quæ propterea dicuntur pars officij diei; & ſenſus eſt,

quan-

quando vltrà officium diei ſit dicendum ex præſcripto Rubricarum officium Defunctorum, tunc omittendas antiphonas finales. De his ergò loquuntur Rubricæ: non verò de arbitrarijs recitationibus, ad quas ipſæ non ſe extendunt, & de quibus in eis nec cogitatum. Nec habent vim verba, *præterquam poſt Completorium, etiam ſi prædicta ſequantur*; quia intelligenda ſunt de officio Defunctorum ex præſcripto Breuiarij dicendo; quod non ſolum poſt officium diei (ſeù matutinum poſt laudes, & Veſperæ poſt Veſperas) dici poteſt, vt ſupponit Gauantus, ſed etiam poſt Completorium iuxta variam Eccleſiarum conſuetudinem; prout declarant Rubricæ antè *offic. Defunctorum* ibi: *In Choro dicitur poſt officium diei, ideſt Veſperæ poſt Veſperas, & matutinum poſt laudes dici, niſi alia ſit conſuetudo Eccleſiarum*; & non ſolum reſpectu officij Defunctorum ſimplicis, quod ſemel in menſe prima die feſto nouem lectionum non impedita dici debet; & de quo hæc rubrica: Sed & officij ſolemnis in die commemorationis omnium Defunctorum apertè Biſſus *litt.O.num.*40.§.7.& apud nos obſeruatur, dum matutinum etiam in die omnium Defunctorum dicitur antè Primam; & in Ceremonial. *lib.*4.*cap.*19.& ſi ſit pro defunctis Religioſis, vel aliam ob cauſam, vel ante Primam, vel poſt Completorium; quod nec ipſe Gauantus improbat *ſect.*9.*cap.*2.*num.*17.

273 Quarè, cum ipſæ Rubricæ non diſponant de arbitrarijs, ſeù ex deuotione recitationibus, quando hoc pacto, ſeù poſt Tertiam ex.gr. dicendæ erunt litaniæ, poſt antiphonam V. Mariæ & *Sacroſanctæ &c.* dicendas eſſe cenſeo, cum congruum non ſit ob arbitrarias deuotiones talem antiphonam omittere, & ſemper meliùs totum officium, ſeù horas iuxtà Rubricas explere, & ſi quæ ex deuotione, & ad officium non ſpectantia ſuperaddenda, poſt eas completas, perſoluere. Ita Carellus in *Doctr. Sacror. Rit. part.*1. *Dialog.*30. *fin.*& talis apud nos eſt praxis.

OB;

# OBSERUATIO DUODECIMA.

## Ad Text.

*Sacerdotes niſi ex morbo, aut graui cauſa, & de Prioris conſenſu nullo die excepto triduo antè Paſcha, Miſſæ celebrationem prætermittant ſub graui pæna tranſgreſſoribus infligenda.* Conſtit. *p.* 1. *cap.* 4. *num.* 4.

## SECTIO PRIMA.

### *De Miſſa quotidiè celebranda, vbi de eius applicatione.*

274 Miſſam quotidiè celebrandam adſtruunt non nulli ex *Cap. Sabbato*, *De Conſecrat. diſt.* 3. ibi. *Vt traditio Eccleſiæ habeat iſto biduo* (feria ſexta in Paraſceue, & Sabbato Sancto) *Sacramenta penitus non celebrari*, ſubdit Gloſſ. *Sacramentum corporis, & ſanguinis Domini*; infertur enim omnibus alijs diebus Sacramenta, ſeù Miſſam celebrari. Verum hinc potius eruitur conſuetudo quotidiani Sacrificij reſpectu Eccleſiæ, quam reſpectu Sacerdotis; & aliud eſt quotidiè celebrandam eſſe in Eccleſia Miſſam, ſeù nulla diè priuandam Miſſæ Sacrificio Eccleſiam; & aliud eumdem Sacerdotem quotidiè celebrare debere. Et quamuis admittatur, vnam ſaltem Miſſam in omnibus Eccleſijs Cathedralibus, Collegiatis, & Conuentualibus, vbi Sacerdotum ſufficiens ſit numerus, quotidiè celebrandam, vt inſinuari videtur in *Cap. Cum Creatura*. *De Celebrat. Miſſar.* vbi Fagnanus *num.*21. ſecus mortaliter peccarent Prælati, qui id negligerent, vt docent Suarez ad 3. *p.q.* 83. *art.*2. *diſp.*80. *ſect.*2. §. *Dico ſecundò*. Fagundez in *Præcept.*1. *lib.*3. *cap.*15. *nu.*9. Filliucius *tract.*5. *cap.*4. *num.*104. Layman. *lib.* 6. *tract.* 5. *cap.* 3. *num.* 3. Philibertus *tract.* 3. *part.* 2. *cap.*30. *num.*5. Thomas Hurtad. *Reſol. Moral. tract.*2. *num.*301. Hieronymus Garzias in *Theol. Moral. tract.*3. *difficult.*2. *dub.*3. *nu.* 1. Diana in *Coordinat. tom.*2. *tract.*1. *reſol.*83. *fin.* & *reſol.*84. *nu.*2. Leander *tom.*2. *tract.*8. *diſp.*5. *q.*8. & Heriſſonius in *Manuductor. Sacerdot. tract.* 1. *ſect.* 2. *cap.*1. *num.*4. 5. & 8.

non

non ſequitur eumdem Sacerdotem quotidiè celebrare debere, cum de hoc nulla lex, nec Diuina, nec Eccleſiaſtica, vt notat *ibid.* Suarez §. *dico tertio*.

275 Non eſt tamen ita liber ab onere celebrandi Sacerdos, quin ad id ſaltem aliquando, ni obſtet impedimentum, teneatur in anno, vt ex *Cap. Dolentes. de Celebrat. Miſſ.* verbis: *Sunt, & alij, qui Miſſarum ſolemnia vix celebrant quater in anno.* Barboſ. ibi *num.*13. Emmanuel Gonzalez *num.*2. vbi plura adducit Concilia. Et clarè ex Concil. Trident. *Seſſ.*22. *cap.* 1. vbi de Apoſtolis, & Sacerdotibus eorum ſucceſſoribus Corporis, & Sanguinis ſui immolatio à Chriſto præcepta; ibi: *Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, & ſub earumdem rerum ſimbolis Apoſtolis, quos tunc noui teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, vti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit;* traduntque D. Thomas 3. *p. q.*82. *art.*10. & clarius in 3. *diſt.*13. *art.*2. *quæſt.*1. *ad.*2. vbi hæc Chriſti verba de præcepto intelligit, ibi: *Sacerdotibus enim præceptum eſt: Hoc facite in meam commemorationem*, & pluribus exornant Andreas Sauſſay *Panopl. Sacerdotal. p.*2. *lib.*1. *cap.*10. *art.*2. *punct.*1. Hurtadus *d. tract.*2. *num.*351. *& ſeq.*372. *& ſeq.* adeòque & ſub mortali, vt non obſcurè ex his, quæ *Selector. lib.*1. *cap.*18. habet Iaonnes Fileſacus (vbi abſtinentem a Sacrificio Sacerdotis nomine indignum) & clarè docet Vaſquez in 3. *p. diſp.*232. *cap.* 1. *num.*2. *&* 11. probat multis Sauſſay. *ibid. punct.* 2. & fuſè Thomas Hurtadus à *d. num.* 337. *& ſeq.* tenentque Barboſ. & Gonzalez *loc. cit.* Quarti ad *Rubric. Miſſal. in Appendic. q.*3. *punct.*1. Heriſſonius *d. tract.*1. *ſect.*2. *cap.*3. *num.*7. *& ſeq.* alijque plures, quos adducunt, ſequunturque Bonacina de *Sacram. diſp.*4. *q. vltim. punct.*6. *propoſ.*1. Fagundez *cit. lib.*3. *cap.*15. *num.* 3. & Leander *eod. tract.*8. *diſp.*6. *q.*1. vbi hanc opinionem probabiliorem dicunt, & meritò, cum *contrarium ſuadere non ſit in conſcientia ſecurum*, vt apertè ſubdit Suarez *ead. diſp.*80. *ſect.* 1. qua fortè de cauſa ſententia Caietani, qui hoc non mortale putauit, iuſſu Pij V. fuit in ſecunda editione Romana oper. D. Thomæ expuncta iuxtà fidem Suarij *d. ſect.* 1. Vaſquez *ibid. nu.*7. Hurtad. *eod. tract.*2. *num.*355. & Franciſci Ghetij in *Theſaur. Animæ. Verb. Miſſa num.*2.

276 Quoties autem in anno celebrandum ſit à Sacerdote non vna opinio. Quater ſaltem ex *cit. Cap. Dolentes* volunt nonnulli; Sed vetus quarta collectio Decretalium, vt *loc. cit. pag.*326. obſeruat Fileſacus dictionem illam *quater* non habet, quam lectionem ſequitur Gonzalez ad *d. Cap. Dolentes*. Et dato, quod iuxta poſtremam ſub Gregorio IX. compilationem *quater* legendum ſit, nequaquam ſenſus eſt, quod quater in anno Sacerdoti ſatis ſit celebrare, vt benè, & verè ponderat. *d. art.*2. *punct.*3. Sauſſay. Non

enim Innocentius III. ibi quater in anno celebrandi conſuetudinem laudat, aut approbat: ſed euidenter reprehendit, cum referens cum gemitu, *Dolentes referimus* (inquit) *quod non ſolum quidam minores Clerici, verum etiam aliqui Eccleſiarum Prælati circa commeſſationes ſuperfluas, & fabulationes illicitas (vt de alijs taceamus) ferè medietatem noctis expendunt. Sunt & alij, qui Miſſarum ſolemnia vix celebrant quater in anno &c. Hæc igitur, & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus.* Vndè infert Sauſſay. *Igitur ex iudicio Pontificis, & Concilij Generalis (cui tunc præſidebat) non ſatis eſt Sacerdoti cuilibet quater in anno ſacram Miſſæ celebrationem peragere, ſed aliquid amplius requiritur, vt Sacerdos ſuæ obligationi celebrando ſatisfaciat.*

277 Reſoluendum hoc vult Suarius *d. ſect. 1. fin.* à principijs extrinſecis, nempè aliorum ſcandalo, proprio ſpirituali detrimento, & ſimilibus, ſi adſint, ratione quorum tenebitur pluries celebrare; quod admittit, & Vaſquez *eod. cap. 1. num.* 11. & ſi per ſe loquendo, quater, aut quinquies in anno Miſſam celebrari neceſſarium iudicet. Sed hæc nimis incerta, & difficilis iudicij. Ad præcipuos ergò dies feſtos hanc obligationem determinat S. Thomas *d. art.* 10. *in corp.* ibi: *Saltem videtur, quod celebrare teneatur* (de quolibet Sacerdote loquitur) *in præcipuis feſtis, & maximè in illis diebus, in quibus fideles communicare conſueuerunt*, quem ſequuntur Sotus, Siluester, Angelus, Tabiena, D. Antonius, Paludanus apud Hurtad. *ibid. num.* 379. Concilium verò Tridentinum *ſeſſ.* 23. *de Reformat. cap.* 14. dies dominicos addit; ibi: *Curet Epiſcopus, vt ij* (Sacerdotes ſcilicet omnes) *ſaltem diebus Dominicis, ac feſtis ſolemnibus Miſſas celebrent*; quibus indicatur, Sacerdotes etiam Dominicis diebus ad Miſſam obligari, vel obligatos ſupponi; Si namque res libera eſſet, & non teneretur omnibus his diebus celebrare Sacerdos, *fruſtrà*, concludit *loc. cit.* Sauſſay, *& præter ius Epiſcopi auctoritatem ad effectum practicum huius ſanctionis eliciendum à ſubditis Presbyteris interpellaret*. Vbi item aduertit præfatum Concilium *ibid. cap.* 13. vbi de Diaconorum, & Subdiaconorum in Dominicis, & Feſtis ſolemnibus communione, vti verbo *decere*, ibi: *Sciantque maximè decere, ſi ſaltem diebus Dominicis, & ſolemnibus, cum Altari miniſtrauerint, ſacram Communionem perceperint*, quo non vtitur, dum de Miſſa à Sacerdotibus celebranda loquitur, vt dictum eſt: ſed dixit *Curet Epiſcopus, &c.* vndè quoad Sacerdotes dictam obligationem ſic infert: *Quibus verbis innuit, ſe loqui S. Synodus per modum ſimplicis documenti, adhibetque verbum decere, vt patenter innuat, hoc non eſſe de neceſſitate, ſed tantum de decentia, & meliori more, ac vſu. At verò cum agit de Sacrificio celebrando diebus Dominicis, & præcipuis ſolemnitatibus à ſingulis Presbyteris, ſic non loquitur: ſed mutat ſapientiſsimum Concilium vocem, proptèrque debitum officij Sacerdotum Epiſcopi interpellat diligentiam, & adhibet auctoritatem.* Quod ſaltem habere locum, vbi Epiſcopus præceperit etiam Dominicis diebus celebrandum eſſe,

eſſe, dicit Bonacina *dict. propoſ.* 1. *num* 3.

278 Verum peccati mortalis non damnarem, qui non diebus Dominicis, ſed quater, aut quinquies in anno, his etiam, vel illis diebus indeterminatis celebraret, cum hæc ſit ſatis probabilis opinio; & de qua Leander *d. diſp.5.q.2.* & alias nullibi aliquid amplius præceptum legatur, vt inſinuat Suarez *d. ſect. 1. fin.* & apertè Vaſquez *eod. cap. 1. num.* 10. nec Concilium Tridentinum Miſſam pro Dominicis, aut ſolemnioribus diebus ſub præcepto ſtatuat: ſed tantum iniungat Epiſcopis, vt curent, quod certè peccatum nec infert, nec ſupponit, vt notat Heriſſonius *d. cap. 3. num.* 12. Vndè S. Concilij Congregatio declarauit teſtibus Nauarr. in *Manual. cap.* 25. *num.* 88. Paſqualigo de *Sacrific. q.* 844. *num.* 6. & Fagnano in *cit. Cap. Dolentes. num.* 14. non poſſe Epiſcopum ad id pænis, & cenſuris Presbyteros adſtringere, ſed ſolis adhortationibus, & monitionibus ſuadere; quo apertè dignoſcitur, nec eſſe id à Concilio præceptum, nec ab Epiſcopo præcipi poſſe, vt ſupponit Bonacina.

279 Quod dubio vacat, eſt; tam neminem ex vi Sacerdotij ad quotidiè celebrandum teneri, quam quemlibet poſſe quotidiè celebrare, cum pro vtroque faciat. *Cap. Quotidiè Eucharistiæ. de Conſecrat. diſt.* 2. & nullibi aut primum inueniatur præceptum, aut ſecundum alicubi prohibitum, vt quoad vtrumque Suarez *loc. ſupr. ſect. 2. §. dico ſecundò.* Fagundez *cit. cap.* 15. *num.* 10. Sauſſay *eod. art. 2. §.* 1. Hurtad. *d. tract. 2. num.* 1. Quin, cum regula generalis ſit, quod liceat quotidiè corpus, & ſanguinem D. N. Ieſu Chriſti in Sacrificio offerre, vt ex *Cap. Viſum eod. tit. de Conſecr. diſt.* 1. & *Cap. Iteratur. Cap. Semel immolatus. Cap. In Chriſti. diſt.* 2. à Moſtazo de *Cauſis pijs. tom. 1. lib. 3. cap. 6. num.* 43. nec deſint exempla Sanctorum, qui quotidiè Miſſæ Sacrificium conficere conſueuerunt, vt de Sanctis Petro, & Andrea Apoſtolis, S. Potentiano ab ipſo S. Petro in Gallias miſſo, S. Carpo Apoſtolorum aſſecla, SS. Cypriano, Caſſio Narnienſi Epiſcopo, Ambroſio Mediolanenſium Præſule, Carileſo Presbytero, Goar Eremita, Thoma Cantuarienſe, Ludouico Toloſano, Carolo Boromeo, & alijs referunt reſpectiuè Suarez *loc. cit. ſect.* 2. Hurtadus *ibid. num.* 2. & de omnibus Sauſſay *vbi ſupr.* ſicut & de alijs Benedictus Hæftenus *Diſquiſit. Monaſt. lib. 3. tract. 6. diſq.* 2. & de S. Anſelmo Lucenſe Epiſcopo Nebridius à Mundelheim in *Antiquar. Monaſt. epiſt.* 66. Edmundus Martene de *Veter. Monach. ritib. lib. 2. cap. 6. num.* 3. benè infertur, non ſolum licitum eſſe, vt contrà Bonacinam tuetur Thomas Tamburinus, de *Method. Miſſ. lib. 3. cap. 3. §. 1. n.* 7. ſed cum modò laudatis DD. & alijs apud Biſſum *litt. M. num.* 202. & communiore Theologorum ſententia melius eſſe (quin optimum & iuxtà probabiliſſimam opinionem, idem Tamburinus *ibid. num.* 5.) quotidiè celebrare, & vt laudabile conſulendum, cum hoc ſit ex ſui natura bonum, in maiorem Dei cultum, ipſius celebrantis, totius Eccleſiæ, ac fidelium om-

nium, atque defunctorum cedat vtilitatem; vt nouiſſimè Heriſſonius *d. cap. 3. num. 3.*

280 Et ſuadetur vlterius primò, ex eo quod, ſi illicita nequaquam dicenda eſt communio quotidiana, cum verba Orationis Dominicalis *Panem noſtrum quotidianum* exponens, ad illam adhortetur *lib. de verb. Domini* S.P. Auguſtinus: *Si cibus quotidianus eſt, cur poſt annum illum ſumis? Accipe quotidiè, vt quotidiè tibi proſit*; & S. Ambroſius *lib. 5. de Sacram. cap. 4. Iſte panis vitæ eternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit, pànis quotidianus eſt; accipe ergò quotidiè, quod quotidiè tibi proſit*; & in primitiua Eccleſia quotidiè vſitatam doceant Suarez in *3. p. diſp. 69. ſect. 4. §. Dico primò*. Vaſquez *3. p. diſp. 214. num. 21.* & apertiſſimè apud antiquos Monachos Caſſianus *lib. de Spirit. fornic. cap. 8.* ibi: *Qua puritate oportebit cuſtodire noſtri corporis, atque animæ caſtitatem, quos neceſſe eſt quotidiè ſacroſancti Agni carnibus veſci?* Et ſaltem Clericis à Calixto Papa iniunctam fuiſſe habeatur ex *Cap. Peracta. de Conſecrat. diſt. 2.* & adhuc hodiè etiam reſpectu laicorum laudabilem ſuadeant quam plures; à fortiori quotidiè celebrare licebit, immò conſultius erit, vt ad *d. Cap. Quotidiè*, argumentantur Barboſ. & Suarez *cit. diſp. 80. ſect. 2. §. Dico quartò*; vbi, & habere locum, etiamſi quo ad laicos admittatur communionem quotidianam haud licitam eſſe: *licet laicis regulariter non ſit conſulendum, vt quotidiè communicent: Sacerdotibus autem conſulendum eſt, vt quotidiè ſacrificent; eſt enim id per ſe loquendo melius*, ex eo quia *munus ſacrificandi non ſit priuatum, ſed publicum, nec proſit ſoli ſacrificanti, ſed toti Eccleſiæ.*

281 Secundò, quia vt ex Vener. Beda dixit de *Præpar. ad Miſſ. cap. 5.* S. Bonauentura: *Cum Sacerdos eſt abſque peccato, & in propoſito bono, non habens legitimum impedimentum, & non ex reuerentia, ſed ex negligentia celebrare omittit, tunc quantum in ipſo eſt, priuat Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iuſtos ſubſidio, & gratia, in Purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam Chriſti ſpirituali beneficio, & ſe ipſum medicina, & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates*. Tertiò, quia, vt habet S. Ambroſius *lib. 4. de Sacram. cap. vlt.* & refertur de *Conſecr. d. diſt. 2. cap. 14. Si quotieſcumque effunditur Sanguis Chriſti, toties in remiſſionem effunditur, debeo illum ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur: qui ſemper pecco, ſemper debeo medicinam accipere.*

282 Et quartò, quia cauſæ, ob quas quotidiè Miſſa celebranda eſt in Eccleſia, & quas ex Innocentio III. refert S. Thomas *4. ſentent. diſt. 13. q. 1. art. 2. quæſt. 3. in Corp.* quia, ſcilicet, oportet ſemper paratam eſſe medicinam contrà quotidiana peccata; vt lignum vitæ ſemper ſit in medio Paradiſi; vt nobis Chriſtus quotidiè vniatur ſacramentaliter, & nos ei ſpiritualiter; vt ſit apud nos vigil memoria Paſſionis; & vt vero agno loco typici quotidiè vtamur ad Veſperam &c. æquè militant pro Sacerdotibus,

& ſua

& ſuadent cuique quotidiè celebrandum eſſe, vt ſentit Franciſcus Ghetius in *Theſaur. Animæ verb. Miſſa num.3.* vbi ſubdit: *Vtinam Sacerdotes hæc ſaperent, quià quotidiè celebrarent! vtinam hæc intelligerent, quia Sacram Euchariſtiam frequentarent!*

283 Quarè non improbandæ, ſed potius laudandæ Conſtitutiones, dum ad quotidiè celebrandum omnes conſtringunt Sacerdotes, cum rem ſanctam conſulendam, & optimam ſtatuerint. Obſeruandum tamen non id ſub præcepto demandari, cum non adſit forma ad præceptum à Conſtitutionibus requiſita. Vndè per ſe loquendo non quotidiè celebrare culpam non infert læthalem; Poſſe nihilominus à Superiore ſub mortali præcipi tradit Thomas Hurtad. *d. tract.2. num. 26.* quia huiuſmodi præceptum eſſet de re licita, & honeſta; adde, quoad nos, & de re in Conſtitutionibus præſcripta; quod, etſi ſaltem in caſu particulari, ob diuerſa, quæ contingere poſſunt, admittam; non tamen generaliter per ea, quæ ſatis ad rem tradit Paſqualigus *ibid. q.846.* & multo minus ſub cenſura aliqua ſibi reſeruata, vt cum Sanchez in *ſumm. lib.6. cap.1. num. 16.* Megala *1. p. lib.2. cap.12. num.8.* Peyrin. *tom.2. Priuil. Bull. 10. Vrbani VIII. §.61. num. 10.* & alijs reſoluit idem Hurtadus *ibid. num. 39. & ſeq.* ob eiuſdem Pontificis decretum, quo aliarum culparum reſeruationem præter expreſſas ſuperioribus Regularibus vetat. Dixi, per ſe loquendo, quia adhuc præciſo præcepto aliundè oriri poteſt ad id obligatio; Cum namque Conuentus accipiat ſtipendia Miſſarum, quibus iuuatur ad Religioſorum ſuſtentationem; & indè Superior applicet ſuorum Sacerdotum ſacrificia, tenentur hi, ſaltem dum ſunt in Conuentu, quotidiè celebrare, & oneribus, quibus grauatur Communitas, ſatisfacere, vt idem Hurtadus *ibid. num. 33.* Lezana *tom.2. verb. Miſſa. num.42. fin.* & infra *num. 293. & 297.*

284 Sed iam hinc difficultas, an Conſtitutiones intendant quotidianum Sacrificium abſolutè, vel ſaltem ex ſuppoſitione pro oneribus Miſſarum ſatisfaciendis. Et dico, non ſolum, vt Miſſarum oneribus ſatisfiat, Miſſam quotidiè celebrandam hic præcipi, cum hic eſſe poſſit ſolummodo finis ſecundarius, & fortè aliquando contingere poſſit, quod non tot ſint onera, nec manuales eleemoſinæ quot Sacerdotes: quin ſi hæc fuiſſet Conſtitutionum intentio, aliqualiter eam hic indicaſſent, vt facilè preſtare potuiſſent: Verum etiam quotidianum omnibus demandari ſacrificium, maioris, vt dictum eſt, perfectionis gratia. Vndè ſiuè adſint onera, ſiuè non; qualibet die celebrandum eſt ab omnibus. Licet enim pro Miſſis tum manualibus, tum perpetuis eleemoſinas recipi *p. 1. cap. 7. num. 2.* & eas ab arca non niſi Miſſis celebratis extrahi permittant *p. 3. cap. 12. num. 4.* non tamen ſequitur, intenta primariò à Conſtitutionibus ſacrificia, vt Miſſarum oneribus ſatisfiat; nam diſpoſitio hæc de eleemoſinis recipiendis, & non extrahendis ex ſui intrinſeca ratione conditionata eſt, & ex

ſup-

ſuppoſitione, quod ſtipendia adueniant: Statutum verò de quotidiana celebratione abſolutum eſt. Vndè apparet primariò intentam eſſe à Conſtitutionibus quotidianam celebrationem: ſecundariò verò onerum ſatiſfactionem; & ideò non ſequi, ſi non adſint onera, nec pro Miſſis manualibus ſtipendia, poſſe quem à ſacrificio ceſſare; nam ceſſante vna legis cauſa finali, vbi plures ſunt, non ceſſare legis obligationem habetur ex *§. Affinitatis. Inſtit. de Nupt. l. libellorum. §.1. ff. de his, qui not. infam.* Tiraquell. *tract. Ceſſante cauſa limit.22. num.* 11. & maximè vbi vigeat finis primarius.

285 Nec obijciendum communem eſſe ſenſum DD. Sacerdotem adſtrictum ad quotidiè celebrandum poſſe propter honeſtatem, & ſacrificij venerationem quandoque à celebratione vacare, ex *Cap. Significatum; de Præben.* ibi Fagnanus *num.* 8. & cum multis Barboſa, & Emmanuel Gonzalez *verb. Salua honeſtate*; & præter eos Peyrin. *tom.* 1. *de ſubdit. in addit. ad Conſlit. Pyrrhi. num.23.* Tamburinus de *Iur. Abb. tom.2. diſp.5. q.9. n.25.* Fagundez *cit. lib.3. cap.16. num.*11. Hurtad. *ibid. nu.* 83. Donatus in *Prax. tom.3. tract.7. q.*101. Paſqualigus de *Sacrific. q.*1121. *num.3.* & *q.*1130. *n.5.* Quarti ad *Rubric. Miſſ. in Append. q.4. punct. 2. difficult.* 4. ſeù ſaltem ſemel in hebdomada, vt omnes *locis cit.* laudati DD. & de communi idem Paſqualigus *eod. nu.5.* (de quo tamen infrà *num.* 292.) adeòque conſimili vacatione & noſtros Sacerdotes frui poſſe.

286 Reſpondetur enim primò (loquendo de obligatione celebrandi propter Conuentus onera) non applicari in præſenti diſpoſitionem *Cap. Significatum*, quia ſermo ibi eſt de Capellano ſpecialiter conſtituto ad Miſſam quotidiè celebrandam, ſeù de perſona ad id munus electa, cui incumbat obligatio celebrandi, quo caſu tantummodò currit priuilegium vacantiæ: non verò quando obligatio Miſſæ quotidianæ ſe tenet ex parte vel Hæredum, vel alicuius Communitatis, & perſonalis non eſt; quia tunc, cum non detur perſona determinatè obligata, & videatur ſolum habita ratio Miſſæ in tali Eccleſia celebrandæ, nec eſt locus priuilegio, ſeù vacantiæ, per Barboſ. de *Offic. & poteſt. Epiſcop. p.2. allegat.* 24. *num.*28. Fagnan. *loc. cit. num.9. &* 10. Tamburin. *d. num.* 25. Peyrin. *eod. num.* 23. *verſ. verum tamen eſt.* Leandr. *tom.2. tract.* 8. *diſp.* 5. *q.* 14. Lezanam *tom.2. verb. Miſſa. num.*42. Dianam in *coordinat. t.2. tract.*1. *reſol.* 61. *num.* 1. & *reſol.*63. *num.*5. & Paſqualig. *d. q.*1121. *num.* 3. & 4. ſicut nec vbi agatur de Miſſa quotidiè celebranda ob quotidianum, & manuale ſtipendium, vt *ibid.* Lezana *num.* 4. *verſ. Dixi etiam ratione*, & Paſqualigus *d. num.*4. & *q.* 1135. *num.* 2. Vndè, cum apud nos onera Miſſarum ſiuè perpetuarum, ſiuè manualium ſint propriè penes Monaſterium, & Sacerdotes noſtri, etſi teneantur ex ſtatuto quotidiè celebrare pro ſatisfaciendis oneribus Conuentus, nullus tamen ſit ſpecialiter, & determinatè pro Capellano deputatus

tus

tus iuxtà communiorem Regularium morem, de quo Lezana *cit. num.*42. non eſt, cur eis applicetur diſpoſitio *Cap. Significatum* in ordine ad vacantiam pro Capellanis; Quibus enim non competunt verba legis, nec competit legis diſpoſitio, ex vulgato iuris Axiomate.

287 Reſpondetur ſecundò (loquendo de obligatione celebrandi ex Conſtitutionum, præſcripto) non ſequi; licet enim admittatur *Cap. Significatum* de omni Sacerdote intelligendum; cum tamen obligatio quotidiè miſſandi, de qua in præſenti, ſit ſpecialis, & poſterior, atque oriatur ex particulari ſtatuto auctoritate Apoſtolica confirmato, hinc potius proſcripta dicenda eſt vacantia, cum lex ſpecialis poſterior deroget priori, quatenus eſt illi contraria, vt communiter docent Bart. ad *l. ſed & poſteriores. ff. de Legib.* Suarez de *Legib. lib.6. cap.27. num.*12. Paſqualigus *ibid. q.*1128. *nu.*4. Nidus de *Regul. Iur. Regul.*16. *num.*42. vbi etiam ſi non fiat mentio prioris, dummodò hæc ſit in corpore iuris inſerta, ſicuti præfata vacantia in *d. Cap. Significatum*.

288 Addo duo: Vnum ex parte Religionis; ſeu, liberum cum ſit ex dictis cuilibet Sacerdoti quotidiè celebrare; quin laudabile, vt dictum eſt, ob maiorem perfectionem, voluiſſe Legiſlatores hanc libertatem noſtris adimere. Alterum ex parte Religioſorum, ſeù huiuſmodi onus ab ipſis in profeſſione acceptatum, & conſequenter vacantiæ renuntiatum; adeòque, eo modo quo vacantia non admittitur vbi agatur de Sacerdote ad quotidianum ex expreſſa Fundatoris, ſeù Inſtitutoris mente Sacrificium obligato, & qui tale onus acceptauerit, iuxtà Thom. Tamburin. *d. lib.* 3. *cap.* 3. §.1. *num.*5. & Paſſerinum de *Statibus tom.*2. *q.*187. *art.*4. *num.*1113. ita non eſſe hic admittendam, ſed teneri, vt dictum eſt, quotidiè pro obligationibus Monaſterij ſatisfacere.

289 Quod ſi dicatur, ſatis rigidum videri, quod numquam poſſit vacare Sacerdos à Miſſæ celebratione, cum æquè in his, ſicut & in Capellano eadem cauſa honeſtatis appareat; & rigidius, quod nec poſſit, aut pro ſe, aut pro ſuis defunctis aliquando ſacrificium offerre, ſed ſemper pro oneribus Monaſterij; facilè occurritur, primò dicendo, ſe ad hæc omnia obligaſſe Sacerdotes, dum harum Conſtitutionum obſeruantiam profeſſi ſunt: Secundò poſſe, vel abſtinere, vel pro ſuis celebrare, ſatisfaciendo per alium oneri Monaſterij: Tertiò his omnibus paratum eſſe remedium, petendo à Superiore licentiam.

290 Sed quid ſi Superiores pro Miſſis quotidianis perpetuis aliquem, vel aliquos ex Religioſis ipſis determinatè deputarent, ſeù vnum, vel alterum pro huius, vel illius Miſſæ quotidianæ oneri ſatisfaciendo Capellanos conſtituerent, vt fieri poſſe docet Paſqualigus *ibid. q.*1135. *num.*5. quandò tamen onus celebrandi ſit ab Inſtitutore Miſſæ quotidianæ collatum in ipſam Communitatem; nam, cum tunc Communitas ſe habeat per modum

Capel-

Capellani, poteſt in alium huiuſmodi onus transferre: ſecus verò ſi Communitati incumberet ſolum onus procurandi quotidiè celebrationem Miſſæ, cum tunc non habeat ius Capellaniæ in ſe translatum, & ſolum teneatur procurare celebrationem Miſſæ quotidianæ tamquam manualis, vt idem Paſqualigus *ibid. num.* 4. Videtur quidem tunc talem Capellanum, licet ammouibilem, vti poſſe vacantia iuxtà *d. Cap. Significatum*; & tradunt à Spiritu Sancto in *Director. Regul. tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 1684. Paſqualigus *d. q.* 1135. *num.* 5. & probabile dicit Quarti in *Appendic. ad Rubr. Miß. q.* 4. *punct.* 2. *difficult.* 4. adeòque, ſi infirmetur, non teneri Miſſas per alium dicere, vt Lezana *d. verb. Miſſa num.* 40. ad breue tamen tempus (de qua re videndi præter Lezanam *ibid.* Hurtadus *loc. ſupr. num.* 91. *& ſeq.* Peyrinus *ibid. num.* 24. Leander. *d. diſp.* 5. *q.* 19. Diana *cit. tract.* 1. *reſol.* 55. Paſqualigus *ibid. q.* 1122. à Spiritu Sancto *ead. diſp.* 6. *num.* 1681. vbi & ad duos menſes aliqui extendunt) & omnibus frui poſſe, quibus gaudere poſſunt Capellani, ſeù pro ſe, vel amicis, aut ſuis defunctis aliquoties celebrare, vt placet Peyrin. *ibid. num.* 23. cum æquitas, quam interpretatur pro honeſtate, de qua *Cap. Significatum*, talem indulgentiam concedere videatur; tenentque Naldus in *ſumm. verb. Miſſa num.* 7. & cum alijs Barboſa de *Offic. & poteſt. Epiſc. cit. allegat.* 24. *num.* 31. ſeù quater, vt Leander. *d. diſp.* 5. *q.* 16. vel ſexies in anno, vt Naldus *ibid.* & cum Fraxinello de *Obligat. Sacerd. ſect.* 4. *concl.* 4. §. 3. *num.* 2. Lezana *ibid. num.* 41. cum his, vtpotè rationabilibus Miſſæ quotidianæ Inſtitutor annuere præſumatur, vt cum pluribus Paſqualigus *q.* 1129. & Diana *ibid. reſol.* 61. 62. *&* 63. Circa quod tamen admonet Paſſerinus *d. art.* 4. *num.* 1141. ſecurius eſſe pro his ſacrificium applicare ſub conditione, quatenus fieri poſſit ſine præiudicio Inſtitutoris, quod probabiliſſimum eſt non adeſſe; cum namque non iam Chriſtus Dominus ſit propriè cauſa, ob quam Miſſæ fructus ſit finitus, & tantus de facto, vt non ſit maior: ſed cauſa ſe teneat ex parte noſtri, ſeù offerentium, tali fructu repleto ſecundum capacitatem ſuæ deuotionis, qui fundauit Capellaniam, remanet vnde accipiant alij offerentes, quantum capere poſſunt; & ſic ſi offeratur modo, quo dictum eſt, ſacrificium, & menti ſatisfit fundatoris, & alijs prodeſſe poterit.

291 Verum negatiuè reſoluendum; cum enim ex modo inſtitutionis Miſſarum quotidianarum, & earum acceptationis appareat ab Inſtitutoribus onera perpetua, ſeù quotidianorum ſacrificiorum impoſita fuiſſe Monaſterijs, & viciſſim Monaſteria ſe ad Miſſam quotidiè obligaſſe, vllo ex parte neutrius, ſeù nec Inſtitutoris, nec Monaſterij facto Capellani, aut Capellaniæ verbo, liquet intenta ab Inſtitutoribus ſacrificia ipſa quotidiana; & ideò non electas pro celebrandis Miſſis perſonas aliquas, ſed Collegio ipſi impoſita huiuſmodi onera, vt per vnum, vel alterum quotidiè Miſſa celebretur, iuxtà morem Communitatum, apud quas non datur

vacan-

vacantia in huiuſmodi oneribus, ſed ſi vacent per vnum tenentur celebrare per alium; vt reſoluunt à Spiritu Sancto *cit. diſp.6. num.* 1685. *&* 1688. & Paſſerinus *eod. art.*4. *num.* 1150. *fin.* adeòquè non eſſe locum vacantiæ, nec poſſe à Superioribus Capellanum inſtitui, qui vacantia fruatur, vt ex Lezana *d. num* 42. cum Barboſ. *ead. allegat.* 24. *num.* 28. *&* 31. & alijs ab eo adductis Quarti *ibid. dub.*3. vbi hanc ſententiam communem dicit, & amplectendam; etſi fieret, cum apud nos Capellani inſtitutio inſueta res ſit, neſcio an nouitatem magis ſaperet, vel fraudem. Idem dico poſito quod ab Inſtitutore Miſſæ quotidianæ, vel eligatur quis in Capellanum, vel inſtituatur ad modum Capellaniæ, vel facultas detur Monaſterio Capellanum deputandi (quo caſu Lezana *ibid. num.* 40. concedit poſſe huiuſmodi Capellanum à celebratione ſemel in hebdomada vacare) quia adhuc obſtant Conſtitutiones, in quibus cauetur, ne quis vlla die ſine Prioris conſenſu Miſſam omittat.

202 Poſito autem, quod poſſit, vt alij Capellani ea gaudere, non alio titulo, quam ob honeſtatem, ac Sacrificij reuerentiam abſtinere poſſet à celebrando ex *d. Cap. Significatum.* ibi: *Nec ſibi liceat hoc illi ſubtrahere, ſiuè cauſa voluptatis &c.* Peyrin. *loc. ſupr. num.* 23. ſeù non ob recreationem. Paſqualigus *ibid. q.* 1116. *num.* 12. *& q.* 1128. *num.* 1. *& ſeq.* licet *num.* 6. ſubdat, poſita vacantia, poſſe recreationi indulgere; ſicut nec cauſa curioſitatis. Aſcan. Tamburin. de *Iur. Abb. t.*2. *diſp.* 5. *q.* 9. *num.* 25. aut itineris. A Spiritu Sancto *d. diſp.*6. *nu.*1684. aut ſimilium. Lezana *eod. nu.* 42. ſeù ob commodum temporale, vt Quarti *dict. difficult.* 4. *dub.* 1. §. *probatur*, & §. *colligitur*; Vti hanc ſententiam communem, & probabiliorem dicit; & opinionem admittentem licere Capellano ex conſuetudine ſemel in hebdomada vacare, reprobant omninò, & benè confutant Campanil. in *Diuerſor. Iur. Rubr.* 7. *cap.*6. *num.* 15. & Paſſerinus *eod. art.*4. *num.* 1138. *& ſeq.* Et multò minus accepto ſtipendio die, qua vacare contingat, pro alio celebrare. Bonacina de *Sacram. diſp.*4. *q. vltim. punct.*7. *num.*7. Naldus *d. verb. Miſſa num.*7. Riccius in *Prax. Deciſ.*413. Hurtad. *d. tract.* 2. *num.*84. Peyrin. *cit. num.* 23. Diana *eod. tract.* 1. *reſol.* 61. 62. *&* 63. A Spiritu Sancto *ibid. num.* 1689. Campanil. *eod. num.* 15. Lezana *eod. num.* 42. *fin.* & probabilius dicit Quarti *ibid. dub.*2. §. *confirmatur*; Non enim hoc eſſet vacare propter honeſtatem (poſito quod in tali caſu dici poſſet vacare) ſed propter auaritiam, vt apertè Thomas Tamburin. *d.* §. 2. *num.* 1. *fin.* Præterquam quod, cum vacantia concedatur ob ſolam reuerentiam Sacrificij; non verò liberè pro ſemel in hebdomada, vt fusè & benè euincit Paſſerinus *ibid. nu.*1139. *& ſeq. & num.* 1142. eo ipſo, quod hæc ceſſat (ceſſat enim dum Miſſa celebratur. A Spiritu Sancto *ibid. num.* 1690.) iam celebrare tenetur pro Fundatore, qui habet ius ad ſacrificia totius anni dempta vacantia ex titulo honeſtatis, & deuotionis. Aſcanius Tamburin. *ibid.* & Thomas Tam-

burin. *cit. lib.3. cap.3.§.2.* Biſſus *litt. C. num.* 109. §.1. A Moſtazo de *Cauſis pijs tom.1. lib.3. cap.6. num.* 16. & cum multis Paſſerinus *d. num.* 1142. Et ſic nec gratis, nec ob ſtipendium poteſt per ſe loquendo die vacantiæ pro alio Capellanus celebrare, Gobat. *Theolog. experim. tract.3. num.*584. quia vtroque modo priuaret fundatorem ſacrificio ſibi debito. Et licet admittatur poſſe aliquoties pro ſe, vel ſuis celebrare, quia quoad hoc præſumitur Fundatoris conſenſus, nullatenus poterit ob ſtipendium pro alio, cum certè quoad hoc eiuſdem conſenſus nequat præſumi, vt veriſſimè diſcurrit Gobat. *ibid. num.*585. & de communi DD. ſenſu docet Diana *d. reſol.*63.

293 Quia porrò hæc, quæ de quotidiè celebrandi obligatione dicta ſunt, affinitatem, & connexionem habent cum applicatione; & circà hanc aliqua diſcutienda. Et primò. An Sacerdotes, qui ex ſtatuto tenentur quotidiè celebrare, teneantur item pro Conuentu, ſeù ad nutum Superioris Miſſam applicare. Circà quod nullum mihi dubium, cum teneantur ſatisfacere oneribus Miſſarum, vt dictum eſt *nu.*283. & deducitur vlterius ex eo, quod ipſi fruantur ſtipendijs Miſſarum, quæ recipit Conuentus; ſequitur enim, quod & teneantur onera adimplere, iuxtà *Regul. Iur.*55. *in 6. qui ſentit onus debet, ſentire & commodum, & è contrà*; quod ſine applicatione ſacrificiorum, ob quæ ſtipendia recepta ſunt, nequit fieri. Ad quod certum eſt, poſſe à Superiore præcepto conſtringi, cum ad Prælatum ſpectet curare, quod Conuentus onera adimpleantur, & ſubditi parere teneantur per Rodriq. in *Expoſ. Bull. Compoſ. §. vnic. num.*50. Fraxinell. de *Obligat. Sacerd. ſect.7. §.6.* Peyrin. in *addit. ad Conſtit. Pyrrh. cap.* 1. *num.*29. Barboſ. *ead. allegat.*24. *num.*28. *fin.* Donatum *cit. tom.3. tract.7. q.*85. *num.*1. Bordon. *reſol.*25. *num.*9. Heriſſon. *tract.* 1. *ſect.*2. *cap.* 5. *num.*2. Quarti *ead. quæſt.* 2. *punct.*15. vbi: *caſ.3. fin.* cum Garzia Syluestr. & alijs, id poſſe quotidiè præcipi, ſi quotidiana ſint onera, vel tot ſint Miſſæ celebrandæ, vt aliter nequeat ſatisfieri. Paſqualigus *ibid. q.*843. *num.* 5. non obſtante, quod applicatio ſit actus interior, quià cum non ſit merè interior, ſed habeat connexionem cum exteriore, nempe Miſſa, ratione huiuſmodi connexionis benè præcipi poteſt, vt dictum eſt *num.* 26. & ad rem docent Roderic. *qq. Regul. tom.3. q.19. art.2.* Sanchez in *Decalog. lib.6. cap* 2. *num.6.* Peyrin. *tom. 1. q.1. cap.6. §. Dico tertiò fin.* Aſcan. Tamburin. *ead. diſp.5. q.8. nu.7.* Quarti *cit. punct.15. §. Neque huic.* Heriſſon. *eod. cap.* 5. *num.* 3. Quod dictum volo etiam ſi non agatur de Miſſa celebranda pro ſatisfaciendis oneribus Conuentus: ſed & caſu, quo nullo ſuppoſito onere, ex gratitudine tantum ergà Benefactores præcipiat Superior pro illis celebrari; cum ſubditus parere teneatur, quoties iuxtà Regulam, & Conſtitutiones aliquid demandatur; & alias gratitudo ergà Benefactores ſit ſecundum Conſtitutiones, & ab illis iniuncta *p.1. cap.9. num.*11. & 16. & *cap.* 15. *num.* 9. & ità Quarti *d. q.2. punct.15. caſ.2.* Heriſſon. *cit. tract.1. ſect.2. cap.5. num.4.* Non autem

vbi

vbi præceperit applicationem pro ſuo commodo particulari, & tempora-
li, vel etiam pro proprijs, & particularibus oneribus ſatisfaciendis, & de
quibus apertè nulla Conuentui vtilitas; licet enim poſſit præcipere cele-
brationem, cum hæc ſit iuxtà Conſtitutiones, non tamen in tali caſu ap-
plicationem, cum de applicatione nihil in Conſtitutionibus. Quod intel-
ligendum, vbi clara ſint ſupradicta; nam in dubijs præſupponendum iu-
ſtum præceptum, & à ſubditis parendum, vt in *Quodlibet Regul. num. 997.*
Quibus omnibus planè ſatisfacere Religioſum, ſi applicet pro ijs, quibus
debetur, ſcribit Donatus *tract. 7. q. 79.* quamuis concludat melius eſſe ap-
plicare diſtinctè, quia magis prodeſt applicatio ſpecialis, quam genera-
lis, cum maiori affectu proferantur, quæ in particulari dicuntur.

294 Caſu verò quod aliter applicentur, difficilè eſt quidem reſoluere,
quibus proſint tunc ſacrificia; cum illis, pro quibus applicata fuerint a
Sacerdotibus offerentibus, non autem à Prælato, prodeſſe velint Henri-
quez *lib. 9. de Miſſa. cap. 21. num. 6.* Suarez *tom. 3. in 3. p. diſp. 79. ſect. 9. verſ.*
*Alij nihilominus.* Peyrin. *d. cap. 6. §. vnic.* Tamburin. *dict. quæſit.* 8. *num.* 1.
Fagundez *eod. lib. 3. cap. 10. nu. 4.* Diana *loc. infrà adducendo*, cum alijs plu-
ribus Thomas Hurtadus *tom. 1. tract. 3. cap. 6. reſol.* 40. *num.* 267. Lezana
*tom. 1. p. 1. cap. 4. nu. 35.* Quarti *cit. q. 2. punct.* 14. Baſſæus in *Flor. Theol. verb.*
*Miſſa. III. d. num.* 15. Antonius Cotonius in *Controu. lib. 2. controu. 5. cap. 2.*
*num.* 31. Brunon. Nauſſer. in *Polyanth. Theolog. &c. diſ. 9. q. 3. reſp.* 2. A Spi-
ritu Sancto *ead. diſp. 6. num.* 1657. *& tract. 4. diſp. 4. num.* 127. Biſſus in *Hie-*
*rurg. litt. O. num. 27. §. 2.* quam ſententiam veram dicit, & ſequitur Iulius
Caponus *Diſcept. forenſ. tom. 1. diſcept. 20. num. 5.* ex eo quod Sacerdos in
Miſſæ ſacrificio operetur tamquam Miniſter Chriſti, & ità ſe gerat, vt ha-
bens immediatè à Deo poteſtatem; propter quod intentio Sacerdotis, &
Chriſti vna eſſe cenſetur; Vndè talis intentio non ſubditur intentioni Præ-
lati, vt per hanc poſſit fruſtrari; eo modo quo, ſi illi præcipiat, vt non
baptizet, baptizando tamen valet baptiſmus. Et è contrà valere pro qui-
bus offerri intendit, Prælatus velint Fraxinell. *loc. dict. ſect. 7. §. 7.* Barboſ.
*ead. alleg. 24. num. 28.* Leander. *d. tract. 8. diſp. 3. q. 18.* Bordon. *reſol. 25. n. 10.*
& de *Profeſſ. Regular. cap. 23. num. 60. & 61.* Donatus *d. tom. 3. tract. 7. q. 86.*
ſi tamen antecedenter præceperit iuxtà ſuam mentem applicari, cum con-
trariæ applicationis irritatione; quod facere poſſe non dubitant, cum
ſubditi non habeant neque velle, neque nolle; & eo modo quo poteſt eo-
rum vota irritare. Vndè ad contrarias rationes reſpondent, non pendere
quidem à Prælato Sacerdotem Regularem, ſed tamquam Chriſti Miniſtrum
operari quoad conſecrationem, quæ eſt de eſſentia Sacrificij, pendere verò
quoad applicationem valoris, quæ ratio diuerſa eſt, nec de eſſentia Sa-
crificij; & ideò etſi irritari non poſſit intentio conſecrandi, irritari poſſe
illam applicandi.

X 2 295 Ve-

295 Verum nec fundamenta huius ſententiæ illis contrariæ validiora? Ex eo enim quod non habeat ſubditus velle, nec nolle, tantummodò ſequitur teneri velle, quod vult Prælatus, & peccare, ſi contrarium velit: irritari verò propterea poſſe effectum eius contrariæ voluntatis, non abſolutè ſequitur. Et quarè, ſi hoc poſſunt Prælati, non irritant ſuorum ſubditorum actus internos peccaminoſos (loquor de connexis cum actionibus exterioribus) quos, vt tales, prohibere poſſunt, & præcipere, ne fiant v.g. diſtractionem voluntariam in Officio Diuino, eo modo quo actus internos bonos, cum exterioribus tamen coniunctos, vt fiant v.g. attentionem præcipere poſſunt? Vota eatenus irritari poſſe admittitur, quia ex voto reſultat, veluti formalis eius effectus, obligatio quædam moralis, & vinculum aduenit ipſi Religioſo; quæ & ideò poſſunt à Superiore tolli, aut per irritationem, aut alio quouis modo: in applicatione verò Miſſæ, cum nullus moralis effectus, ſeu obligatio in Religioſos reſultet, nec vinculum morale, vt patet; nec apparet, quomodò poſsit illam tollere, aut irrirare, vt benè Fagundez *ibid. num.7*. Et reuerà applicatio Sacrificij ità propria videtur offerentis, & ſacrificantis ob facultatem applicandi ſibi indiuidualiter ab Epiſcopo in ordinatione tributam: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro viuis, & defunctis* (ex quo ad ipſum eam pertinere aiunt Suarez *d.p.3. diſp.79. ſect. 9.* Vaſquez *tom. 3. in 3. p. diſp.231. num.* 11. 13. & 14. Hurtad. *ibid. num.276.* Quarti *cit. q.2. punct.* 8. §. *probatur quia*, & communiter DD.) vt concipere non valeam, quomodò alteri, ſeù perſonæ à Sacrificio extraneæ ità competere poſſit, vt illam offerentis irritare valeat.

296 Nec benè deducit Bordonus ex verbis Canonis: *Et omnium circumſtantium, quorum Tibi fides cognita eſt, & nota deuotio, vel qui Tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, &c.* non ſolum Sacerdotes, ſed & ſine Sacerdote celebrante alios non Sacerdotes, nec celebrantes illud applicare poſſe; atque adeò poſse Prælatum ſubditi Sacerdotis applicationem irritare. Non benè, inquam, deducit quia ly *Offerunt* intelligendum tantummodò lato modo, vt explicat Biſſus in *Hierurg. litt. O. num.* 25. §. 5. ſeù ex deuotione, vt Heriſſonius *ibid. tract.* 1. *ſect.4. cap.3. num.* 15. hoc eſt votis, & orationibus, vt Marcellus de Cauallerijs in *Stater. Sacr. Miſſ. lib.19. num.* 57. ideſt affectiuè, vt explicat Vaſquez *ibid. diſp. 226. num.* 10. & 11. non verò effectiuè, & quod alij à ſacrificio exteri reuera applicent; Et dicuntur offerre, quatenus ſunt de gremio Eccleſiæ, nomine cuius Sacerdos facit, offert, & applicat Sacrificium; vndè nec dicit ad Orationes *Oro*, ſed *Oremus* in plurali, prout diſcurrit Gabriel Biel de *Sacrific. Miſſ. Lect. 26. litt. H.* per quod nec tollitur, quod applicatio fiat à Celebraute, aut ſequitur, quod fiat ab alijs, cum ab ipſa Eccleſia non aliter fiat, quam per ſuum Miniſtrum, ideſt ipſum Sacerdotem celebrantem, vt idem de Cauallerijs *ibid.* & pluribus Scotia

tia de *Sacrific. Miſſ. lib. 2. cap. 4. num.* 1. Et quatenus per hoc, quod dicantur offerre, *vel qui Tibi offerunt*, reuerà effectiuè applicent, intelligendum de applicatione generali, & mediata communi toti Eccleſiæ: non verò de perſonali, & immediata, quæ ſpecialiſſima eſt, & propria ipſius celebrantis. Sed cum hæc mediata applicatio non habeat effectum niſi per immediatam Sacerdotis applicationem, quonam modo hæc ab illa poterit irritari?

297 Quibus tamen prodeſſent, ſcit Deus, nec credo reuelatum. Probabilem vtramque opinionem dicit Diana *ibid. reſol.* 54. ſed primam puto certiorem. Et Mihi ſatis eſt, quod non rectè operaretur Prælatus, qui ſuppoſita irritatione, ſi adhuc conſtaret pro alijs applicata à Sacerdotibus ſacrificia, Conuentus oneribus ſatisfactum putaret; nec pro alijs applicandis ſollicitus eſſet, cum certum non ſit ſua irritatione ijs, quos ipſe intendit, prodeſſe ſacrificium. In hoc conueniunt omnes, peccare mortaliter contrà obedientiam ſubditum, qui diuerſa à Superioris mente applicaret; Quod Intelligendum ſuppoſito Prælati præcepto, vt explicant Thom. Hurtadus *d. tract. 3. num. 262. & 269.* à Spiritu Sancto *d. tract. 3. diſp. 6. nu.* 1656. & 1657. & etiam iuxtà auctores primæ ſententiæ contrà iuſtitiam, ità quod ad reſtitutionem, ſupplendo ſacrificia, teneatur; quod non habet locum in ſecunda ſententia, cum per irritationem ipſi dicant, aut putent applicatum remanere iuxtà Prælati mentem ſacrificium, & oneri Miſſæ ſatisfactum. Quod & de noſtris Sacerdotibus dicendum, ſi formali præcepto impoſito aliter applicarent; nam eo præciſo peccarent ſolum contrà iuſtitiam. Quarti *cit. punct.* 15. §. *probatur autem;* & reſtituere tenerentur, cum, vt dictum eſt, pro Conuentus oneribus celebrare debeant vigore contractus virtualis, qui inter ipſos, & Miſſarum quotidianarum Inſtitutores, vel ſtipendia dantes intercedit, vt expreſsè Fagundez *d. cap.* 10. *num.* 5. & à Spiritu Sancto *ibid. tract.* 4. *diſp.* 4. *num.* 128. Donatus *d. tom.* 3. *tract.* 7. *q.* 87.

298 Alterum, de quo dubitari poteſt, eſt: An Miſſæ, quæ applicantur pro oneribus quotidianis, aut manualibus ſtipendijs poſſint item applicari pro alijs, non ob ſtipendium, quod S. Congregat. de *Celebrat. Miſſar.* decreto repugnare liquet: Sed vel ob charitatem, vel ob amicitiam, aut etiam ob aliam obligationem, ſeù an pro Miſſis, quas pro Religioſis defunctis celebrare tenentur Sacerdotes, vt dictum eſt *num.* 238. poſſint etiam ſtipendia recipi ab ipſis, vel Superiore, & pro vtriſque, defuncto ſcilicet Religioſo, & eleemoſinam dante applicari, ità quod vno tantum ſacrificio vtrique ſatisfiat obligationi? Et licet affirmatiuè reſpondeant cum Marchino *tract. 3. de Sacrific. p. 2. cap. 17. num.* 3. Hurtadus *cit. tract. 2. cap.* 4. *num.* 178. & in puncto *num.* 183. & *ſeq.* & Lezana *t. 2. verb. Miſſa. num.* 22. Leander *eod. tract. 8. diſp. 4. q.* 14. & ſpecificè *q.* 15. Diana *ibid. reſol. 33. n.* 8.

co

eo quia nulla de hoc prohibitio, cum à S. Congregationis decretis ſolum inhibeatur duplex accipi pro eadem Miſſa ſtipendium: non verò pluribus eamdem Miſſam applicari; quod diuerſum eſt; tum quia Sacrificium ex Eccleſiæ inſtituto iam offertur pro pluribus Papa, Regibus, Defunctis &c. ac etiam quia Sacrificium ratione ſuæ infinitatis tantum prodeſt vni, quantum pro pluribus oblatum. Ex quibus poſſe vnicam Miſſam pro pluribus oneribus applicari, & per eam illis ſatisfieri concludunt.

299 Verùm contrarium reſoluendum, & obſeruandum ex oppoſita ratione, quia vnico Sacrificio duplici nequit obligationi ſatisfieri; nam petens pro ſe Miſſam celebrari, & pro Sacerdotis ſubſtentatione dans ſtipendium totam ſibi Miſſam applicari intendit, per Trullench. *tom.3. lib.3. cap.* 8. *dub.*11. *num.*5. Donat. *d. tract.7. q.50. num.*1. A Moſtazo *dict. tom.*1. *lib.2. cap.3. num.33.* appellatione enim rei ſimpliciter venit res tota, & non pars tantum, ex DD. in *Cap. fin. de Verbor. ſignific.* Dec. in *Regul. Id, quod noſtrum, de Regul. Iur.* Naldus *d. verb. Miſſa. num.3.* & dignoſcitur ex eo, quod interrogatus, an pro alijs etiam eamdem Miſſam offerri poſſe conſentiat, certè ſe id non intendere reſponderet. Vndè Sacerdos illud acceptans contrahit talem obligationem, vt debeatur illi totaliter oblatio ſacrificij. Non poteſt ergò eadem Miſſa alteri obligationi, etiam ſine ſtipendio ſatisfacere; Vel, ſi huic ſatisfacit, non ſatisfacit obligationi ex ſtipendio. Et confirmatur ex mente S. Congregationis in *Decretis de celebrat. Miſſar.* § *Deindè*; mandat enim ibi tot Miſſas abſolutè celebrari, quot ſunt ſtipendia; & hoc quia intendit vni obligationi ex ſtipendio vnam integrè Miſſam correſpondere debere: Dum autem integrè illi correſpondere debet, non remanet locus pro alia obligatione. Ita Thomas Tamburin. *loc. cit. lib.3. cap.1. §.3. à num.9. & ſeq.* Quarti *cit. q.2. punct.*20. Paſqualig. *ibid. q.* 952. & 953. Paſſerinus *eod. tom.* 2. *de Statibus q.*187. *art.*4. *à num.* 992. *& ſeq.* & A Moſtazo *d. num.* 33.

300 Nec vim habent adductæ rationes; Non prima, quià ideò Sacra Congregatio prohibet plura ſtipendia pro vna Miſſa recipi; quia Miſſa obligata vni ex ſtipendio remanet totaliter obligata, vt proindè non poſſit alteri obligari. Nec ſecunda, quia procedit de applicatione fructus generalis, qui competit omnibus ratione Sacrificij publici: at quæſtio eſt de applicatione fructus ſpecialis, ſeù medij, quæ ſub ipſius Sacerdotis diſpoſitione eſt; & quam totam intendunt dantes ſtipendium; & ideò obligata vni non poteſt alteri obligari. Nec etiam tertia, quia cum hæc infinitas extenſiua ſit incerta, ſi pro vtraque obligatione applicaretur Miſſa, redderetur vtriuſque obligationis incerta ſatisfactio: obligationes autem certæ certam, & abſolutam ſatisfactionem requirunt. Vndè cum laudatis DD. concludendum, non poſſe qui tenetur pro dante ſtipendium celebrare, eadem Miſſa oneri pro Defuncto Religioſo ſatisfacere, vel è contrà.

301 Et

301 Et quamuis admittatur, vt obſeruant Paſqualigus *d. q.952. num.1.* Paſſerinus *ibid. num.* 990. & alij plures, ſub conditione eamdem Miſſam poſſe pluribus applicari; ità vt celebrans intendat primò ſatisfacere oneri ex ſtipendio, & poſteà etiam alijs, quantum poteſt, quia ex hac conditionata applicatione nullum illi, cui Miſſa debetur, præiudicium; Non tamen habet locum in præſenti; tum quia non agitur de applicatione ex charitate, aut deuotione, quo caſu procedit allata doctrina: ſed de applicatione ex debito, ſeù Miſſæ, quam ex iuſtitia, vt probat Quarti *d. punct.20. §. reſpondeo hoc nullo modo*, pro defuncto Religioſo celebrare tenetur, cui certè tali conditionata applicatione nequit ob dicta ſatisfacere. Sicuti enim applicans Miſſam primò pro Religioſo defuncto, & deindè ſub conditione pro ſtipendium dante non ſatisfacit oneri celebrandi ex ſtipendio, cum talis applicatio eſſet tantummodò conditionata, & contrà mentem dantis ſtipendium; ità nequit Miſſa primò & abſolutè applicata pro onere ex ſtipendio ſatisfieri conditionata applicatione oneri ex Conſtitutionibus, aut ſtatutis certo, & abſoluto pro defuncto Religioſo, vt clarè Paſqualigus *d. nu.1.* nam, vt notat Quarti *ibid. §. Tandem confirmatur, &c.* intentio Religionis eſt, vt defunctis Religioſis applicetur fructus Miſſarum certus, non pendens à DD. opinionibus. Et talis eſt, ſemperque fuit noſtræ Religionis obſeruantia, cum in libris, & computibus Miſſarum, nunquam conſueuerit pro Miſſis, quæ pro defunctis Religioſis celebrantur ſtipendium vllum aut recipere, aut adnotare.

## SECTIO SECVNDA.

### *De cauſis à quotidiè celebrando excuſantibus, & de Superioris conſenſu.*

302 Plures illæ eſſe poſſunt; Et quidem primò infirmitas, quæ ex genere ſuo exhibet cauſam iuſtam, & rationabilem. *Cap. Quod Sedem. De Offic. Ordin. l. Cum hæres. §. Stichus. ff. de Stat. lib. l.2. ſi quis in iudicio. ff. Si quis cauſ. l. Quæſitum. §. 1. ff. de re iudic.* adeòque ſemper excuſat. *l. Apud. §. in arbitrio. ff. de Dol. except.* & alijs pluribus Gonzalez in *not. ad Cap. Cum percuſſio. de Cler. ægrotant. num. 4.* Iulius Caponus *Diſcept. foren. tom. 3. diſcept. 181. à num.2. & ſeq.* Vndè eſt, quod leges generaliter loquentes, reſtringuntur, & non habent locum quoad infirmos. *l. Arboribus. §. de illo. ff. de Vſufruct.* & *l. Si longius.* & *l. Iudex. ff. de re iudic.* & obſeruant Franciſcus Nau. *q.645. num.1. part. 5.* Innocentius in *Cap.1. num.2. de Celebr. Miſſar.* & ideo dicitur, infirmis non eſse poſitam legem. Graff. *Conſil. tom.2. lib.3. tit. eod. de celebr. Miſſ. conſ.2. difficult.2. num. 4.*

303 Qua-

303 Qualis autem eſse debeat hæc infirmitas, vt à celebrando excuſet; non ſatis perſpicuum. Regulam hanc generalem ſtatuit Paſqualigus de *Sacrif. nou. leg. q.* 1124. tunc infirmitatem excuſare à celebratione, quando reddit impotentem ad celebrandum; quam regulam intelligit de impotentia non tam phyſica, quam morali; ſeù quando non poteſt celebrare, niſi cum damno tali, quod ſecundum prudens iudicium reddit impoſſibilem celebrationem; Quarè ſubdit, non ſufficere quamcumque infirmitatem: ſed debere eſſe talem, vt ea ſtante ex celebratione conſurgat graue damnum circà ſtatum, in quo reperitur Sacerdos quoad ſanitatem; & ſic tuſſim, vel catarum, quamuis pro faciliore curatione exigerent, ne patiens exurgere è lecto, non excuſare per ſe (niſi adeò graues eſſent, vt Miſſam omninò impedirent) cum regulariter ità laborantes ſua non omittant exercitia; ſicut nec quartanam exceptis diebus febris, nec ſtomachi, oculorum, aut capitis dolorem, aut leues vertigines, niſi aut dolor notabilem alterationem cauſet quo ad ſtatum corporalem, aut vertigo ſit cauſa inconuenientis alicuius in celebratione propter conſimilem rationem, quod cum ſimilibus indiſpoſitionibus celebrent quamplures.

304 Idem dicit *num. 6.* de digitis; quibus hoſtia tangenda eſt, vulnere, vel morbo offenſis, & de capite læſo, pedibuſque malè affectis, niſi tanta ſit læſio, vt ſinè notabili damno, aut dolore non poſſint pro Miſſæ tempore aut digiti denudari, aut caput diſcooperiri, aut crura, & pedes regere: non verò vbi damnum ſit tantummodò leue, aut mediocris dolor. In dubio verò infirmitatis, ſeù an ſufficiat ad excuſandum ab obligatione, quamuis Iudicis arbitrio relinquendum dicat cum Menoch. de *Arbitrar. cap. 60. num.* 5. Barboſ. ad *d. Cap. Cum percuſſio. num.* 4. rectius arbitrio Medicorum remittendum cenſet Pax Iordan. *tom. 2. lib.* 10. *tit. 39. num.* 45. quibus tamquam peritis in arte ſtandum. *Cap. Fraternitatis. de Frigid. & Maleſic.* & tenuit Rota apud Celſum *deciſ. 9. num. 6.* & ad rem præſentem Paſqualig. *ibid. num. 9.* vbi ad hoc vnius tantum Medici iudicium ſufficere concludit.

305 Quià tamen agit ibi Paſqualigus de infirmitate Capellani, ſeù Beneficiati ad effectum, vt cenſeatur liber, nec ne ab onere compenſandi Miſſas, ad quas ratione Capellaniæ, ſiuè Beneficij tenetur, non videtur eodem modo diſcurrendum de Religioſo ad effectum, vt cenſeatur excuſatus à quotidiè celebrando; cum enim ad id teneatur non ratione Capellaniæ, ſed ſtatuti; & licèt celebrare debeat pro oneribus Monaſterij; cum tamen per alios non infirmos communiter ſuppleatur, ad eum excuſandum non requiritur infirmitas in eo rigore, vt in Capellani infirmitate requiritur. Poſſunt nihilominus & ad rem præſentem hæc aliqualiter deſeruire. Et licet improbabile non ſit eumdem morbum noſtros Sacerdotes excuſare à celebrando, qui per DD. excuſat à Diuini officij recitatione; & ſi non è con-

contrà, cum eſse poſſit, quod quis celebrare nequeat ratione Podagræ, & tamen ad horas teneatur Canonicas; regula generalis pro excuſando Sacerdote à celebrando ratione infirmitatis ea eſse poteſt, quam affert Thomas Hurtad. *Reſol. moral. tom.* 1. *tract.*2. *cap.* 1. *reſol.* 1. *num.* 9. quando morbus talis eſt, vt nequeant membra regi, aut obliget lecto decumbere, aut ità debilem ſtomacho, vel capite reddit hominem, vt ſinè magno incommodo non poſſit ad Altare accedere; quam pariter tradit Paſqualigus *d. q.* 1124. *num.* 1. *&* 3. *fin.* Et quando hæc contingant, ità excuſatur Sacerdos à celebrando, vt cogi nequeat.

306 Sed quoniam & alij morbi quandòque contingunt, qui etſi hominem decumbere non faciant, nec moueri impediant, tamen ipſum reuerà, & non leuiter affligunt, ſufficere videtur, quod Religioſus ipſe aſserat, ſe non benè habere, & à celebratione impediri iuxtà S. P. Auguſtini Regulam: *Denique ſi latens ſit dolor in corpore famulo Dei dicenti, quod ſibi doleat ſinè dubitatione credatur;* maximè ſi concurrant ſigna aliqua exteriora, vt potè pallor vultus, & debilitas corporis, ex quibus probatur infirmitas, vt ex Flamin. de *Reſignat. lib.* 5. *q.* 3. *à num.* 34. Barboſ. in *Cap. Niſi cumprid. eod. tit. de Reſignat. num.* 8. Guazzin. de *Defenſ. Reor. defenſ.* 12. *nu.* 23.

307 Dixi, ſi hæc concurrant, quia S. P. Auguſtini verba non ita intelligenda, vt cuicumque morbum latentem alleganti ſit clauſis oculis credendum; cum loquatur tantum de famulo Dei, ſeù de Religioſo, qui verè ſit ſeruus Dei iuxtà hanc B. Humberti ad hæc Regulæ verba *cap.* 123. interpretationem. *Nec etiam omni ſpiritui credendum eſt de infirmitate; & ideò benè dicit: famulo Dei dicenti, quod ſibi doleat &c. Nam ſunt quidam, qui ex his, quæ in eis videntur, apparent veri ſerui Dei, ſicut dicitur de S. Simpliciano, qui apparebat Auguſtino verus ſeruus Dei, & lucebat in eo gratia Diuina. Signa ſeruorum Dei ſunt, ſeruire Deo die, ac nocte; voluntariè, humiliter, & deuotè obedire Prælato in his, quæ non ſunt contra Deum, vel Regulam; quærere bonum commune, & non priuatum; ædificare proximum verbo, & exemplo. Tali famulo Dei dicenti, quod ſibi doleat, ſinè dubitatione credatur.* Et conſimilem Hugonis à S. Victore: *Iure enim credendum eſt illi, quem boni mores, & conuerſatio ſancta famulum Dei eſſe commendant. Non enim ex ore loquentium cognoſcitur veritas, aut falſitas, ſed à fructibus eorum cognoſcetis eos, dicit Dominus. Bona vita fidem dat verbis: mala vita ipſam etiam veritatem facit eſſe ambiguam. Sinè dubitatione ergò credatur eis, qui ſinè dubitatione ſunt boni.* Sicuti & hanc Michaelis Florentini in *Elucidar. ad Cap.* 4. *Regul. S. Aug.* ſcilicet: *Per quæ verba commonefacit, magna vtendum eſſe compaſſione cum prudentia &c. prudentiam verò in credendo ſeruandam oſtendit per Dei famulo adiectionem; ac ſi diceret, non indifferenter ſic de occulta credendum eſt, quoniam non deſunt ſæpè numero in Monaſterio dolentiam fingentes, vel vt ſuis commodius vacent voluptatibus, vel vt laboribus eximantur Reli-*

*gionis, quibus nullo modo mos eſt gerendus. Sed ſi famulus Dei extiterit, qui ſe intrinſecus dolere aſſeruerit, abſque omni hæſitatione credatur &c.* Qui ſenſus eſt & Seruatij Lairuelz. in *Optic. Regul. Specul. 94.* Peyrini in *Regul. Minim. cap. 6. §. 16. q. 1. num. 2.* & Caramuel. *Comment. in Regul. S. Auguſt. in Theol. Regul. num. 1971.*

*308* Et dato quod hinc cuicunque Religioſo dolorem aſſerenti ſit indifferenter credendum, cum illis tamen credendum dicat S. P. Auguſtinus in ordine ad cibi diuerſitatem, & medicinam, vt ex antecedentibus, & conſequentibus patet, non indè inferri debet, credendum & cuique ſimpliciter latente dolore ſe à Miſſæ celebratione excuſare volenti. Facilitas enim in credendo, quæ ratione Charitatis laudabilis eſſe poteſt in ordine ad medicinam, & curationem, laudabilis eſſe nequit in ordine ad bonorum operum omiſſionem. Vndè extrà caſum famuli Dei, ſi nulla intrinſeci morbi adſint extrinſeca ſigna, non eſt facilè credendum adducenti illum in ordine ad Miſſam non celebrandam, cum, præciſis extrinſecis ſignis, non videatur talis eſſe poſſe dolor latens, vt ſacrificium iuſtè impediat.

*309* Eſt item quoad hoc, ſeù pro excuſando, vel non à celebratione ratione infirmitatis Sacerdote obſeruandum; Si, inquam, exerceat aliquas operationes ſimiles celebrationi Miſſæ, vt eſſet legere, ludere ijs ludis, qui aliquam requirunt attentionem, quia huiuſmodi actionum exercitia declarant potentem ad celebrandum; non obſtante quod illas exerceat ob recreationem; & proindè non ſint moleſtæ; quia neque Miſſa erit moleſta ſaltem non grauiter, ſi coniungatur cum deuotione, præſertim, quia exigit breue tempus. Paſqualig. *d. q. 1124. nu.* 8. Quod tamen intelligendum, ni aliundè impediatur ad Altare accedere, aut ſtare; Et quo ad infirmum, qui diù decubuerit non amplius excuſandum à non celebrando, cum aliquibus diebus ſe ſolo incedere potuerit; infirmus enim tunc ſanus dicitur effectus, cum per triduum ſuis pedibus ambulauerit, vt cum Felin. & Graff. notat Naldus in *Summ. verb. Infirmus num. 4.*

*310* Conſideranda eſt etiam facilitas maior reſpectu Religioſi, cum paratam habeat commoditatem tum Oratorij priuati, tum aſſiſtentium, ratione quorum non obſtante aliquali infirmitate, minore incommodo, & citrà itineris laborem poteſt Miſſam celebrare; etſi nimis defatigaretur in Miſſa longiore v. g. Dominica Palmarum, Miſſam votiuam de Paſſione; ſicut etſi ob oculorum ægritudinem ex Miſſali legere non valet, eam, quam memoria tenet, dicere, vt cum Villalob. Ledeſma, Præpoſit. Vaſq. Diana, Lugo docet Quarti ad *Rubr. Miſſ. Quæſt. fundam. ſect. 2. punct. 4. difficult. 4.* & *punct. 7. §. colligitur primò.* Paſqualig. *q. 244. num.* 10. dummodò tamen circà reliquas actiones videat quod ſatis ſit, vt competenter exequatur ritus, & erroris nullum timeatur periculum; vel ſaltem cum alterius aſſiſtentia Sacerdotis, qui illum adiuuet in colligendis fragmentis, & alijs huiuſ-

modi,

modi, vt requirit Diana in *coordin. tom.2. tract.1 reſol.137.* Cum enim à ſic celebrando in Oratorio priuato omne ſcandali periculum remoueatur, non eſt cur à celebrando abſtinere debeat.

311 Quoad alias cauſas ( præter illas, quæ ex defectu veſtium, altaris, calicis, vini, hoſtiæ, & ſimilium oriuntur, & quæ ex ſe à Miſſa celebranda abſoluunt) hoc vnum noto; non ſufficere leues, ad hoc vt noſtri Sacerdotes à celebrando abſtineant, cum expreſsè graues requirantur à Statuto, *aut graui cauſa*. Verum, cum pro excuſandis Capellanis, & Beneficiatis, ita quod non teneantur ſupplere, hanc ſtatuat *ibid. q.*1125. *num.*1. regulam Paſqualigus: Quod, vt impedimentum excuſare dicatur, debeat eſſe tale, vt moraliter ſuperari non poſſit; vndè *num.6.* deducit, ex huiuſmodi eſſe neceſſitatem, aut ſuſcipiendi iter ob aliquod graue negotium, aut illi vacandi, aut ſeruiendi Reipublicæ, aut propriæ Eccleſiæ, aut audiendi confeſſionem conſtituti in mortis articulo, aut quid ſimile peragendi; ità vt non poſſit ſine incommodo valdè graui, aut proprio, aut alieno omitti; idem, & à fortiori pro noſtris Religioſis ſufficere dicendum, apud quos non ea eſt obligatio, quæ in Capellanis.

312 Obſeruandum tamen requiri Superioris conſenſum, cum ſic apertè loc. ſupr. Conſtitutiones: *Nullo die, niſi ex morbo, aut graui cauſa, & de conſenſu Prioris Miſſæ celebrationem prætermittant*; Vndè poſita graui cauſa, ſi non adſit Prælati conſenſus, non poteſt quis ex noſtris Miſſam omittere; coniungitur enim grauis cauſa cum Prioris conſenſu per dictionem *&* quæ coniunctiua, & copulatiua eſt, & ità æqualiter copulat, vt vtriuſque copulati concurſum requirat, per allegat. a Barboſ. in *Diction. iur. vſufreq. dict.*110. *num.6. & 9.* Idem dico de morbo, ſeù dictionem *&* copulare Superioris conſenſum non ſolum cum immediatè antecedentibus, ſiuè cum graui cauſa: ſed cum omnibus antecedentibus, hoc eſt etiam cum morbo; & ſenſum eſſe, non poſſe, ſiuè ex morbo, ſiuè ex graui cauſa ſine huiuſmodi conſenſu Miſſam omitti; cum hac tamen declaratione: copulare quidem cum morbo non ſumpto pro infirmitate, quæ ex ſe ſit patenter cum celebratione incompatibilis; nam vanè talis conſenſus requireretur, vbi eo denegato parere poſſibile non eſſet: ſed cum morbo ſumpto pro infirmitate, quæ licet cum aliquali difficultate, & incommodo compatibilis ſit cum Miſſæ celebratione; & in tali caſu non poſſe ſine Prælati aſſenſu à celebratione abſtinere; niſi Medicus tunc a Sacrificio abſtinendum declarauerit, cum à Conſtitutionibus *p.1. cap.* 13. §.6. ſic ſtatuatur: *Medico, & infirmario in his, quæ ad ipſos pertinent, obedientiam præſtent*; & aliàs iudicare, an cum tali incommodo celebrare expediat, ad ipſum ſpectet.

313 Quod ſi quæratur, qualis debeat eſſe huiuſmodi conſenſus; dico ſufficere tacitum, quia hæc eſt ratio conſenſus, quod vbi requiritur, tacitus ſufficiat, ad differentiam licentiæ, quæ alias debet eſſe explicita, vt

inter vnum, & alteram diſtinguendo obſeruat Naldus in *Summ. verb. Conſenſus num.* 10. & *verb. Licentia num.*4. Et dato, quod requiratur licentia; cum etiam tacitam, ſeù implicitam ſufficere doceant Sanchez in *Decalog. lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 11. Portell. in *Dub. Regul. verb. Licentia num.* 2. Lezana *tom.* 1. *p.* 1. *cap.* 6. *num.* 55. & *tom.* 2. *verb. Licentia num.* 2. Peyrin. *t.* 1. *q.* 2. *cap.* 2. §. 3. non eſt, cur non ſufficiat in præſenti. Et caſu quo tacitum ſufficere admittere non velimus; ſubdendum, ſufficere, ſi petatur; cum enim in caſu alicuius ex ſuprapoſitis impedimentis iniuſtè denegaretur, habendus pro conceſſo, vt de licentia iniuſtè denegata diſponitur in *Cap. Licet.* 18. *de Regular.* Clementin. 1. *de For. compet.* docentque Murga in *Conſtit. Apoſtol. Conſtit.* 6. *num.* 729. A Moſtazzo de *Cauſ. piiſ. lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 74. nec tunc pœnæ taxatæ ſubijciendus eſſet, cum taxata ſit contrà voluntariè Miſſam omittentes, ſeù delinquentes: non verò cum cauſa non celebrantes.

314 Inter cauſas autem pro excuſando à quotidiana celebratione ex noſtris Sacerdote, nunquam admiſerim indeuotionem; ſi enim Sacerdos quilibet ità viuere debet, vt quotidiè mereatur celebrare (& à fortiori Capellanus, qui ratione beneficij ſpontè ſuſcepti ad id ſpecialiter tenetur) vt benè Campanil. *Diuerſor. Iur. Rubr.* 7. *cap.* 6. *num.* 15. & Paſſerinus *d. tom.* 2. *q.* 187. *art.* 4. *num.* 1113. *verſ. impedimentum*, quantò magis Sacerdos Religioſus, qui ſe ad id voluntariè obligauit, & perfectiorem ſtatum profeſſus eſt?

# SECTIO TERTIA.

## *De Miſſa in triduo maioris Hebdomadæ.*

315 QVotidiè ergo ex dictis celebrare tenentur noſtri Sacerdotes. Et ab hac lege eximuntur ſolo triduo antè Paſcha maioris hebdomadæ: *Nullo die excepto triduo antè Paſcha Miſſæ celebrationem prætermittant*. Sed cum aliud ſit, liberari ab onere Miſſandi; & aliud præcipi Miſſam non celebrare; & ſolum primum importare videatur Statutum, dubitari poteſt, an ſaltem poſſint in ijs diebus Miſſæ ſacrificium offerre, nec ne? Et incipiendo à feria quinta, nullum mihi dubium, poſſe priuatim celebrari, cum nullibi appareat prohibitum, nec in *Cap. In Cœna. de Conſecr. diſt.* 2. vbi Soter Papa: *In cœna Domini à quibuſdam perceptio Euchariſtiæ negligitur: quæ, quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis ijs, quibus pro grauibus criminibus inhibitum eſt) percipienda ſit, Eccleſiaſticus vſus demonſtrat &c.* nam ſermo ibi eſt de communione, quæ tunc ea die ab omnibus fidelibus, & eo modo, quo & nunc in Paſchate omnes id

fa-

faciunt, ſed non de facienda extrà Miſſam à Sacerdotibus. Et quamuis ex aliquibus, ſeù Ordine Romano *Cap. de Cæna Domini*, vbi hæc leguntur: *Communicent Presbyteri primò, poſteà Diaconi, & cæteri omnes, & ità perficiatur Miſſa*; & ex Alcuino de *Diuin. off. cap. pariter de Cæna Domini*, vbi: *Dum cantatur antiphona ad Communionem interim Clerum, & omnem populum communicare*, deſumatur aliquod talis conſuetudinis communicandi in Miſſa, argumentum; & videatur inducta ad imitationem Chriſti Domini, ex cuius manibus omnes in cæna Apoſtoli communicarunt; ex quibus omnibus Francolinus de *Hor. Canon. cap. 30. num. 4. & ſeq.* & Andreas Sauſſay in *Panopl. Sacerdotal. part. 2. lib. 1. cap. 9. art. 2. §. 1.* ità obſeruandum eſſe tenuerunt; prout ſentit & Azorius *Inſtit. Moral. tom. 1. lib. 10. cap. 24. q. 5.* vbi tamen talis conſuetudo recepta ſit.

316 Nihilominus poſſe dicta feria V. ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium confici, cum Soto *diſt. 13. q. 2. art. 2.* & Nauarr. in *Summ. cap. 5. num. 88.* Angelo in *Florib. q. 8. de valor. Miſſ. art. vlt.* docet Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. 80. ſect. 2. §. ſupereſt verò*, vbi ab alijs antiquioribus hanc ſententiam in dubium non reuocatam; & tenent Barboſ. de *Off. Paroch. part. 1. cap. 11. num. 49.* Vincent. Tancred. in *Quæſt. Moral. tract. 3. diſp. 4. q. 71.* Leander *tom. 2. tract. 8. diſp. 5. q. 20.* Paſqualigus de *Sacrific. nou. leg. q. 351.* cum pluribus ab vnoquoque, & fusè ab vltimo allegatis; quibus addendi Scortia de *Sacrific. Miſſ. lib. 2. cap. 5. num. 9.* Paulus à S. Ioann. Euang. in *noſtro Ceremonial. Eccleſ. lib. 4. cap. 11. fin.* Gobat *Theol. experiment. tract. 3. num. 219.* Ioannes Maria Turrinus in *Director. Sacrific. part. 3. ſect. 2. cap. 1. §. dubitatur adhuc*. Biſſus in *Hierurg. litt. F. num. 44.* atque Diana in *coordin. tom. 2. tract. 1. reſol. 73. num. 3.* Thomas Tamburin. de *Method. Miſſ. celebr. lib. 1. cap. 6. §. 1. num. 1.* qui doctrinam hanc communem appellant. Et ratio aſſerti eſt, quia ſuppoſita conſuetudo, quæ eſt vnicum contrariæ ſententiæ fundamentum, talis non eſt, vt habeat vim legis; & hoc quia non inducta animo obligandi, vel ad minus dubium eſt, an inducta tali fine; qua ſtante dubitatione cenſenda eſt non obligare, vt Paſqualigus *loc. cit. num. 5.* & licet nonnulli non ſacrificent, alij plures tamen, & timorati ea die celebrant; quo pariter fit, vt corruat ratio conſuetudinis obligatoriæ, cum, vt talis ſit, debeat eſſe omnium, & non aliquorum, vt Suarez *ibid.* & conſuetudinis varietas elidit vim conſuetudinis obligatiuam, vt cum Menoch. *conſ. 37. num. 39.* Rota *Deciſ. 366. num. 3. part. 4. diuerſor.* & alijs Paſqualigus *ibid.* Et dato quod olim vera, & obligatoria quoad hoc extiterit conſuetudo, non amplius viget, cum per alteram ſubſequentem ſacrificandi, & non communicandi abrogata ſit, vt Diana, & Turrinus *loc. cit.* Præterquamquod non probatur fuiſſe cõſuetudinem, quod omnis Clerus: ſed tantummodò, quod maior pars Cleri communicaret. Quo poſito liberum eſt ſaltèm aliquibus, non communicare, ſed celebrare, vt *ibid.* idem Turrinus.

nus. Nec ſubſiſtit ſuppoſitum, quod communicare debeant ea die de manu Prælati omnes Sacerdotes, quia Chriſtus id inſtituerit in Cæna, dum Apoſtolos communicauit; quandoquidem non communicauerunt, vt Sacerdotes, ſed vt laici, cum ſolum poſt Communionem dixerit: *Hoc facite*. Et ſic ſufficit, quod aliqui ex Clero communicent de manu Prælati: non verò ſequitur, quod nequeant Sacerdotes celebrare, vt Suarez *ibid.* Et ità clarè quoad noſtros permittitur ab Apoſtolicis Conſtitutionibus *d. cap. 4. §. 3.* ibi: *In die Cænæ Domini omnes de manu Prioris communicent, niſi quis eo die iuſta de cauſa, & Prioris expreſſa venia ſacrum fecerit*. Vbi tacitam non ſufficere aduertendum; nam vbi expreſſum requiritur, tacitum non ſufficit ex *Cap. 2. de Præben. Cap. fin. de Procurat. in 6.* Tuſch. *litt. E. concl. 654*.

317 An autem hæc Miſſa publicè, & in Eccleſia, vel priuatim, & in Oratorijs ſine ſæcularium præſentia celebranda ſit, vel celebrari poſſit, dubium. Et priuatim, & in Oratorio celebrare debere qui id voluerit, ſcribit Azorius *d. q. 5.* & ad tollendum ſcandalum, ſi quod eſſe poſſit, conſulit Suarez *ibid.* & ex S. Congregationis declaratione ſpecialiter notat Nicolius in *Theoric. Prax. vtriuſq. Iur. tom. 2. de Celebrat. Miſſ. num. 5. verſ. Vndè communiter* Gutier. *lib. 1. quæſt. Canonic. cap. 30. num. 36.* Sed Thomas Tamburin. *loc. cit.* Paſqualig. *ibid. num. 3.* volunt id fieri poſſe publicè, & in Eccleſia, vbi benè idem Paſqualigus hunc ſcandali ſcrupulum remouet ex eo, quod ſæculares, cum non ſint periti rituum Eccleſiaſticorum, debeant in hac materia licitum iudicare, quod ab Eccleſiaſticis fieri vident; eo magis cum publicè celebretur, quia nemo publicè facit, quod illicitè fecerit. Vbi *num. 4.* Romanam adducit obſeruantiam.

318 Feria verò VI. in Paraſceue nemini licet celebrare nec publicè, nec priuatim, cum ea die Sacrificium non ſit in Eccleſia iuxtà antiquam traditionem, ex *Cap. Sabbato. de Conſecr. diſt. 3.* ſed ſolum conſumetur hoſtia pridiè conſecrata. Ordo Roman. de *Offic. Paraſceu.* Amalar. *lib. 1. de Eccleſ. off. cap. 12. 13. & 15.* Raban. Maur. *lib. 2. de Inſtit. Cleric. cap. 37.* Valafrid. Strab. de *Reb. Eccleſ. cap. 2.* & latè Suaſſay *loc. ſupr. §. 2.* quia tali die paſſio D. N. Ieſu Chriſti ab Eccleſia recolitur, prout geſta eſt; & ideò non repræſentatur myſticè per conſecrationem, vt loquitur D. Thomas *3. p. q. 83. art. 2. ad. 2.* & obſeruat Albin. Flacc. de *Diuin. offic. cap. 18. de Paraſceu.* Et qui ſecus faceret, peccaret mortaliter; cum enim faceret contrà perpetuam Eccleſiæ obſeruantiam, & contrà ſenſum communem Doctorum, eſſet tranſgreſſio in materia graui. Gloſſ. in *Cap. Viſum. d. tit. de Conſecr. diſt. 1.* D. Thomas *loc. cit.* & cum Suarez, Vaſquez, alijſque pluribus Paſqualigus *ibid. q. 335. nu. 4.* & præter eos Gutier. *eod. loc. num. 31.* Gobat. *d. tract. 3. num. 213.* Biſſus *cit. litt. F. num. 46.* & notatur in noſtro Ceremonial. *d. lib. 4. cap. 13. fin.* qua de cauſa nec ea die occurrente feſto SS. Annuntiationis celebrare licet, & conſequenter nec populus tenetur tali die officio, ſeù Miſ-

ſæ

ſæ aſſiſtere, vt ex Sacr. Congregationis decretis Gauant. *tom.*1.*part.*4.*tit.* 9.*num.*24. cum non ſit Miſſæ Sacrificium, vt ſupponit D. Thom.*cit.art.*2. *ad* 2. probant Suarez *d. tom.* 3.*diſp.*75.*ſect.*4.§. *in confirmatione*. Scortia *loc.ſupr.lib.*1.*cap.*5. *ad* 3. docentque Barboſ. *cit. cap.*11.*nu.*46.*&* 48. Leander *d.diſp.*5. *q.*23. Diana *ibid.tract.* 3.*reſol.*19. qui plures alios adducunt, & Biſſus *d.num.* 46. §. 1.

319 Licet è contrà in Sabbato Sancto; quamuis enim eodem modo loquatur de hac die, ac de feria ſexta *d. Cap. Sabbato*; vtriuſque tamen eſt diuerſa obſeruantia; quandoquidem quoad Sabbatum fuit abrogata antiqua non celebrandi conſuetudo; per hoc quod vbi prius nullatenus ea die celebrabatur vſque ad mediam noctem, & initium Dominicæ diei; & vbi abſtinentia à Sacrificio recolebatur quies Chriſti in ſepulchro, poſtmodum cæptum eſt anticipatè celebrari Chriſti reſurrectionem in Sabbato; vndè ſublata antiquâ conſuetudine remota dignoſcitur prohibitio de non celebrando, vt diſcurrunt Suarez *d.diſp.* 80. *ſect.*2.*fin.* Sauſſay *ibid.* §.3. & quamuis neget poſſe Miſſam priuatam celebrari, fauent tamen Gutier. *cit. num.*36. Fagundez *in prim. Eccleſ. præcept. lib.* 3.*cap.* 13. *num.*17. *&* 18. Barboſ. *eod.cap.*11. *num.* 50. Leander *ibid.q.*25. *&* 26. Diana *eod. tract.* 1. *reſol.* 74. *&* 75. & ſuo more pluribus adductis Paſqualigus *ibid.q.*358. *&* *q.*359. Gobat. *eod. tract.*3.*num.*221. Turrin. *d. cap.*3.§. *dubitatur, an.* Biſſus *litt. S. num.*7. & communiter DD.

320 Duo modò circa hæc adnotanda. Primò quoad Miſſam priuatam feriæ V. non poſſe recitari nec in Oratorijs priuatis poſt Miſſam ſolemnem, quia finita ſolemni Miſſa iam incipit officium in Paraſceue, quo incæpto non licet celebrare. Ità Vaſquez in 3.*p.diſp.*232. *cap.* 2.*num.*16. quem ſequuntur Caſtropal.*p.*4. *tract.*22. *punct.*9.*num.*2. Barboſ. *ibid.nu.*49. Leander *loc.ſupr. q.*20. Diana *eod.tract.*1. *reſol.*73. *à num.*5. *& ſeq.* Paſqualig. *cit. q.*351.*num.*6. Gobat *ibid. num.*219. Biſſus *ead.litt. F. num.* 44. §. 1. Nec in Sabbato Sancto antè Miſſam ſolemnem, vt volunt Caſtropal. *ibid. num.*5. Ioan. à Cruce *part.*2. *Director. Conſcient. de Sacrif. Miß. dub.*2. *concl.*1. ſed ſolum aut poſt inchoatam Miſſam ſolemnem, vt Gauantus *part.*4. *tit.* 11. *num.*43. aut ad ſummum ſimul cum ipſa, vt Paſqualigus *q.*363. *num.*3. Quarti ad *Rubr. Miß. p.*1. *dub.*5. *de Sabbat. Sanct.* & hac vtique optima ratione, quia in tantum ceſſauit prohibitio quoad Miſſas priuatas, quatenus auctoritate Eccleſiæ ceſſauit quoad ſolemnem, ità vt priuatæ licitæ non ſint, niſi ratione ſolemnis. Quo autem ad ſolemnem non ceſſat, niſi quando incipit; & donec ipſa incipiat, Eccleſia celebrat tempus Paſſionis. Vndè qui antè Miſſam ſolemnem priuatè celebraret, celebraret reſurrectionem tempore, quo Eccleſia Paſſionem. Sed tutius puto ſolum poſt Campanarum pulſationem, & inchoatam Paſchalem lætitiam, vt Biſſus, *litt. S. num.* 7. §. 5.

321 Non

321 Non tamen improbabilis aſſertio Turrini *d. ſect.2. cap. 1. & cap.3.* quod ſcilicet in Oratorijs priuatis Feria V. poſt Miſſam ſolemnem, & Sabbato Sancto antè illam poſſit celebrari, eo quia cum dicta de incæptione Paraſceue, & lætitiæ Paſchalis locum habeant, vt ipſe dicit, ſolum in Eccleſia publica: non verò reſpectu priuati Oratorij, & priuatæ actionis; quod probat ex eo, quod eodem modo diſcurrendum ſit de Oratorio priuato reſpectu Eccleſiæ, ſicuti de Eccleſia Regulari reſpectu Cathedralis; & tamen nullus dixerit, poſt completam Miſſam ſolemnem in Cathedrali non poſſe incipere ſolemnem in Regulari; & item in Sabbato Sancto, antequam in Cathedrali incipiat ſolemnis, incipere non poſſe in Regulari: quin permiſſum omninò ex prohibitione pulſandi Campanas antequam pulſentur in Cathedrali, quæ vana eſſet, ſi antè Miſſa celebrari non poſſet; nec alia ratione, niſi quia, licet incæperit Paraſceue, aut non incæperit Reſurrectionis lætitia in Cathedrali, non tamen ſic in Regulari. Quod idem dicendum quoad Miſſam priuatim præfatis diebus antè, vel poſt reſpectiuè celebrandam in Oratorijs. Et ita alijs adductis ſentit quoad Miſsam priuatam Sabbati Sancti Leander *ibid. q.28.*

322 Notandum eſt ſecundò, huiuſmodi Miſsam priuatam illis diebus debere eſse de die, etiamſi in ipſis SS. Annuntiationis feſtum occurrat; cum enim de ea non poſſit fieri officium, ſed ſit transferendum; idem de Miſsa, non obſtante quod Miſsa Sabbati Sancti non habeat introitum, ſed incipienda ſit à Kirieleiſon; quia ſi illius diei Miſsa caret introitu quoad ſolemnem, quarè neceſse eſt quod habeat quoad priuatam? Nec dicendum in ſolemni pro introitu inſeruire Prophetias, cum hæ pertineant ad benedictionem fontis. Durand. *Rational. Diuin. Off. lib. 6. cap. 8. num* 14. & ex Alcuino Gauantus *d. p. 4. tit.* 10. *num.* 13. *litt. X.* præterquamquod introitus non legitur antè Confeſſionem, vt prophetiæ. Et ita Gauantus *ibid. num.* 44. Cotonus *Celebr. controu. lib.* 2. *controu.* 5. *cap.* 4. *num.* 89. Diana *d. tract.* 1. *reſol.* 75. Leander. *ead. diſp.* 5. *q.* 27. Biſsus *cit. litt. S. num.* 7. §. 4. Turrin. *d. ſect.2. cap.*1. *&* 3. *fin.* & item cum Veſperis, vt inclinat Gauantus, approbat Leander, diſertè probat Diana *locis cit.* Quæ tamen omnia dicta ſint ex ſuppoſitione, quod nullo S. Congregationis decreto huiuſmodi Miſſæ priuatæ prohibeantur; nam ſi inhibitæ ſint, vt de priuatis in Sabbato Sancto a quibuſdam percipio, mihi tamen non conſtat, ab illis celebrandis abſtinendum omninò.

SEC-

# SECTIO QVARTA.

## *De qualitate Miſſæ priuatæ.*

323 ET communiter loquendo eum officio conformem eam eſſe debere præſcribunt Rubricæ Miſſalis *tit.* 4. *num.* 3. & Rubricæ antè *Miſſ. Votiu.* ibi: *Et quoad fieri poteſt Miſſa cum officio conueniat*; vbi Gauantus *litt.* P. Biſſus in *Hierurg. litt. M. num.* 216. *§.* 2. *& num.* 233. §. 1. obſeruant, ſermonem eſſe de Miſſa priuata, prout & iam ſupra *n.* 108. dictum eſt. Vndè nec ſine rationabili cauſa Miſſa votiuæ illis etiam diebus, quibus aliàs permittuntur (ſcilicet extrà Dominicas, & feſta duplicia, & non nullos alios priuilegiatos dies) celebrari debent, ex eiſdem Rubric. *locis cit.* & mox adducendis, & tradunt communiter DD. Pro qua conformitate videndi Quarti ad *Rubr. Miſſal. p.* 1. *tit.* 4. *dub.* 2. Paſqualigus de *Sacrif. nou. leg. q.* 237. *num.* 3. *&* 4. Biſſus *d. litt. M. num.* 233. §. 1. Pignatell. *tom.* 3. *conſult. Canon. conſ.* 40. *num.* 3. & præ cæteris Hæriſſonius in *Manuductor. Sacerdot. appendic.* 1. *de Miſſ. vot. cap.* 5. vbi a *num.* 24. *& ſeq.* huiuſmodi Miſſæ cum officio conformitatem rationibus, & auctoritatibus ſuadet, & meritò ob reiteratam Rubricarum adnotationem: *Id verò paſſim non fiat niſi rationabili de cauſa, & quoad fieri poteſt Miſſa cum officio concordet, & conueniat.*

324 Cauſam tamen ſufficientem eſſe quemlibet finem honeſtum cenſent Quarti *ibid.* Paſqualig. *loc. cit. nu.* 5. *& q.* 241. cum namque omne honeſtum ſit bonum rationabile, eo ipſo quod habet rationem cauſæ finalis importat etiam cauſam rationalem; cuius generis ſunt particularis deuotio ergà aliquem Sanctum, vel myſterium Paſſionis &c. debitum obedientiæ, fidelitas ratione promiſſionis, onera ſacriſtiæ, vt exemplificant Quarti *ibid.* §. *Dico tertiò*. Paſqualig. *q.* 242. vel gratia aliqua Sancti alicuius ope impetrata, vel impetranda; inuocatio Sancti Spiritus in aliquo difficili negotio, peregrinatio ad pium locum ex deuotione ſuſcepta, votum emiſſum, ſtatus valetudinarius, vel nota debilitas, occupatio prò Confeſſionibus, concionibus, cura infirmorum, & ſimilia, vt addit Heriſſonius *eod. cap.* 5. *num.* 15. & alia, de quibus Paſqualigus *d. q.* 242. non autem quia votiua breuior ſit Miſſa currente; hæc enim ratio præcisè conſiderata nullatenus habenda pro cauſa rationabili Miſſam votiuam dicendi, vt firmant Barboſ. de *Off. Paroch. cap.* 11. *num.* 24. Gauantus *eod. tit.* 4. *litt.* N. Quarti *cit. dub.* 2. §. *Dico ſecundò*. Guyet. de *Feſt. prop. loc. lib.* 4. *cap.* 21. *q.* 4. Biſſus *d. num.* 216. §. 3. Heriſſon. *ibid. num.* 12.

325 Poteſt autem Miſſa de officio omitti, primò ratione debilitatis, quan-

quando valetudinarius, vel podagra, aut oculorum imbecillitate laborans Sacerdos nimium defatigaretur, vt in die Palmarum Miſſam currentem legendo: quo caſu loco illius votiuam de Paſſione, vel Cruce celebrare poſſe admittunt Quarti *ibid. quæſt. proœm. ſect. 2. punct. 7.* Paſqualig. *q. 244. num. 6. & 9.* Heriſſon. *ibid. num. 10.* ſicut & alijs diebus pariter priuilegiatis aliam Miſſam ex votiuis; & ſi ob oculorum imbecillitatem legere non valeat, quam ex illis melius memoria tenet, recitare. Iidem Quarti, & Paſqualig. *ibid.* eo tamen modo, quo *ſupr. num. 310.* dictum eſt; & licet Quarti, & Heriſſonius hanc conditionem apponant: dummodò ad remouendum ſcandalum in Oratorijs priuatis celebretur; eam tamen non neceſſariam dicit *ibid. num. 9.* Paſqualigus; & ego puto a re præſenti alienam, cum ipſa pendeat à Sacerdotis commoditate, & prudentia potius quam ab exigentia, quin quandòque obſeruatu difficilis ſit; nec ſermo ſit, an deceat Miſſam non concordem officio publicè celebrari: ſed an poſſit. Præterquam quod parui momenti ſcrupulus hic eſſe videtur, cum ſæpè ſæpius Miſſæ votiuæ celebrentur non concordes officio, præciſo etiam omni ſcandalo; & vel ignoretur, vt plurimum, quænam Miſſa dicenda ſit, vel dum aliam ab officio vident populi, & eam licere ſit ſupponendum.

326 Secundò, quando infrà hebdomadam faciendum eſt officium de Dominica v.g. infrà Octauam Natiuitatis Domini ſi in Sabbato faciendum eſt de Dominica officium, poteſt Miſſa votiua, & non de Dominica celebrari, quia prohibitio Miſſæ votiuæ eſt pro die Dominica, quæ colitur à Populo, non pro officio Dominicæ. Ita Gauantus *ibid. d. tit. 4. num. 3. §. dubitatum eſt.* Quarti *eod. tit. 4. dub. 13.* Heriſſonius *cit. cap. 5. nu.* 8. ac etiam quia, vt habet Biſſus *ibid. num. 227.* Miſſa de Dominica celebratur tunc ſub ritu feriali, cum dicenda ſit ſine *Gloria in excelſis, & Credo*, vt notat Guyetus *ibid. lib. 4. cap. 2. q. 4.* quo ſtante non eſt, cur Miſſa alia à Miſſa Dominicæ dici non poſſit, adeoque & de *Requiem*.

327 Tertiò, quando Sacerdos in aliena Eccleſia celebrat, in qua aliud feſtum obſeruetur, & officium, vt ſæpè contingit, cum ratione feſtiuitatum particularium ad ibi celebrandum exteri conuocantur; tunc enim non conformem officio propriæ Eccleſiæ, ſed illius, in qua fit ſacrum, Miſſam celebrari poſſe, quin magis congruere ratione feſtiuitatis, ex regul. *Cum fueris Romæ &c.* tradunt Gauantus *part. 3. tit. 10. num. 16. §. non tamen* Thom. Tamburin. de *Meth. celebr. Miſſ. lib. 2. cap. 6. §. 1. nu. 14.* Paſqualig. *q. 245.* Tonellus in *Sacr. Enchirid. lib. 1. cap. 2. §. 8. num. 3.* Quarti *d. tit. 4. dub. 10. §. reſpondeo, & dico primò.* Biſſus *d. num. 216. §. 4.* & etiam quia dum Sacerdos exter celebrans in ea Eccleſia fit miniſter illius, eiuſdem ritibus accommodare ſe debet. Turrinus in *Director. Sacrific. part. 2. ſect. 1. cap. 2. §. reſpondeo quod Votiuum*. Quod idem dicendum de Miſſa de *Requiem*, ſi ibi fiat officium Defunctorum, etiamſi in propria Eccleſia

dici

dici non poſſit ob officium duplicis ritus.

328 Aduertendum tamen primò, quod ſi in ea Eccleſia, in qua Miſſa dicenda eſt, feſtum alicuius Sancti cum Miſſa particulari celebretur, non poſſe exterum Sacerdotem eam legere, quia Miſſæ particularibus perſonis, vt potè Regularibus conceſſæ, non poſſunt ab alijs celebrari, nec in eorum Eccleſijs, vt ex S. Congregat. Rit. 19. *Nouembr.* 1622. declaratione (quam videre eſt in *princip. Miſſal.*) tradunt Gauantus *ibid.* §. *intellige*, & in *Manual. Epiſcop. verb. Miſſæ ritus num.* 1. Io: Maria Nouarr. in *Lucern. Regul. verb. Miſſa. num.* 1. Barboſ. *loc. ſupr. num.* 34. Diana in *coordin. tom.* 2. *tract.* 1. *reſol.* 80. Nicolius in *Floſcul. eod. verb. Miſſa. num.* 23. Biſſus *cit. num.* 216. §. 4. Sed eam dicere, vel quæ ponitur in Miſſali Romano, ſi adſit, vel de communi cum *Gloria*, & *Credo* iuxtà ritum officij illius Sancti, de quo ibi fit feſtum, per Gauant. & Biſſ. *ibid.* eo modo quo Capellani Monialium in earumdem Eccleſijs Miſſas de Sanctis, de quibus officium ipſæ faciunt, ſolum de communi, vbi in Miſſali Romano non reperiatur propria, dicere poſſunt, ex eiuſd. S. Congreg. decreto 20. *Nouembr.* 1628. per Gauantum *loc. cit.* & in *Manual. eod. verb. num.* 8. Nouarr. *ibid. num.* 8. Lezanam *t.* 1. *p.* 1. *cap.* 25. *num.* 43. Quarti *q.* 1. *proœmial. ſect.* 4. *punct.* 5. Tonell. *loc. ſupr.* Biſſum *d.* §. 4. Vndè Miſſas SS. Roſarij ab alijs dici non poſſe, cum ſint tantum Dominicanis conceſſæ, & non alijs, ex eiuſd. Sacr. Congreg. Decreto die 8. *April.* 1628. concludunt Gauantus *ibid. part.* 4. *tit.* 15. *num.* 22. & *tit.* 17. *num.* 9. Nouarr. *ibid. num.* 2. Barboſ. *cit. cap.* 11. *num.* 31. Lezana *ibid. cap.* 21. *num.* 32. Nicolius in *Prax. vtriuſq. iur. tom.* 2. *tit. de Celebrat. Miſſ. nu.* 16. Diana *ead. reſol.* 80. Quarti *cit. punct.* 5. Guyet. *eod. lib.* 4. *cap.* 21. *q.* 2. Biſſus *ibid.* Etſi ratione, vel ſocietatis, vel oneris, vel feſtiuitatis de Roſario Miſſa dicenda ſit, eam vel de Natiuit. B. V. vel de eiuſdem communi celebrandam. Gauant. *cit. tit.* 15. *num.* 22. Barboſ. *ibid. nu.* 32. *& ſeq.* & in *Collect. Deciſ. Apoſt. collect.* 474. *num.* 22. Lezana *eod. cap.* 21. *num.* 26. Baſſæus in *Flor. Theol. verb. Miſſa III. num.* 14. Tonellus *ibid. num.* 5. Nouarr. Diana Biſſus *loc. cit.* Et ità feſtum SS. Roſarij prima Octobris Dominica in omnibus Regnis Hyſpaniarum cum Officio, & Miſſa Natiuitatis B. Virg. celebrandum decreuit Clemens X. die 16. *Septemb.* 1670.

329 Aduertendum ſecundò, concluſionem prædictam habere locum, quando feſtum, quod in aliena Eccleſia celebratur, eſt de Sancto canonizato; nam ſi ſit de tantum Beato, & Miſſam de eo celebrare ſit illi Eccleſiæ, vel Religioni ſignanter conceſſum, tunc extraneum Sacerdotem de tali Beato Miſſam celebrare non poſſe, docent Molfeſius in *Summ. tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 6. *num.* 51. Turrian. 22. *tom.* 1. *cap.* 13. *dub.* 8. probat pluribus Diana *loc. cit. reſol.* 81. Baldellus in *Decal. lib.* 1. *cap.* 9. *dub.* 5. *num.* 9. & tenent Lezana *tom.* 4. *conſult.* 2. *num.* 8. Bordon. *reſol.* 25. *num.* 24. Turrinus *d. part.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 2. §. *Beatificatorum*. Angelus Piſtach. de *Superſtit.*

*cap.5.num.*11. Iacob. Pignatell. *Conſult. Canonic. tom.* 4. *conſ.* 63. *num.* 2. & *tom.*7. *conſ.* 27.

330 Circa quod tamen, quia à ſua prima ſententia recedens contrarium docet Bordonus *deciſ.* 143. ea præcipuè ratione, quod non adſit taxatiua *dumtaxat*; & quod conformitas ſeruanda ſit cum Eccleſia, in qua celebratur, ſumpto argumento ex *Cap. Illa autem diſt.* 12. vbi: *Cum Romam venio Sabbatum ieiuno, cum Mediolani ſum, non ieiuno*, vbi Gloſſ. habet. *Cum fueris Romæ &c.* quo & nos pariter vſi ſumus; inſpiciendæ ſunt omninò formulæ Pontificiarum conceſſionum, & animaduertendæ reſtrictiones diei, loci, perſonarum, aliæque clauſulæ, & illæ obſeruandæ, vt firmant Caſtellinus de *Certit. Glor. Sanct. cap.* 2. *punct.* 1. *num.* 6. §. 1. Tamburin. de *Iur. Abb. tom.* 2. *diſp.* 5. *q.* 9. *num.* 38. nec ab illis recedendum, præſertim ampliando in ſubſtantia, vel modo cultus tali Beato exhibendi. Caſtellin. *ibid.* Quarè etiam ſecluſa dictione, vel clauſula taxatiua, ſi conceſſio celebrandi Miſſam de Beato aliquo facta fuerit expreſſè quibuſdam perſonis, v. g. talibus Regularibus, ab alijs Miſſam de tali Beato non celebrandam reſoluo; cum, vt notat Baldellus *d. num.* 9. tunc ſubintelligatur reſtrictio quoad alios, & vulgati iuris ſit, quod incluſio vnius ſit excluſio alterius.

331 Et probatur, quia vna ex differentijs inter Sanctos canonizatos, & tantum beatificatos eſt diuerſitas cultus; quod ſcilicet cultus canonizati ſit pro tota Eccleſia ſine reſtrictione temporis, locorum, vel perſonarum: Beati verò ſit ſemper cum illis limitationibus, vt Caſtellinus *d. cap.* 2. *nu.* 2. & 9. §. 1. Felix. Contelor. de *Canoniz. SS. cap.* 2. *nu.* 5. 6. 8. & 9. Peyrin. ad *Conſtit.* 16. *Leonis X. num.* 1. Angel. Piſtach. *cit. cap.* 5. *num.* 1. *verb. Tertiò*, & *num.* 2. *verſ. Quartus honor.* Gobat. *Theol. experim. tract.* 3. *appendic.* 1. *ad caſ.* 20. *litt. E.* Lezana *d. tom.* 4. *conſult.* 1. *num.* 60. *ad* 64. Hinc enim infertur, etiam præciſa taxatiua, ex ipſa ſola ratione beatificationis non poſſe perſonas alias ab expreſſis in conceſſione de tali Beato Miſſam celebrare; & ipſam conceſſionem pro talibus perſonis factam, ex ſe excluſionem quoad alias continere; ſicuti conceſſionem pro aliquo loco particulari, excluſionem quoad alium. Paſqualig. *q.* 272. *num.* 15. Sed ſoluitur difficultas ex S. Congreg. Rit. decreto die 5. *Octobr.* 1652. ab Innocentio X. approbato, ibi: *Non potuiſſe, nec poſſe tam Sæculares, quam Regulares cuiuſcumque Ordinis, & inſtituti excedere limites verbales indultorum Sedis Apoſtolicæ ſuper Beatificationibus, præſertim in celebratione Miſſarum*; Et altero die 27. *Septembr.* 1659. ab Alexandro VII. confirmato, ibi: *Sextò Miſſæ pariter, quæ fuerint indultæ certis perſonis &c.* (loquitur de Miſſis conceſſis pro Beatis) *à confluentibus Sacerdotibus quauis dignitate, etiam Cardinalatus inſignitis, minimè celebrentur*; vt videre eſt apud Piſtach. *d. cap.* 5. *num.* 5. & 12. Pignatell. *ead. conſult.* 27. *num.* 12. & 28. qui idem concludunt. Pro quo etiam facit, quod, quando Summi Pontifices volunt Miſſam de Beato & à Sacerdotibus

ad

ad eius feſtum confluentibus celebrari, huiuſmodi facultatem ad eos expreſsè extendunt, vt patet ex tot ſpecialibus ad id conceſſionibus, de quibus Barboſa in *Collect. Apoſt. Deciſ. Collect.*58. ſignum hoc enim eſt, ſecluſo ſpeciali indulto, à nullo præter expreſſos in conceſſione id fieri poſſe.

332 Quo ſtante non intrat Regula de ſe conformando &c. quia locum habet, vbi aliud non obſtet, ſicut non obſtat quando feſtum, vt diximus, eſt de Sancto canonizato, reſpectu cuius quoad cultum amplior eſt libertas, quam reſpectu non canonizati; illi enim omnem honorem, & cultum ſecundum vſum, & conſuetudinem Eccleſiæ exhibere poſſumus: Beatificato verò non niſi illum, vel illos, qui in conceſſione exprimuntur, vt notant Caſtellin. *d. cap.*2. *num.*11. Piſtach. *d. num.*1. *verſ. ſecundò*. Guyet. *eod. lib.*4. *cap.*21. *q.*2. Quo fit, vt Beatus nequeat in Patronum aſſumi, vt probat Guyet. *ibid. lib.*1. *cap.*5. *q.*10. & ex S. Rit. Congreg. decreto Gauant. *cit. Manual. Epiſc. verb. Beator. & Patron. cultus num.* 15. & Pignatell. *eod. tom.* 7. *conſult.* 27. *num.*35. nec in Litanijs publicis inuocari, vt definiunt Angelus Roccha de *Canoniz. Sanctor. cap.*38. *§. quamuis*. Fortunat. Scach. de *Cult. & venerat. Seruor. Dei lib.*1. *ſect.*10. *cap.*3. *§. verùm non licere*. Caſtellin. *loc. cit. num.*15. & ex eiuſd. Sacr. Congreg. declaratione Pignatellus *ibid. nu.*32. nec de eo poſſit Miſſa votiua recitari. Heriſſon. in *appendic. ad Manuductor. Sacerd. cap.*5. *num.*19. & ex S. Rit. Congreg. decreto idem Guyet. *lib.*2. *cap.* 19. *q.*11. Aloza in *Alphabet. moral. verb. Miſsa. ſect.*5. *num.* 59. Biſſus *d. nu.* 232. §.24. & ſic ratio conformitatis poteſt quid licitum ſuadere vbi agatur de Sancto canonizato, non item vbi de Beato. Nec verum eſt, quod pro celebrando in tali Eccleſia Beati feſto debeat de eo ab exteris Sacerdotibus Miſſa celebrari, vt vult Bordonus *cit. deciſ.* eo modo, quo per eumdem Bordonum *cit. reſol.*25. *num.*24. neceſſe non eſt, quod pro ſolemnitate Sancti Canonizati Miſſa eius particularis tali Religioni conceſſa ab alijs dicatur; eadem enim vtriuſque ratio; Et aliàs pro ſolemnitate feſti Beati ſufficit quoad exteros Sacerdotes, quod contribuant celebrando eo modo quo poſſunt; vndè in tali caſu ab exteris Sacerdotibus Miſſam conformem ſuo officio celebrandam eſſe determinat Turrinus *cit. cap.* 1. §. 179. §. *dices*.

333 Duæ aliæ remanent difficultates. Altera, an quando officium duplex eſt ad libitum, poſſit Miſſa votiua, & differens ab Officio recitari. Altera circa Miſſas de *Requiem*, an dici poſſint in duplicibus. Et quoad primam affirmatiuè reſpondet Paſqualigus *ibid. q.*240. putans duplicem eſſe conceſſionem, & vtramque ad libitum: alteram Officij: alteram Miſſæ; vndè infert poſſe acceptari officium, & non Miſſam, adeòque & cum officio duplici votiuam Miſſam celebrari. Sed negatiuè ſentiendum cum Quarti ad *d. Rubr. Miſs. p.*1. *tit.*4. *dub.*12. quia facta electione Officij duplicis, tenetur quilibet ſeruare ritus in Breuiario, & Miſſali pro eodem Officio

cio præſcriptos, nec poteſt pro ſuo arbitrio eos mutare. Contrariatur autem Rubricis *tit.* 4. *num.* 4. Miſſa votiua in duplici. Nec puto verum, quod ſint duæ conceſſiones, & vtraque ſeorſim ad libitum: ſed vnam ſimpliciter officium, & Miſſam ſimul complectentem; ita quod Miſſa dicatur ad libitum non per ſe ſolam, ſed dependenter ab officio; quod ſcilicet omitti poſſit, quando omittitur officium, cum interpretatio rei dubiæ facienda ſit cohærenter ad Rubricas, quæ indiſtinctè Miſſas votiuas prohibent in feſto duplici; quod idem eſt, ac in omni feſto duplici.

334 Quoad alteram de Miſſis de Requiem idem dicendum, ac de votiuis, non poſſe ſcilicet in Dominicis, & duplicibus, ferijſque, & octauis priuilegiatis celebrari. Ita Rubr. Miſsalis *tit.* 5. *num.* 2. ibi: *Miſsæ priuatæ pro defunctis quocumque die dici poſsunt* (cum cauſa tamen rationabili, eo modo quo de votiuis, vt monent Guyet. *d. lib.* 4. *cap.* 23. *q.* 6. Heriſson. *loc. ſupr. Appendic.* 2. *cap.* 8. *num.* 9. *quæres ſecundò*, inſinuatque Biſsus *d. nu.* 243. §. 16.) præterquam in feſtis duplicibus, & Dominicis diebus; in quibus nec etiam præſente corpore dici poſsunt, vt ſubdit Gauantus ad *d. Rubric. litt. X.* etiam ſi feſtum non ſit de præcepto, Quarti ad *d. tit.* 5. *dub.* 2. *difficult.* 1. §. *dico tertiò*. Turrin. *cit. part.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 4. §. *at quæres.* Heriſson. *loc. cit. appendic.* 2. *cap.* 8. *num.* 4. 6. *&* 9. §. *quæres primò*, vbi *num* 5. intelligit & de duplici ad libitum, & ob indiſtinctam Rubricarum prohibitionem pro die, in quo fit de duplici. Nec etiam ob adimplendam mentem Teſtatorum; nam vbi aliàs toleratæ a S. Congregatione in feſtis duplicibus non de præcepto, nunc ab eadem 5. *Auguſt.* 1662. Alexandro VII. approbante prohibitæ, & earum loco de feſto occurrente cum applicatione Sacrificij iuxta mentem Teſtatorum, & Benefactorum ſubſtitutæ. Lantuſca in *Theatr. Regul. verb. Miſsa. num.* 6. Pignatellus *tom.* 3. *conſult.* 40. Biſsus *d. litt. M. num.* 243. §. 16. Heriſson. *ibid. num.* 8. *&* 9. Quarè non amplectenda Quarti ſententia *loc. cit. & difficult.* 3. §. *ſecundò*; & Paſqualig. *q.* 282. *&* 283. reſpectiuè admittentium poſse Miſsas priuatas celebrari in feſto duplici, tum ob Teſtatorum adimplendam voluntatem, tum tempore exequiarum, cum hæc antè præfatum S. Congregationis decretum ab ipſis ſcripta dignoſcantur; vt de primo notat Heriſson. *d. num.* 9. §. *quæres primò*; & videre eſt quoad Paſqualigum ex approbationibus Oper. de *Sacrific. nou. leg.* quæ ſunt de 1658.

335 Quid ergò faciendum quando eleemoſinæ, ſeù ſtipendia dantur pro Miſſis de Requiem, & ſæpè contingit, & duplex eſt feſtum? Docet quidem Paſqualigus *q.* 289. quando duplex eſt officium, poſse Miſsam celebrari de Requiem, vel ob pietatem particularem ergà defunctos, vel quando ex Teſtatoris mente eſsent ſtatim poſt eius obitum Miſsæ celebrandæ, vel caſu quo petens Miſsam de Requiem eſset notabiliter ea non celebrata turbandus, vel ſi adeſset periculum, quod retraherentur fideles

à præ-

à præſtandis eleemoſinis. Sed nullatenus illi ob prædicta adhærendum. Vndè in tali caſu Miſsam eſse de die currente celebrandam, cum nemo contrà Rubricarum præſcriptum, & S.Congregationis decreta Miſsam dicere teneatur; nec ſupponatur à dante eleemoſinam exigi; & alias Miſsa de Sancto non ſit minus defunctis proficua; non obſtante promiſſione de illis dicendis, cum huiuſmodi promiſſiones intelligendæ ſint ciuili modo, & moraliter, quatenus non ſint contrariæ ritui, & ordini Eccleſiæ. Et ità ſentiunt Tamburin. de *Iur. Abb. tom. 2. diſp. 5. q. 9. num. 28. & 29.* Lezana *tom. 2. verb. Miſſa. num. 46.* Donatus in *Prax. tom. 3. tract. 7. q. 92. num. 2. & 3.* & cum multis ex more Diana in *coordin. tom. 2. tract. 1. reſol. 67.* & *tom. 4. reſol. 10.* Quarti *p. 1. tit. 5. dub. 7. fin.* Pignatellus *tom. 2. conſult. 6. n. 1.* & Bordonus *d. reſol. 25. à num. 7.* vbi plura.

*336* Dixi de Miſſis priuatis, quia Miſsa ſolemnis de *Requiem* poteſt celebrari tum in die obitus, & in die feſto de præcepto, exceptis magnæ celebritatis diebus. Ritual. Roman. *tit. de Exequ. à cap. ſi quis die feſto ſit ſepeliendus*, vt fer. 6. in Paraſceu, & die Paſchæ. Gauant. *d. litt. X.* Act. Eccleſ. Mediolan. *part. 4. tit. Inſtructio ad funera.* Heriſson. *d. appendic. cap. 5. num. 12.* præſente tamen corpore. Ritual. Roman. *ibid.* & communiter DD. quod intelligendum puto, non vt vult Paſqualigus *q. 285. num. 4.* de præſentia lato modo, ſeù quatenus cadauer eſt ſupra terram: ſed de vera præſentia, & in Eccleſia, vt explicant Quarti *d. difficult. 1. dico ſecundò.* & Lantuſca *d. verb. Miſſa, num. 7.* Quocumque enim alio ſit in loco, etiam apud Regulares in cubiculo, in quo deceſſit, vel infirmorum Capella, non cenſetur ſufficienter præſens, adhoc vt in die feſto de præcepto Miſsa ſolemnis de *Requiem* dicatur. Heriſsonius *cit. cap. 8. num. 4.* & *cap. 5. num. 8. 9. & 10.* Biſsus *litt. C. num. 544.* tum etiam in die anniuerſario ex ead. Rubric. *tit. 5. nu. 2.* & ſi occurrat officium duplex. Quarti *d. dub. 2. difficult. 2. dico primò.* Paſqualig. *q. 284. nu. 6.* & ex S. Congregationis decreto in vna *Nouarien. 22. Nouembr. 1664.* ab Alexandro VII. approbato 22. *Ianuarij* 1667. in incipien. *Creditæ nobis. in Bullar. in ordin.* 176. quo declaratur Anniuerſaria, & Miſsas cantatas de *Requiem* ex Teſtatorum diſpoſitione relictas in die eorum obitus etiam in duplici maiore non comprehendi in decreto prohibitionis Miſsarum de *Requiem* in die duplici Biſsus *d. num. 243.* §. 16. dummodò non ſit feſtum de præcepto; hoc enim caſu debet præueniri, & die antecedente Miſsa celebrari. Gauantus *ibid. litt. Y.* Quarti *loc. cit. §. dico ſecundò.* Paſqualig. *ibid. num. 7.* Heriſson. *eod. cap. 5. nu. 14.* Quod de feſto de præcepto in foro non in Choro intelligit idem Heriſson. *ibid. num. 13.*

*337* Quod idem dicendum de Miſsis, quæ iuxtà dicta *num. 238.* canuntur pro defunctis Religioſis, cum primum eorum obitus auditur, quando in regione longinqua obierunt; licet enim Alexander VII. meminerit ibi

ſolum

ſolum Miſsarum ex Teſtatorum diſpoſitione, & in eorum die obitus canendarum; vndè infert Biſsus *ibid. §.* 17. 18. *&* 19. ſolum Miſsas anniuerſarias, & ſolemnes, ſeù cantatas, & a Teſtatoribus relictas poſse in feſto duplici celebrari; nihilominus in noſtro caſu idem aſserendum; tum à fortiori, cum huiuſmodi Miſsa habeatur pro die obitus, & vt in die obitus legenda ſit cum vnica oratione, quæ erit illa, quæ habetur pro die tertio, ſeptimo, & trigeſimo, hiſce tamen diebus non nominatis, vt docent Gauantus *part.* 4. *tit.* 18. *num.* 15. Guyet. *lib.* 4. *cap.* 23. *q.* 28. & Biſsus *loc. cit.* §. 9. maior enim eſt ratio Miſsæ pro die obitus, vt potè magis vrgens, quam pro die anniuerſario, vt in ſimili Heriſson. *d. cap.* 8. *num.* 6. tum quia prohibitio Miſsarum de *Requiem* in duplici, de qua in enuntiato Alexandri VII. decreto, eſt tantum de Miſsis priuatis, ibi: *Itàut Miſſæ priuatæ pro defunctis, ſeù de Requiem in duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel præſumant.* Vndè per eam declarationem, quod ſcilicet in eo non intelligantur comprehenſa anniuerſaria, non ſequitur, quod excluſæ ſint aliæ Miſsæ cantatæ, cum priuatæ non ſint, quæ ſunt tantummodò prohibitæ.

## SECTIO QVINTA.

### *De tempore, & loco Miſſæ priuatæ, vbi de Oratorijs, & Altari priuilegiato.*

338 ET antè auroram, & poſt meridiem Miſsam celebrari non poſse communiſsimum eſt. Rubric. Miſsal. *tit.* 15. *num.* 1. quod intelligendum præciſis priuilegijs; nam ſi priuilegia Religionis Auguſtinianæ attendantur, poſt matutinum Miſsam celebrandi facultatem habet hæc ex Innocentij VIII. conceſsione in incipien. *Vacantibus ſub Religionis &c.* 17. *Kal. Decembr.* 1486. vt in Bullar. Ordin. inter eius Pontific. *Conſtit.* 3. *nu.* 2. & de qua Paſqualigus de *Sacrific. nou. leg. q.* 424. *nu.* 3. & ſi alia alijs conceſsa, & de quibus Roderic. *tom.* 1. *q.* 43. *art.* 1. per horam antè auroram celebrare poſse Regulares admittitur ab omnibus mox laudandis. Quid quid ſit de eorum abrogatione, quam intendit Peyrinus *tom.* 1. *ad Conſtit. Pyrrh.* §. 7. *num.* 19. per Concilium Tridentinum *Seſſ.* 22. *decr. de obſeru. & vit. in celebr. Miſs.* quæ conſiderari non meretur, cum quaſi idem & ipſe Peyrinus *ibid. num.* 20. admittat ob alia, & ad dictum Concilium poſteriora priuilegia, ſcilicet Gregorij XIII. Monachis Congregationis S. Iuſtinæ, & Societati Ieſu in incip. *Quanta in vinea Domini &c.* per horam ante auroram Miſsam præueniendi. Vndè, cum aurora accipiatur pro initio crepuſculi diei, ſeù prima lucis irradiatione, quæ, vt Gabriel Biel *lect.* 14. *in Canon.* notat ex Scot. in 4. *diſt.* 13. *q.* 2. incipit vna hora,

hora, & quinta, vel vt alij legunt, quarta parte horæ antè corporalem ſolis ortum; & ex priuilegio habeatur, poſſe per horam antè illam Miſſam anticipare, ſequitur, quod vel tribus horis antè ſolis ortum poſſit Miſſa dici, vt volunt Roderic. *loc. cit.* Suarez *3. p. tom. 3. diſp.* 80. *ſect.* 4. §. *tertia exceptio.* Filliuccius *tract.* 5. *cap.* 4. *q.* 7. *num.* 112. Caſtropalaus *tom* 4. *tract.* 22. *diſp. vnic. punct.* 7. *num.* 13. de Lugo de *Eucbariſt. diſp.* 20. *ſect.* 1. *num.* 32. Thomas Tamburin. de *Method. celebr. Miſs. lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *num.* 5. Diana in *coordinat. tom.* 2. *tract.* 1. *reſol.* 101. *num.* 3. & *reſol.* 103. *n.* 2. Leander *tom.* 2. *tract.* 8. *diſp.* 4. *q.* 3. Quarti ad *Rubric. Miſſal. part.* 1. *tit.* 15. *dub.* 6. Biſſus in *Hierurg. litt. M. num.* 202. §. 8. Heriſſonius in *Manuduct. Sacerd. tract.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 4. *num.* 8. *&* 9. vel ſaltem duabus cum dimidia, vt docent Pax Iordanus *tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 89. Peyrin. *loc. ſupr. num.* 21.

339 Verùm, cum non eadem ſit, & pro omni tempore auroræ duratio, ſed quandoque maiorem, vel minorem habeat latitudinem, vt obſeruant Quarti *ibid. dub.* 2. §. *Reſpondeo*, & Paſqualigus *ibid. q.* 398. & *q.* 401. *nu.* 5. non videtur ſatis firma determinatio hæc de duabus cum dimidia, vel tribus antè ſolis ortum horis: ſed obſeruandam iuxta temporum diuerſitatem, vel ex cælo, vel ex tabulis crepuſculorum auroræ durationem, & indè regulandam horam, qua liceat antè eam celebrare, docet Paſqualigus *d. q.* 398. *num.* 4.

340 Aduertendum tamen, non requiri computationem mathematicam, ſed ſufficere moralem. Suarez *d. ſect.* 4. §. *ſecundò inquiri*. Bonacina de *Sacram. Euchariſt. diſp.* 4. *q. vltim. punct.* 9. *num.* 4. Caſtropal. *ibid. nu.* 12. Quarti *d. dub.* 2. *difficult.* 1. Heriſſon. *cit. ſect.* 4. *cap.* 3. *num.* 6. *&* 7. & dari quoad hoc paruitatem materiæ, quam ad dimidiam horam extendunt Suarez *ibid.* Fagundez in *Præcept.* 1. *Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 6. Bonacina *eod. punct.* 9. *num.* 2. vel ad minus ad quadrantem, vt Paſqualigus *q.* 400. *nu.* 9. quæ ad remouendos ſcrupolos conducunt.

341 Vltrà meridiem etiam poſſe per tres horas à Regularibus Miſſas protrahi ex Eugenij IV. priuilegio apud Roderic. *Bull.* 11. *num.* 6. pro certo tenet Ioannes de la Crux in *Directør. Conſcient. p.* 2. *de Sacr. Miſs. q.* 2. *dub.* 1. *concl.* 4. Tamburin. *loc. ſupr. num.* 24. de Lugo *ead. diſp.* 20. *num.* 42. Diana *ibid. reſol.* 104. *num.* 3. *reſol.* 108. *num.* 3. *reſol.* 109. *num.* 4. & *reſol.* 110. Leander *ibid. q.* 10. Quarti *cit. dub.* 6. *fin.* Quod nullatenus reuocatum volunt, & ſuſtinent Roderic. *ead. q.* 43. *art.* 5. Diana *ibid. reſol.* 102. *num.* 3. *& d. reſol.* 109. *num.* 5. Paſqualigus *q.* 428. & Thomas Tamburin. *loc. cit. num.* 16. *&* 24.

342 Verùm, cum ſine cauſa, ſiue itineris, ſiue ſtudiorum, vel conſimili, & de quibus Tamburinus *loc. cit. num.* 25. ad praxim non reducendum moneant Lugo *cit. num.* 42. Leander *d. q.* 10. & reuera ita ſonent verba priuilegij, non adeò anxios nos eſſe debere puto, an reuocatum ſit nec ne, cum

iam ex cauſa Miſſam vſque ad nonam prorogari poſſe præciſo priuilegio multis adductis adſtruat Paſqualigus à *q.*415. *ad* 419. Quod tutius affirmari poſſe videtur, cum abſolutè vna cum Nauarr. & Dicaſtill. contrà Suarez, ſcilicet ad nonam vſque, nullo priuilegij facto verbo, poſſe Miſſam celebrari affirmet Gobat in *Theolog. experim. tract.* 3. *num.* 201. & nouiſſimè defendat Iacobus Pignatell. *tom.* 8. *conſult.* 44. *à numer.* 8. *& ſeq.*

343 Vt cumque tamen ſit, cum per horam poſt meridiem ſit ex recepta conſuetudine celebrare permiſſum cuilibet Sacerdoti, non ſolum vbi non valeat die feſto antè meridiem celebrare, vt cum Henriquez *lib.*9.*cap.* 24.*num.*6. Roderic. *d.q.*43. *art.*2. & alijs Caſtropalaus *cit. punct.* 7.*num.*14. *fin.* ſed abſolutè ex vſu, & praxi communi Clericorum, vt Leander *ibid. q.*11. Diana *d. reſol.* 108.*num.*2. Biſſus *eod. num.*202. §. 7. & aliàs ſit Regularibus per horam poſt Meridiem celebrare conceſſum ab eod. Gregorio XIII. iam tutè per duas horas poſt meridiem Miſſæ Sacrificium conficere poſſunt, ſecus nihil operaretur priuilegium. Gauant. *d. tit.*15. §. *priuilegiati.* Pellizzar. *Manual. Regular. tom.*2. *tract.*8. *cap.*2. *num.*97. quem ſequitur Diana *ead. reſol.*103. *nu.*2. Trullench. *Prax. reſol. Sacram. lib.* 3. *cap.*8. *dub.*13. *num.*7. Biſſus *eod. num.* 202. §.8. Heriſſon. *d. cap.* 4. *num.* 9. Circa quod notandum, eadem valere, quæ ſuprà de computatione morali non mathematica, ac de paruitate materiæ dicta ſunt, vt præ cæteris Paſqualigus *ibid. q.*112.

344 Difficultas alia eſt, an in nocte Natiuitatis Domini poſſint poſt eius medietatem omnes tres Miſſæ celebrari? Et quidem olim affirmatiuæ ſententiæ adhærebam, quæ eſt Suarez *loc. cit. ſect.*4. Pacis Iordani *d. lib.*4. *tit.*1. *num.*91. Caſtropal. *ibid. num.*13. Peyrini ad *eamd. Conſtit. Pyrrh. n.*22. Quarti *d. tit.*15. *dub.*7. Paſqualigi *q.* 406. Thom. Tamburin. *cit.* §.4. *nu.*3. Leandr. *ead. diſp.*5.*q.*31. & Dianæ *vbi ſupr. reſol.*98. *&* 99. vbi ambo alios plures adducunt. Contraria tamen amplectenda, quæ antiquiorum eſt, & quos refert, ſequiturque Francolinus de *Temp. horar. Canonic. p.* 1. *cap.* 39. *num.* 20. & aliorum apud Leandr. & Dianam *loc. cit.* & quam communiorem dicit Gauantus *ibid. part.* 4. *tit.* 3. *num.* 6. tenetque Bordonus *reſol.*56. *num.*159. vbi argumenta Suarij reſoluere conatur; & obſeruanda, cum ſic S. Rituum Congregatio pluries decreuerit. *Patres S. Caroli Congregationis Clericorum Regularium petierunt reſponderi, an liceat in nocte Natiuitatis Domini poſt cantatam primam Miſſam alias duas immediatè celebrare, & communicare fideles?* Et Sacra Congregatio reſpondit. *Nullo modo licere, ſed omninò prohiberi*. 20. *Aprilis* 1641. & iterum. *Cum ſuperioribus diebus conſulta hac S. Rituum Congregatione, an eſſet permittendum celebrari in media nocte Natalis Domini poſt Miſſam decantatam ſucceſſiuè alias duas Miſſas, & in eis Sacram Communionem exhibere fidelibus illam depoſcentibus, &*

*reſpon-*

*reſpondiſset, non eſse permittendum, ſed omninò vtrumque prohiberi; nihilominus nonnulli Regulares aſserentes hoc licere, ſupplicarunt audiri. Et S. Congregatio ipſis auditis cum Procuratoribus, & Aduocatis ad relationem Em. Pallotti ſtetit in decretis, & reſpondit, iterum prohibendum tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quam confluentibus in media nocte ad Eccleſias, & Communionem depoſcentibus. Die 7. Decembr.* 1641. Atque ita adnotatur in Bonacina in *addit.* nouiſſimæ impreſſionis Mediolan. de 1683. *loc. ſupr. nu.6. fin.* & ex his docent Lantuſca in *Theatr. Regular. verb. Miſsa num.* 5. Pignatellus *tom.7. conſult.25. à num.8. &* 11. & Biſſus *d. litt.M. num.*242. §.2. qui ſic addit: *Non debet ſupradicta affirmatiua ſententia amplius tueri*; & quia Mendo in *Epit. verb. Euchariſtia num.* 9. hoc decretum non obſeruari dixit, eo fortè quod non ſit ſufficienter publicatum, ſubdit: *At ego non poſsem hoc niſi gratis dicere.*

345 Quoad ſecundam partem verò de loco Miſſæ, iam non eſt ſermo hic de Eccleſijs, cum certum ſit in ipſis ſolis celebrari poſſe, aut conſecratis iuxtà antiqua iura, & de quibus *num.* 212. aut & non conſecratis de Epiſcoporum tamen conſenſu, vt ex *Cap. Miſſarum. Cap. Hic ergo. de conſecrat. diſt.* 1. Pax Iordan. *d. lib.* 4. *tit.*1. *num.* 113. & 114. Nec de Oratorijs publicis Diuino cultui deputatis, in quibus pariter à Concilio Tridentino *Seſs.*22. *cap.* 8. Miſſæ permittuntur. ibi Barboſa *num.*21. & 22. Paſqualigus *q.*447. *num.* 10. Neque de Altari ad Miſſam requiſito ex antiquiſſimo Eccleſiæ ritu, de quo Ioan. Stephanus Durant. de *Ritib. Eccleſ. Cathol. lib.*1. *cap.*15. *num.*2. & *ſeq.* & *cap.*25. *num.*1. Andreas Sauſſay in *Panopl. Sacerdotal. part.*2. *cap.* 8. *art.*1. Card. Bona in *Rer. liturgic. lib.* 1. *cap.*20. ſed ſermo eſt de Oratorijs, & locis priuatis, ac de Altaribus priuilegiatis; & quoad aliqua tantum ex his, quæ Regulares ſpecialiter concernunt.

346 Et quidem Regulares in Oratorijs, quæ in eorum Monaſterijs, clauſtris, infirmarijs ſolent eſſe, Miſſæ ſacrificium celebrare poſſe nullum eſt dubium ob eorum priuilegia; & ſignanter meæ Religionis Eremitanæ ab Innocentio IV. conceſſa, & ab Alexandro IV. & Clemente IV. confirmata, prout in Bullario Ordinis *pag.*27. & *pag.*63. ibi: *Nos humilitatis veſtræ precibus inclinati, auctoritate vobis præſentium indulgemus, vt in locis, & Oratorijs veſtris cum viatico Altari poſſitis Miſsarum ſolemnia, & alia Diuina officia celebrare.* Cum namque non ſint priuatæ domus, nec omninò extra Eccleſiam; quandoquidem nomine Eccleſiæ veniunt etiam Religioſorum Clauſtra, vt colligitur ex *Cap. Abbati.* §. *hac autem. diſt.*54. *Cap. Alma Mater. de Sent. Excommun. in* 6. vbi Gloſſa *verb. Monaſter.* præter allegatos à Barboſ. de *appellatiu. verb. iur. appell.* 85. *num.*10. & 11. non ſunt a Tridentino (à quo ſolum in priuatis domibus, vt dictum eſt, celebrari cauetur) reuocata. Et ita docent Roderic. *tom.*2. *q.*75. *art.*1. Peyrin. *tom.*1. *ad d. Conſtit. Pyrrh. num.*29. & 31. Lezana *tom.*1. *part.*1. *cap.*21. *num.*14. Tambu-

burin. de *Iur. Abb. tom. 2. diſp. 5. q. 6. num. 4. 5. & 8.* Thomas Hurtad. *tom. 2. reſol. moral. tract. 12. num. 2222.* Ceſpedes de *exempt. Regular. cap. 5. dub. 91. nu. 1.* Diana in *coordin. tom. 4. tract. 2. reſol. 11. & 16.* Quarti *loc. ſupr. part. 3. tit. 10. ſect. 2. dub. 8. & dub 9.* Paſqualigus *q. 484. num. 4. & 6.* vbi *num. 1.* in ſpecie de ſupradictis Eremitanæ Religionis priuilegijs, & *q. 487. nu. 1.*

347 Quod idem dicendum eſt de Grangijs, & prædijs eorumdem Regularium ob priuilegia Alexandri VI. & Eugenij IV. & alia, de quibus Roderic. *ibid. art. 2.* Peyrin. *loc. cit. num. 30.* Tamburin. *d. q. 6. num. 6.* Diana *reſol. 12.* Lezana *ibid. num. 15.* Hurtadus *eod. tract. 12. num. 2223.* Paſqualigus *q. 488.* Pro quo facit, & priuilegium à Gregorio XIII. Societati Ieſu poſt Concilium Tridentinum conceſſum, in proprijs ſcilicet eorum domibus in priuato Oratorio à Prouinciali approbato ſine alia Epiſcopi licentia celebrandi; de quo idem Roderic. *ibid. art. 4.* & Suarez *d. tom. 3. in 3. p. diſp. 81. ſect. 3. except. 4.* Pax Iordanus *ibid. num. 142.* Quin & in ruralibus domibus, in quibus ob honeſtam animi relaxationem degunt, vt cum Garzia in *Summ. tract. 3. difficult. 8. dub. 2. punct. 3. num. 31.* Paſſerin. de *pollut. Eccleſ. diſp. 2. cap. 11. num. 2.* idem Paſqualigus *q. 491.* Diana *d. reſol. 12. num. 5.* Petrus Maria Paſſerinus de *Statib. tom. 3. q. 189. art. 10. num. 984.* cum & iſtæ ſint Religionis domus.

348 Item in cubiculis, ſeù cellis Religioſorum, quandò ità infirmantur, vt è cubiculo exire nequeant, iuxta priuilegium Pij IV. Canonicis Lateranenſibus poſt dictum Tridentinum, vt habent Peyrinus *ibid. nu. 34.* Lezana *tom. 2. verb. Altare num. 15.* Hurtadus *loc. dict. num. 2228.* Ceſpedes *d. cap. 5. dub. 93.* Diana *reſol. 13. num. 3. & reſol. 16. num. 2.* Quarti *d. dub. 8. §. colligitur primò.* Paſqualigus *q. 479.* vbi *q. 482.* habere locum etiam in domibus ſæcularium, in quibus fortè modo ſupradicto eos infirmari contingat, cum ſit priuilegium perſonale ſequens perſonam. Ceſpedes *ibid. dub. 93. num. 2.* quod tamen reiciunt Lezana *ibid. num. 16.* & Diana *cit. reſol. 16. num. 3.* non ſolum, quia priuatæ domus ſunt, & omninò extrà Eccleſiam: ſed etiam quia contra voluntatem Epiſcoporum, qui id non permittunt, & contrà vſum; nec, addo ego, iuxtà mentem Pij IV. qui videtur loqui de proprijs Religioſorum cubiculis.

349 Difficultas eſt de priuatis ſæcularium Oratorijs, ſeù capellis. Primò an in illis celebrare poſſint Regulares ob prohibitionem Concilij Tridentini *loc. ſupr.* qua in huiuſmodi priuatis Oratorijs celebratio inhibetur, ibi: *Neue patiantur* (ſcilicet Epiſcopi) *priuatis in domibus, atque omninò extrà Eccleſiam, & ad Diuinum cultum dedicata Oratoria ſanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi?* Secundò, poſito quod poſſint, an quando iam eſt vna Miſſa celebrata, ob conditionalem clauſulam in huiuſmodi conceſſionibus apponi ſolitam, *vnam Miſſam pro vnoquoque die?* Tertiò an in feſtis exceptis, quæ ſcilicet à Pontifice excipiuntur?

tur? Et certum eſt paſſim id fieri non poſſe. Si tamen occurrat caſus feſtiuitatis etiam ex exceptis, & in itinere ſit Regularis, nec adſit, aut Eccleſia, aut Oratorium vllum, in quibus valeat celebrare, in hoc priuato Oratorio, vt præcisè ſuæ deuotioni, vel præcepto Miſſæ ſatisfaciat, etiam poſt alteram recitatam Miſſam, celebrare poſſe non denegarem. Quidquid enim ſit, an Regularium priuilegia, & de quibus in *Cap. In his. de Priuileg.* celebrandi cum Altari portatili in quocumque honeſto loco etiam in domibus ſæcularium, vt explicant Ioannes la Crux *Epit. de Stat. Relig. lib. 2. cap. 5. dub. 7. concl. 4.* Leander *tom. 2. tract. 8. diſp. 6. q. 17.* reuocata ſint, nec ne; probabiliſſima ſaltem ſententia eſt, non eſſe reuocata, niſi vbi contradixerit Epiſcopus, quia verba *non patiatur Epiſcopus &c.* non ipſa tollunt directè priuilegia: ſed dant tantummodò facultatem Epiſcopis prohibendi Regularibus etiam contra priuilegia, ne extrà Eccleſiam, ſeù in domibus priuatis celebrent. Quo fit, quod ſi non prohibeant, non ſit Regularibus prohibitus vſus priuilegiorum. Ità Roderic. *d. q. 43. art. 5.* & *tom. 2. q. 75. art. 1.* Portell. in *Dub. Regular. verb. Altare. num. 1.* Lezana *tom. 2. eod. verb. Altare. num. 13. & 14.* & *tom. 3. in Mar. magn. Prædicator. num. 118.* Hurtad. *loc. ſupr. num. 2226.* Quarti *cit. dub. 8. §. ſecunda ſententia.* Ioannes de Lugo *cit. diſp. 20. ſect. 2. num. 5.* cum multis Diana *ead. reſol. 13. num. 1.* & alijs pluribus adductis Paſqualigus *q. 474. num. 5. 8. & 9.* Quæ doctrina, ſi aliquando locum habere debet, in tali caſu potiſſimè; adeòque, cum non adſit, quin nec in ea contingentia ſupponatur Epiſcopi prohibitio, non eſt, cur in tali caſu in priuato Oratorio nequeat celebrare.

350 Additur, quod mens Concilij in eo decreto fuit tantum tollere, vt in domibus priuatis non erigantur Oratoria ſine licentia, & approbatione Ordinarij, in quibus poſſit Miſſæ ſacrificium celebrari, vt interpretatur Roderic. *d. q. 75. art. 1. §. circà quas. verſ. quibus nunc addo*; & ad effectum euitandi abuſus, vt ſubdunt Barboſa in *Collect. ad d. Concil. ibid. nu. 16.* Pax Iordanus *cit. tit. 1. num. 118.* & Paſqualigus *q. 474. num. 9.* Cum autem ſermo ſit hic de Altari cum Summi Pontificis licentia, & Ordinarij approbatione, ſeù validè, & licitè in priuata domo erecto, ſumus iam extrà caſum prohibitionis Concilij. Et ideò poterit ibi, tunc ſaltem Miſſa celebrari; Non obſtante, aut quod fuerit iam vna Miſſa celebrata, aut ſit dies excepta, quia hæ conditiones eos tantummodò ligare videntur, quibus conceſſum eſt priuilegium Oratorij; quod eis ſcilicet nec plus quam vnam Miſſam, nec in die excepto liceat celebrare facere; & hoc ad effectum, vt in tali excepto die ad Eccleſiam accedant; & vna tantum Miſſa in die celebretur in commodum ipſorum ſæcularium, vt benè dignoſcitur ex ipſis Paſqualigo *q. 636.* & Quarti *loc. ſup. dub. 10.* licet contrarium ſentiant. Quæ non habent locum in caſu noſtro, vbi non iam ſæcularis alicuius, ſed ipſius tantum celebrantis Regularis commoditas, & vtilitas attenduntur,

tur,

tur, & intenduntur. Saltem æquitati congruum id mihi videtur; nec puto contrarium menti ſummorum Pontificum.

351 Quo autem ad Altare priuilegiatum, quatenus Regulares reſpicit, plura ex Compendio priuilegiorum PP. Prædicatorum nuduum edito refert Ioannes à Cruce *d. Theſaur. de Stat. Religioſ. lib. 2. de priuil. fin. poſt indicem impreſſ. Matritenſ. ann.* 1628. Primò quod Religioſus conuentualis liberat animam a Purgatorio pro ea celebrando in Altari Crucifixi, ex Gregorij XIII. conceſſione *Bull.* 2. Secundò, quod idem celebrans in Altari maiore Eccleſiæ pro anima Religioſi eam pariter liberat à Purgatorio ex Innocentio VIII. *Bulla.* 8. Et tertiò, quod Prælatus localis poſſit ſemel pro ſemper deputare Altare, in quo quilibet Religioſus Conuentualis celebrans Miſſam de *Requiem* pro aliqua anima, eam à pænis liberat Purgatorij, ex conceſſione eiuſdem Gregorij XIII. Ità Antonius à Spiritu Sancto in *Director. Regular. tract. 2. diſp. 5. ſect. 2. num. 42. & 43.* Hurtadus *tom. 1. reſol. moral. tract. 2. num.* 104. vbi addit id & à Clemente VII. conceſſum. Leander. *tom. 2. tract. 8. diſp. 7. q.* 70. Paſqualigus *q.* 757. quæ alijs Regularibus communia ſupponit Hurtadus; cum laudato Ioanne à Cruce, & Quintanaduen. *tom. 1. tract. 4. dub. 8. 9. &* 10. expreſsè dicit idem à Spiritu Sancto; & de tertio ſaltem non dubitat Paſqualigus *ibid. num.* 4. vbi *num.* 6. obſeruat, quod ſiue in Eccleſia adſint Altaria Crucifixi, Spiritus Sancti, Beatæ Virg. Mariæ, & S. Magdalenæ in dictis priuilegijs enuntiata, ſiue non, poſſe vel vnum ex his, vel aliud à Superiore ad huiuſmodi effectum deputari. Quod & ad nouos, & erigendos Conuentus extendit Antonius à Spiritu Sancto in *Conſult. var. conſ.* 73.

352 Eſt item priuilegium a Leone X. Benedictinis, & per communicationem alijs Religioſis conceſſum, vt quilibet Religioſus Sacerdos dicens tres Miſſas pro quocumque affine ſuo intra tertium gradum in Altari à ſuo Superiore deputato, & aſſignato liberet animam eius à Purgatorio, ac ſi in Altari priuilegiato S. Gregorij, aut S. Sebaſtiani de Vrbe celebraret. Garzias in *Summ. moral. tract. 3. difficult.* 11. *dub. vlt. num.* 3. Peyrin. *tom. 2. ad Conſtit.* 8. *Pauli V. num.* 6. Diana in *coordin. tom. 4. tract. 1. reſol.* 6.

353 Eſt & aliud a Clemente VIII. in incip. *De omnium ſalute die* 20. *Iunij* 1596. Prouinciæ S. Gabrielis Hiſpaniarum Ordinis Diſcalceatorum S. Franciſci conceſſum, virtute cuius poteſt quilibet Sacerdos Ordinum Mendicantium habitans in Conuentu, in quo decedat aliquis Frater, celebrare Miſſam Defunctorum pro anima illius, & eam à pænis Purgatorij per modum ſuffragij liberare. Similiter eamdem Miſſam dicere pro anima Patris, vel Matris, vel vtrorumque alicuius Religioſi, eamque, vel eas, vt ſuprà, liberare. Similiter eamdem Miſſam celebrare pro animabus illorum Benefactorum, ſeù Benefactricum, qui, vel quæ ipſos fratres recipiunt hoſpitio in ſuis domibus, quando illuc contigerit eis tranſire; & ſimiliter-

liter pro habentibus litteras Confraternitatis. Quo pariter fruuntur omnes Mendicantes in priuilegijs communicantes. Peyrin. *tom.2. ad Conſtit.4. Clemen. VIII. num.2. & 3.*

354 Quæ omnia adhuc in vigore, nec per Pauli V. Bullam, in qua indulgentias Religioſis conceſſas reuocat, reuocata eſſe ſcribit idem Peyrinus *d. num. 2.* & *ad Conſtit. 8. Pauli V. num. 5.* Lezana *tom. 1. part. 1. cap. 3. num. 19.* Diana *ibid. reſol. 29.* cum reuocatæ ſint ſolum indulgentiæ conceſſæ ipſis perſonis Religioſis, quarum nomine non veniunt animæ defunctorum. Paſqualig. *q. 760. num. 2.* vbi *num. 4.* nec reuocatas indulgentias pro Defunctis, etſi per ipſos Religioſos conſequendas. Quintanaduen. *d. tract. 4. Appendic. dub. 2. num. 5.*

355 Quibus non obſtantibus poſſe adhuc in eiſdem Eccleſijs, in quibus facta ſit a Superiore deputatio Altaris, modo ſupra, aliud Altare priuilegiatum, & vt moris eſt ad ſeptennium obtineri poſſe docet Paſqualigus *d. q. 757. num. 7.* dummodò in ſupplicatione non exprimatur, quod non adſit Altare priuilegiatum, quia, cum in tali caſu exponeretur falſum, non ſubſiſteret conceſſio; & dummodò conceſſio noui Altaris priuilegiati non ſit eiuſdem qualitatis, ſeù pro eiſdem diebus, vel perſonis, vel quoad eoſdem celebrantes; ad quod ſufficere ſubdit quamcumque diſſimilitudinem in qualitate, vt ſi ſit pro omnibus Sacerdotibus, etiam aduentantibus, vel pro alijs perſonis, vel ſine obligatione applicationis Sacrificij, aut aliquo alio modo. Idem Paſqualig. *quæſt. 754.* Gobat. *Theol. experim. tract. 3. num. 640.*

356 Circà quod adnotandum pro veritate clauſulæ, quæ in huiuſmodi conceſsionibus ſolet apponi: Dummodò in eo ſeptem, quindecim &c. Miſſæ quotidiè celebrentur, per ſe requiri non ſolum, quod tempore conceſsionis tot Miſſæ in tali Eccleſia celebrentur; cum namque ex cultu ſpeciali illius Eccleſiæ per tot ſacrificia tamquam ex cauſa finali moueatur Summus Pontifex ad tale priuilegium concedendum, neceſſe eſt, vt huiuſmodi cauſa verificetur, ſeù interueniat tempore conceſsionis, ex *Cap. Quia circa. de Conſanguin.* & *Cap. Si & tempore. de Reſcrip. in 6.* vbi Gloſſ. *verb. Cum tempore.* Maſcard. de *probat. concl. 1128. num. 22.* ſecus eſſet ſubreptitia, conceſsio, nam moueretur ex cauſa falſa; adeòque ex errore, qui excludit conſenſum. *l. Si Procurator. ff. de acquir. rer. domin.* & *l. Non idcircò. C. de Iur. & fact. ignor.* verum etiam tempore executionis, quando ſcilicet incipit effectum habere; cum numerus Miſſarum ſit a Papa contemplatus in ordine ad cultum, qui non tantum conceſsionem; quam executionem reſpicit. Paſqualig. *q. 747. num. 10.* Et hoc ſufficere; ità quod, ſi poſtea ex accidenti contingat non eumdem numerum Miſſarum perſeuerare, vt potè, ſi quis infirmetur, aut non poſsint à Superioribus alij loco deficientium Sacerdotum ſuppleri, non per hoc ceſſet, aut deperdatur priuilegium,

gium, non obſtante dictione *quotidiè*, quia accipitur morali modo. Bordon.*reſol.91.num.*8. Gobat.*d.tract.3.nu.*641.*&* 642. Diana *ibid.reſol.* 11. Paſqualig. *d.q.*747.*&* 748. Dummodò tamen non ceſſet omninò cauſa iſta finalis, quod ſcilicet, ſi non ſemper, vt plurimum tamen omnes aſsignatæ Miſſæ celebrentur. Gobat. de *Indulgentijs p.2.cap.26.nu.*520. quod ſatis eſt, vt dicantur celebrari, ſeù (quod iuxtà communem ſenſum idem ſonat) conſueſcant celebrari, cum illud dicatur conſuetum, quod pluries fieri ſolet. *L.3.in fin. de Epiſc. audien.* & *L.1. verb. frequenter. C. quæ ſit longa conſuetudo*; nam ſi totaliter deſineret præfixus Miſſarum numerus, tunc ceſſaret & priuilegium, vt in ſimili cum pluribus Sanchez *lib.*8. *de Matrim. diſp.30. num.*14. Paſqualig.*d.q.*747.*num.*11. vbi *q.*748.*num.*8. non eſſe neceſſe, quod talis numerus Miſſarum adimpleatur per Sacerdotes tali Eccleſiæ, vel Conuentui addictos: ſed ſatis eſſe, ſi vel per addictos, vel per aduentantes, aut conductitios tot Miſsæ celebrentur, cum & tali pacto Miſſarum numerus verificetur.

357 Quià verò vltrà numerum Miſsarum pro Altaris priuilegiati validitate præfixum, ſolent quandoque Summi Pontifices concedere, quod omnes de familia in tali Altari celebrantes indulgentiam pro mortuis conſequantur; non eſt hic prætereundum, ab huiuſmodi priuilegio hoſpites nequaquam excludi. Dixi hoſpites, quia Generales, & Prouinciales, cum ſint de familia cuiuſcumque Conuentus Religionis, aut Prouinciæ reſpectiuè, hoſpites non ſunt in illis; & ideò nullum quoad eos ſit dubium, quin tali priuilegio potiantur. Bordon. *reſol.*25. *num.* 2. *& d. reſol.*91. *num.*1. & dictum eſt à nobis in *Quodlibet. Regular. num.*1037. De hoſpitibus ergò non Superioribus loquendo; nec ipſi a talis Altaris priuilegiati beneficio, dum ibi morantur, cenſendi ſunt excluſi; ſiunt namque & ipſi pro eo tempore membra illius Communitatis, illiuſque commenſales, & cum alijs ſub eodem capite vniuntur, illique obediunt; quod ſatis eſt, vt veniant nomine familiæ, & familiarium per allegat. a Barboſ. de *Appellat. verb.iur. appell.*95. *num.*35. & *appell.*96. *num.* 1. Et ità Paſqualigus *q.*749. etſi de Capitulo non ſint, cum non omnes, qui de familia ſunt, ſint de Capitulo; vbi *num.*9. limitat quoad Religioſos alterius Conuentus, ſi in eadem Ciuitate duo ſint eiuſdem Religionis; hos ſcilicet in altero ex his Conuentibus non gaudere beneficio Altaris priuilegiati, quia licet ſint eiuſdem Ordinis, non tamen eiuſdem Conuentus, & familiæ, nec ea militant in his, quæ de hoſpitibus dicta ſunt.

358 Porrò Miſſa ad effectum conſequendi beneficij Altaris Priuilegiati debet eſſe de *Requiem*, etiam ſi non exprimatur in conceſsione (ſi namque exprimitur, nullum eſt dubium) dũmodò in ea dicatur, quod celebrando in tali Altari pro aliquo defuncto anima eius liberetur a Purgatorio, quia in tali hypotheſi mens Summi Pontificis præſumitur conformis, iuri, ſeù

iuxta

iuxtà præſcriptum Eccleſiæ, quæ pro defunctis Miſſas de *Requiem* diſponit; tum quia S. Rit. Congregatio declarauit indulto Altaris priuilegiati non ſatisfieri niſi Miſſa de *Requiem*, iuxtà Barboſ. *Collectan. Decif. Apoſt. coll.* 178. *num.* 1. Baſſæum in *Flor. Theolog. verb. Miſſa. III. num.* 14. §. *ſeptima*. Et ita Lezana *tom.* 2. *verb. Altare num.* 19. Quarti *ibid. part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 11. Diana *ibid. reſol.* 9. & 10. Paſqualig. *q.* 731. vbi *num.* 6. limitat, quando in conceſſione intenditur applicatio Sacrificij pro defuncto; quo ſenſu dicit S. Congregationis declarationem procedere: non verò ſi intendatur ſolummodò applicatio indulgentiæ; quia, cum tunc non ſit pro defuncto offerendum ſacrificium, videtur Miſſa celebrantis diſpoſitioni relicta.

*359* Sed & quandò intendatur applicatio Sacrificij, excipiendi ſunt à præfata concluſione dies Dominici, & dies feſti, & dies, in quibus officium eſt duplex, cum ſic declarauerit non ſolum S. Congregatio, vt Barboſ. *ibid. num.* 2. & Baſſæus *loc. dict.* §. *octaua*. Diana *cit. reſol.* 9. *num.* 2. ſed & Alexander VII. in incipien. *Creditæ nobis. die* 22. *Ianuarij* 1667. in Bullar. *Conſtit.* 176. vbi §. 2. de Miſſis de *Requiem* in Altari priuilegiato ex obligatione celebrandis, ſic: *Per celebrationem Miſſarum de feſto currenti ſatisfieri dictis obligationibus, & ſuffragari cum eiſdem indulgentijs, perindè ac ſi eſsent celebratæ Miſsæ de Requiem ad formam priuilegiorum;* docetque Biſſus *d. litt. M. num.* 192. §. 1. quam Conſtitutionem confirmauit Clemens IX. in incipien. *Cum ſel. die* 23. *Septembr.* 1669. in eod. Bullar. *Conſtit.* 39 cum extenſione ad quodcumque Altare priuilegiatum, etiam ſi ad tempus, & quoad omnes Miſſas ex quacumque obligatione in ipſis celebrandas.

*360* An autem, vbi ſit obligatio celebrandi in Altari priuilegiato, ſatisfiat tali obligationi celebrando in alio Altari non priuilegiato, ſed cum calculo eadem indulgentia inſignito, affirmatiua ſententia amplectenda videtur; cum enim tam ſacrificium, quam indulgentia non minus vno quam altero modo defunctis applicetur, æquipollet huiuſmodi Sacrificium cum Miſſa in Altari priuilegiato celebrata, dummodò tamen non ſit explicitè vel inſtituta Miſſa, vel data eleemoſina pro tali, vel tali Altari priuilegiato, quià cum tunc ſit intentus cultus talis Altaris, non datur æquipollentia, neque ſatisfit alibi celebrando. Ita Gauant. ad *Rubr. Miſs. p.* 3. *tit.* 12. *num.* 4. Hurtadus *d. tract.* 2. 101. & *ſeq.* Diana *reſol.* 18. cum multis Leander *eod. tract.* 8. *diſp.* 7. *q.* 70. Paſqualig. *q.* 736. & in *Deciſ. mor. deciſ.* 427. Baſſæus *d. num.* 14 §. *ſed quæres & ſeq.* Obiectio enim, quod non eſt ita certum, an numiſma ſit eo priuilegio inſignitum, ſicut Altare priuilegiatum, facilimè diſſoluitur, quia poteſt eſſe æqualis vtriuſque certitudo, ſi numiſma habeatur vel ab ipſo Summo Pontifice, vel ab alia fide digna perſona; & quamuis æqualis non eſſet, non id obſtare, cum

ſufficiat non adeſſe dubium probabile; aliòquin æquè dubitari poſſet de ipſo Altari priuilegiato, an aliqua ex circumſtantijs in conceſſione requiſitis deficiat, & conſequenter an ſubſiſtat. Marchinus de *Sacram. Ordin. tract. 3. part. 2. cap. 24. num.* 8. Paſqualig. *deciſ.* 427. *& quæſt.* 736. vbi & alij.

# OBSERVATIO TERTIADECIMA.

## Ad Text.

F*Acto in Choro examine conſcientiæ pſalmum* De profundis *alternatim dicentes ad Refectorium tendant, & lotis manibus benedictionem incipiant; Et qui benedictione incæpta venerit, genuflexus ſignum ſurgendi expectet, &c. Ad ſignum Prioris, vel Præſidentis lector incipiat lectionem, quæ per totum prandium, &c. cœnam vel collationem durabit: præmittat verò lectioni hæc verba:* In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen. &c. *Poſteà lectori, vt finem legendi faciat, ſignum dabit. Quo audito ſtatim lector dicat:* Tu autem Domine miſerere &c. *Deoſculataque deuotè Menſa ab omnibus ſurgant, &c. & facta imagini reuerentia, ſtantes debito ordine gratias iuxtà Romanum morem agant, & cum ad pſalmum* Miſerere *peruenerint ordinatim bini bini ad Eccleſiam, vel Oratorium, vel locum ad hoc deputatum gratiarum actiones proſequentes pergant, &c. In collatione nulla præmiſſa benedictione omnes ſedeant. Et lector ad ſignum Prioris dicat:* Iube Domne benedicere, *& Hebdomadarius dicat:* Diuinum auxilium &c. *Poſt primam clauſulam lectam ad ſignum Prioris dicat:* Benedicite, *& Hebdomadarius ſubiungat:* Largitor omnium bonorum benedicat collationem

nem ſeruorum ſuorum, *& reſpondeatur ab omnibus*. Amen. *In fine verò collationis ad ſignum Prioris Hebdomadarius dicat*: Sit nomen Domini benedictum, *reſpondente Conuentu*: Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum. Conſtit. *p.* 1. *cap.* 9. §. 1. 2. 15. *&* 16.

## SECTIO PRIMA.

### *De Menſæ benedictione.*

361 HVnc Menſam benedicendi ritum, qui Deum, & cibos reſpicit, laudant omnes, & meritò propter duo præcipuè. Primò, quia Deum, qui nos paſcit, benedicere tenemur, & laudare iuxtà Moyſis inſinuationem, de qua Ariſtæas in *Biblioth. PP. nouiſs. tom.* 2. *pag.* 471. *col.* 2. *litt. G.* ibi: *Etenim, vt à menſis, poculiſque incipiamus, rectè iuſſit* (de Moyſe loquitur) *tunc Deum laudare, cum menſæ accumbimus*: quin naturæ ipſius dictamen, quæ Numinis beneficentiam omnibus ſuadet recognoſcendam. Vndè eſt, quod Ethnici non ſolum Dijs libare, ſeù primitias cibi, potuſque illis offerre conſueuerint, vt apparet ex Athenæo *Deipnoſophiſtarum lib.* 4. ſic de Cretenſibus loquente: *Fauſta precati Dijs libant, ac deindè omnibus eorum, quæ appoſita fuere, portionem ſuam tribuunt*, & *lib.* 7. de Philippi Macedonis conuiuio: *Quo tempore conuiuis cæteris efferebantur edulia, pueris Menecrati, ac eius Dijs libantibus &c.* & ex Tit. Liuio *Decad.* 4. *lib.* 9. ibi: *Commiſſum eſt facinus hoc fœdum inter pocula, atque epulas, vbi libare Dijs dapes, vbi benè precari mos eſſet &c.* ac Alexandro ab Alexandr. *Genial. dier. lib.* 5. *cap.* 21. vbi *Interque epulas, & pocula primum libare Dijs dapes priſci moris erat. Romani, & Græci in conuictu familiari ciborum particulis, & vino in ignem coniectis libamina Dijs dabant, & primitias cænarum Laribus*. Item ex Plutarcho in *Sympoſ.* dum menſam inter res ſacras antiquitus fuiſſe referens, ſubdit: *Ac proindè cibum ſumpturi Dijs conſecrabant*, hoc eſt *primitias*, vt explicant Cornelius à Lapid. in 1. *ad Timoth. cap.* 4. *verſ.* 5. §. *ſecundò hac oratione*, & Ioſeph Laurentius in *Polymath. lib.* 2. *Diſſertat.* 32. §. *locus Luciani*, & *diſſertat.* 40. §. *Cænam Plutarchus. fin.* qui *diſſertat.* 50. §. *duplex libatio*, ſic rem exornat: *Vna erat dapum, atque ciborum, quorum partem aliquam decerpentes illam in ignem, focumque conijciebant, atque ità Dijs ſuis illas conſecrabant*, & §. *antè libationem*, iterum: *In conuiuijs, & in omnibus epulis nullus bibebat, niſi prius Dijs facta libatione.*

Quem etiam ritum ex Theocrito *Idyll.* 7. refert Tiraquellus de *Iur. Primogenit. in Præfat. numer.* 71. & ex Heſiod. Lelius Biſciola *Horar. ſubſeciuar. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 26. Iacobus Pontanus *Symbolor. lib.* 13. *ad Æneid. verſ.* 279. & fusè Guilelmus Stuckius *Antiquit. Conuiuial. lib.* 2. *cap.* 37.

362 Non ſolum inquam Dijs libauerint, ſed & eos precibus inuocauerint, vt ex eiuſdem Athenæi *lib.* 7. verbis: *Nam ad epulas conuenientes Deos venerabantur*; & clarius *lib.* 4. vbi de Naucratitis: *Poſteaquam in lectis ſe ſe compoſuerint, aſſurgere in genua, & vna cum ſacro precone libantes, patrijs, conſuetiſque precibus Dijs ſupplicare. His peractis menſis accumbere.* Item lib. 10. ſic: *Deos igitur precati, quod ait Plato in Philebo, vinum miſceamus, ſeù Bacchus, ſeù Vulcanus, ſeù quis alius Deorum hunc ſortitus eſt honorem, cum vinum miſceretur, nempè vt eius nomen inuocetur, & libatione colatur*, & *lib.* 15. vbi ſic: *Quapropter Græci, cum temetum inter cænandum infertur menſæ, alato clamore bonum Deum inuocant, illum venerantes, qui reperit*; & pluribus maximè Samanæorum ritu illi Religioſorum conſimili ad tintinabuli ſignum preces fundentium exornant Iulius Nigronus *Tract. de Benedict. Menſæ cap.* 1. *num.* 2. & Biſciola *loc. cit. à num.* 28. *& ſeq.* Qua fortè de cauſa Græci ijdem *prandij* ethymon à *precibus* deſumunt, vt idem Ioſeph Laurentius *cit. diſſertat.* 40. §. *Ductum hoc* ſic obſeruat: *Quod non niſi Deos precati veteres ad prandium accederent.* Libationibus, inquam, & precibus Deos grati animi ergò venerari conſueuerint: *Accubituri Dijs ſuis* ( ſic Lelius Biſciol. *ibid. num.* 25.) *primitias conſecrabant, quaſi vitæ datores recognoſcerent*: ab ipſa vtique natura hanc erga illos gratitudinem edocti, vt ad illud Homeri Iliad. de Achille inter epulas preces miſcente,

*Orauit poſteà in medio ſepti ſtans, & libauit vinum*
*In cælum aſpiciens.*

Ioannes Stephanus Menochius de *Republic. Hebræor. lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 4. ſic notat: *In cælum aſpicit, natura, & proba inſtitutione docente, à Deo omnia nobis bona prouenire, illique pro cibo, & potu, quem nobis ſuppeditat, agendas eſſe gratias*. Et Iulius Nigronus. *loc. cit.* his verbis: *Luminis naturalis ductu Deum antè menſam inuocare, atque eidem à menſa gratias agere conſueuerant*.

363 Secundò ratione ciborum ipſorum, quia per huiuſmodi benedictionem, ſeù orationem Diuini auxilij imploratricem ſanctificantur per D. Paulum 1. *ad Timoth. cap.* 4. *Omnis creatura Dei* (de cibis loquitur) *bona eſt, & nihil reiciendum, quod cum gratiarum actione* ( hoc eſt benedictione, vt exponunt Toſtatus in *Matth.* 13. *q.* 100. & Cornelius à Lapid. *ibi.* §. *vbi nota*) *percipitur; ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem*, quæ ſcilicet dicitur in menſa iuxtà S. Cyrill. Alexandrin. *lib.* 4. *cap.* 17. *in Ioann.* ibi: *Non autem ignoramus benedici omne, quod ſanctificatur ex oratione, quam in menſa facere ſolemus*; hoc eſt, per verſus *Oculi omnium &c.* quibus oratur,

&

& inuocatur Deus, vt idem de Lapid. §. *rurſum.* & *ſeq.* vt ſcilicet non ſolum ſalubres reddantur comedentibus, vt *ibid.* §. *quartò*, idem Cornelius, *vt vſus cibi & corporis, & animæ valetudini ſit vtilis, & ſalutaris;* & iuxtà Theophilum Raynaud. *tom.* 16. *Heteroclit. Spiritual. ſect.* 2. *pag. mihi* 227. *col.* 1. vt *cibi aſſumpti fiant nobis in ſalutem corporis, ac ſuo modo etiam in animæ ſalutem; ſic videlicet attemperati, vt nec corpori obſint, nec inflamment rotam natiuitatis noſtræ, & animam auertant*: ſed etiam, prout eidem Theophilo *ibid. pag.* 226. *col.* 1. *fin.* placet, fiant *in timorem jis, qui nocere poſſunt, hoc eſt aduerſarijs poteſtatibus;* atque eid. Cornelio. §. *ſextò*, ne *cibus diaboli, aut magica poteſtate inficiatur, neuè Diabolus, aut concupiſcentia per cibum nos in comeſſationes, ebrietates, libidines incitet*. Vndè Chryſoſtomus *hom.* 11. *in* 1. *Timoth.* 4. contra hæc Diaboli veneficia remedium præſcripſit ſignum Crucis, & benedictionem: *Medicamentum in promptu eſt, ſignum Crucis illi* (cibo, aut rei, qua vti vis) *imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abſceſſit*, & *hom. de Fide Annæ*, ſic: *Vbi precatio, & gratiarum actio, & Spiritus Sancti aduenit gratia, Dæmones abiguntur, & omnis aduerſaria poteſtas diffugit, ac diſcedit;* pluribuſque oſtendit *ibid. num.* 11. Nigronus.

364 Hinc menſam benedicendi ritus non modò ſemper apud Hebræos vſitatus, vt ex *lib.* 2. *Reg. cap.* 9. Hiſtoria, vbi ſine Samuelis benedictione populum cibum ſumere non conſueuiſſe: *Neque enim populus comedit, donec ille veniat; nam ipſe benedicit hoſtiæ, poſteà comedunt inuitati;* & ex hac benedictione apud eoſdem familiari, quam *d. cap.* 4. *verſ.* 5. §. *Alludit ad &c.* ſub hac forma regiſtrat Cornelius à Lapid. *Benedictus ſit Dominus Deus noſter Rex mundi, qui cibat totum mundum bonitate, gratia, beneficentia, & miſericordia ſua, qui dat alimentum omni carni: cuius bonitate nec hactenus defuit, nec deerit cibus vnquam propter magnum eius nomen. Solus enim is eſt, qui vegetat, & conſeruat omnia, & benefacit omnibus, & cibum præparat cunctis creaturis ſuis, quas condidit. Benedictus ſis tu Domine, qui cibas omnia;* præter alias particulares, de quibus *ibid.* & ad *verſ.* 4. §. *Porrò*, idem Cornelius, & Raynaud. *loc. cit. pag.* 229. *col.* 1. & ex eo quod *lib.* 2. *de Bell. Iudaic. cap.* 7. ſic ſcribit Ioſeph de Eſſenis loquens: *Voce Sacerdos cibum anteuertit, neque fas eſt guſtare quemquam, niſi prius celebretur oratio. Poſt finem quoque prandij vota repetunt; nam & cum incipiunt, & cum deſinunt, quaſi datorem victus Deum laudibus canunt.*

365 Non modò apud Hebræos (dicebam) verum & in lege gratiæ ab ipſo Chriſto primo obſeruatus; quandoquidem & turbis cibum præbiturus *aſpiciens in cælum benedixit, & fregit*. Matth. 24. 47. & vtique, vt nos, dum cibum ſumpturi ſumus Deum benedicere doceret, vt *hom.* 50. *in Matth.* obſeruat S. Io. Chryſoſtomus, & cum S. Cyrillo explicat Toſtatus in *Matth. d. cap.* 13. *q.* 97. & *q.* 99. Et in cæna cum diſcipulis non ſolum an-

tè conſecrationem *accepit Ieſus panem, & benedixit*. Matth. 26. 26. ſed etiam in initio cænæ panem, & menſam benedixit teſtibus Luca Burgenſe in *Matt. ibid.* & Toſtat. *q.* 100. Et conueſcens cum peregrinis, *Accepit panem, & benedixit; ac fregit* Luc. 24. 30. vno verbo: *Quidquid alimenti vel ſuſcepit, vel diſtribuit, cum gratiarum directa Deo Patri ſuo actione illud ſemper benedixit*, vt hinc infert Andreas Sauſſay in *Panopl. Sacerdotal. part. 2. lib. 2. cap. 5. art. 17.* nec, vt in *Diſquiſit. de Menſa Religioſor. cap. 1. num. 3.* notat Franciſcus Maria Maggius, *vnquam legitur, aut panem, aut cibum attigiße, quin benedictionem præmiſerit.*

366 Deindè ab eius Apoſtolis; de S. Paulo enim in *Act. Apoſtol. 27. 35.* legitur, quod *ſumens panem gratias egit Deo in conſpectu omnium, & cum fregißet cæpit manducare*; & conſequenter ab ipſis primis Chriſti fidelibus; Cum enim idem S. Paulus in illis verbis 1. *ad Corinth. 10. 31. Siuè ergò manducatis, ſiuè bibitis, ſiuè aliquid aliud facitis omnia in gloriam Dei facite*; & ad *Coloſſenſ. 3. 17. Omne quodcumque facitis, aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti gratias agentes Deo, & Patri per ipſum, &c.* eos menſam benedicere docuerit, iuxtà S. Ioann. Chryſoſtomi ſenſum, qui *hom. 56. in Matth.* de menſæ benedictione hæc S. Pauli verba interpretans, eam *ſecundum Apoſtolicam legem* eſſe dicit, nulli dubium, quin talem ritum obſeruauerint; prout etiam teſtatur de illis loquens in *Apolog. cap. 39.* Tertullianus: *Non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum prægustatur*; quod idem eſt ac dicere, talem conſuetudinem communem eorum Chriſtianorum fuiſſe, vt indè arguunt Thomas Vualdens. *tom. 3. tit. 24. cap. 167. num. 5.* & Sauſſay *loc. cit.* & colligere eſt etiam à Conſtitutionibus Apoſtolicis *lib. 7. cap. 50.* in quibus oratio *ad ſumendum cibum* omnibus communis legitur; & ab alijs, de quibus Hugo Menardus in *Concord. Regular. cap. 52. not. ad §. 1. verſ. qui antè verſum*. Antonius Caracciolus in *Synopſ. Veter. Religioſ. p. 2. not. ad Cap. 3. num. 8.* probantque Raynaud. *ibid. pag. 228. tit. vſus perpetuus*: fuſiſſimè verò Iulius Nigron. *loc. cit. cap. 1. num. 5. per tot.* vbi infert, ideò fuiſſe à Chriſto præſcriptum.

367 Et ſigillatim apud Monachos, cum de Therapeutis, quos Religioſos viros vult Nigronus *ibid. num.* 10. & nos probauimus in *Quodlibet Regularib. num. 94.* intelligenda ſint hæc Philon. *lib. de Vit. contemplat.* verba: *Priuſquam diſcumbant ſtantes vna ſerie decentes, ſublatiſque in Cælum manibus, atque oculis precantur, vt Deo placeat hoc conuiuium: abſolutis precibus ſeniores diſcumbunt, & mox alij pro cuiuſque dignitate*; & ſuis Arſionitis præceperit in ſua *Regul. num. 2.* vt in *Codic. Regular. part. 1.* apud Holſtenium, S. Antonius: *Et cum ſederis ad comedendum ora prius, & comede*, & ſuis Religioſis in *Regul. cap. 5.* S. Fructuoſus: *Priuſquam ad menſam conueniant præcedat oratio; poſtquam à menſa ſurrexerint ſequatur oratio*; & generaliter de antiquis Monachis ſcripſerit Caſſianus de *Inſtit. Cænobit. lib. 3.*

cap.

*cap.*12. quod vbi ad cænam accederent (nam apud ipſos ob frequentia ieiunia, rara prandia) ſemper oratio præcederet, & ſubſequeretur; & vbi feſtiuis diebus prandebant, nonnulli pſalmi antè, & poſt prandium recitabantur. Nec alia ex cauſa tardè accedentibus ad menſam penæ iniunctæ legantur à SS. Pachomio, Baſilio, Columbano, Iſidoro, Fructuoſo, S. Benedicto, & Magiſtro in eorum Regulis, vt fusè apud Menardum in *Concord. Regular. cap.* 52. *per tot.* & ſtrictim apud Franciſcum Mar. Maggium *loc. ſupr. cap.*4. §.2. *num.*2. & Edmundum Martene *Comment. in Regul. S. Benedict. cap.*43. & à noſtris Conſtitutionibus *vt ſupr.* & *num.* 168. patet, niſi ob abſentiam a benedictione, vt obſeruant Iul. Nigronus *cit. cap.* 1. *num.*9. Hæftenus *Diſquiſit. Monaſt. lib.* 10. *tract.*1. *diſq.* 6. Sanctorus à Melfi ad *Statut. Minor. cap.* 3. *Statut.* 16. de qua re videndus Antonius Perez *ſuprà num.* 173.

368 Et adeò religiosè obſeruatam hanc inuenio conſuetudinem, vt non ſolum ſemel, & in communi eam perſoluere: ſed etiam quodcumque ferculum in particulari, vel ſaltem vt plurimum benedicere in vſu habuerint, tum Hebræi, vt ex eorum diuerſis iuxta ciborum varietatem benedictionum formulis notat Cornelius à Lapide ad *d. cap.*4. *epiſt.* 1. *ad Timoth. verſ.*4. §. *Porrò cum* & *verſ.*5. §. *Alludit.* & in *Deuteronom. cap.*8. *verſ.*10. vbi id actum & à Chriſto, dum in vltima cæna panem, & vinum ſeorſim benedixit; tum Monachi ipſi, vt apertiſſimè conſtat ex *cit. Regul. Magiſtri cap.*23. & *cap.*27. penes Holſtenium *ibid. p.* 2. Menardum *ead. Concord. Regular. cap.*49. §.5. & etiam ex *Regul.* cuiuſdam ad *Virgines cap.*10. apud eumdem Holſten. *p.* 3. de quibus Hæftenus *Comment. ad Vit. S. Benedict. cap.* 4. *num.* 6. & in *Ordin. Conuerſat. Monaſt. cap.* 11. *num.* 5. 11. & 14. Raynaud. *loc. cit. pag.*230. *col.*1. & 2. Aloyſ. Nouarinus. *Varior. opuſc. tom.* 3. *Encycloped. epiſt. part.*3. *num.* 148. & Martene de *Ritib. antiq. Monach. lib.* 1. *cap.* 9. *num.*13. Quin cochlear ipſum, quo in menſa vtebantur, benedicere, ſeù cruce obſignare, vt ex hac S. Columbani in *Regul. part.* 2. *cap.* 1. tranſgreſſoribus inflicta pæna, *Qui non ſignauerit cochleare, quod lambit ſex percuſſionibus puniatur*, notarunt Nebridius à Mundelheim *Antiquar. Monaſt. epiſt.*68. §. *quæ verò preces*. Raynaud. *ibid. col.*2. & Nouarinus *eod. num.*148. *fin.* vbi ad quodcumque vas, & pocula extendit ex hac S. Euſtaſij ratione in Matiſconenſi Concilio III. anno Chriſt. 617. apud Binium contrà Agreſtinum talem morem improbantem producta: *Nequaquam reor contrarium eſſe Religioni, ſi cochlear, quod Chriſtianus lambit, vel quodcumque vas, aut poculum Crucis ſigno munit, cum per aduentum ſigni Dominici pellatur peſtis aduerſantis inimici*.

369 Et non Monachos tantum, ſed etiam alios Chriſti fideles æuo magni Gregorij omnia fercula benedicere, vel ſaltem cruce obſignare conſueuiſſe colligitur non iam ex Milite, qui à Iuliano implanatus *ad ſingula pocula*

*cula præmittebat benedictionem*, vt clarè deducere ſibi videtur Raynaud. *loc. cit. pag.* 230. *col.* 1. cum neque S. Gregorius *Orat.* 3. neque Theodoretus *Hiſtor. Eccleſ. lib.* 3. *cap. vltim.* quos adducit, hoc ſcribant, & ſolum S. Gregorius *Orat.* 47. *in Iulian.* & Theodoretus *lib.* 3. *cap.* 16. de quodam milite referant, quod in cæna *accepto poculo non antè bibit, quam ſalutare ſignum impoſuiſſet*; ex quo antiqua quidem benedicendi menſam conſuetudo, vt notat Iacobus Billius *comment. ad d. Orat. num.* 74. nullatenus verò ad ſingula fercula benedictio infertur adhibita, cum tunc primò bibere cæperit, & ſtatim a cæna diſceſſerit, vt S. Gregorius *ibid.* & Theodoretus *cap.* 17. proſequuntur. Sed colligitur tum ex Gregorio Turonenſ. *lib.* 1. *Miracul. cap.* 80. vbi de Hæretico ſingula fercula benedicente, ne Catholicus manducaret; licet enim non ſatis inferri dicat Raynaud, benè tamen deduci notarunt Hæftenus ad *d. cap.* 3. *num.* 6. *Vit. S. Bened.* §. *Hanc autem*, & Nouarinus *ibid.* cum credibile non ſit, quod id Hæreticus *feciſſet niſi ea tunc temporis benedicendi viguiſſet conſuetudo*; tum ex Hincmaro *Capitul. ad ſuos Sacerdotes* 14. & Concil. Nanatenſ. per Gratianum *Cap. Quandò diſt.* 44. adducto, ibi: *Quandò autem conuenerint Presbyteri ad aliquod conuiuium, aliquis prior illorum verſum antè menſam incipiat, & cibum benedicat, & tunc ſecundum ordinem ſedeant, alter alteri honorem præbentes, & per vices cibum, & potum benedicant*, obſeruat & idem Raynaud. *ibid.* quam tamen iterationem neceſſariam non eſſe dicit, & rectè, ſed ſatis eſſe benedictionem, quæ menſæ præmittitur, pro omnibus ferculis, & pro tota menſa, licet ad ſingula obſignationem laudare non prætermittat.

370 Benedicendam ergò ex dictis menſam neminem puto negaturum; & ab Eccleſiaſticis præſertim, cum ita præſcribant SS. Canones *d. Cap. Quandò*, & *Cap. Non liceat ead. diſt.* 44. Sub qua autem obligatione, non ita certum. Dominicus quidem a S. Geminiano, & Card. Turrecremata in *d. Cap. Non liceat* ſentire videntur ſub mortali ad menſæ benedictionem Clericos teneri. Caietanus verò in *Summ. verb. Clericus*, & *tom.* 1. *Opuſc.* 25. *q.* 1. Tabien. *Summ. eod. verb. Clericus III. num.* 7. Siluestr. pariter *verb. Cler. II. num.* 2. Angelus. *Cler. XI. num.* 3. 6. Martinus Nauarrus *Manual. de Orat. cap.* 18. *num.* 42. ſub veniali tantum; quos præciſo contemptu ſequitur Nigronus *loc. ſupr. num.* 8. tenentque Franciſcus M. Maggius *d. cap.* 1. *n.* 11. Gauantus *part.* 2. *ſect.* 9. *cap.* 6. *num.* 6. & Hæftenus *cit. lib.* 11. *tract.* 1. *diſq.* 6. dum, ex eo quod a Deo puniti legantur huiuſmodi precum contemptores (vt Sanctimonialis illa, quam refert S. Gregorius *lib.* 1. *Dialog. cap.* 4. à Dæmone arreptam, quia lactucam momorderit *eam ſigno crucis benedicere oblita*, & alij ibi, & apud Raynaud. *loc. cit. fol.* 228. *col.* 1.) aliquod peccatum in benedictionis omiſſione incurri concludit. Suarez autem de *Orat. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 16. nullam in huius benedictionis omiſſione cognoſcit culpam, per ſe loquendo, cum in *dd. Cap. Quandò*, & *Non liceat*, nullum ver-

bum præceptiuum continentur; cui adhæret Thophil. Raynaud. *ibid. pag.* 227. *col.* 2. *fin.* ſequunturque Lezana *QQ. Regul. tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 9. *n.* 28. & Quarti de *Benedictionib. ſimpl. tit.* 3. *ſect.* 7. *dubit.* 2.

371 At quidquid de his ſit, Nigroni *d. num.* 8. non prætereunda verba; *Quod ſi hoc verum eſſet* (ſeù ſub peccato ſaltem veniali cadere hanc reſpectu Clericorum benedictionem) *quantò magis peccarent Religioſi omittendo legem, & conſuetudinem eamdem in Cænobijs nunquam interruptam?* Sicut & Lelij Biſciol. *eod. cap.* 9. *num.* 28. *Quæ omnia Religioſorum hominum, & Clericorum commendant morem non prius accumbentium, quam menſæ benedixerint; neque vllus eſse inter Chriſtianos deberet, qui hunc morem non retineret.* Et concludendum cum Raban. Maur. de *Inſtit. Cleric. lib.* 2. *cap.* 10. prout & cum ipſo concludit in *Hierurg. litt. B. num.* 90. §. 4. Bernardus Biſſus: *Sed & cibum non prius ſumere licet, quam interpoſita oratione.*

372 Ipſa porrò benedictionis forma varia legitur in diuerſis, & puto iuxtà deuotionis varietatem; Vt enim omittam pſalmos, quibus in prandiorum benedictione vtebantur Monachi; & de quibus Caſſianus *Inſtit. Monach. lib.* 3. *cap.* 12. hanc in S. Clemente Romano *Apoſtol. Conſtit. lib.* 7. *cap.* 50. lego apud Binium *tom.* 1. *Conciliorum* orationem: *Benedictus es Domine, qui paſcis me ab adoleſcentia mea, & das eſcam omni carni, imple gaudio, & lætitia corda noſtra, vt ſemper omnem ſufficientiam habentes abundemus in omne opus bonum, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, per quem tibi gloria, honor, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.* Aliam habet S. Athanaſius *Serm. de Virginit.* aliam Origenes *lib.* 3. *in Iob.* & aliam S. Ioannes Chryſoſtom. *hom.* 56. *in Matth.* quas videre eſt apud Franciſcum Biuarium de *Veter. Monach. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 53. & 54. & Iul. Nigronum *ibid. num.* 11. *pag. mihi* 150. & *cap.* 2. *nu.* 13. ſicut & illas, quibus Græci vtuntur, apud Guilelmum Stuckium *Antiquit. Conuiuial. lib.* 2. *cap.* 36. *pag. m.* 266. Iacobum Goar in *Ritual. Græcor. pag. m.* 515. & 516. & Cornelium à Lapid. in *Eccleſiaſtic. cap.* 32. *v.* 17. *prop. fin.* A nobis tamen ea, quæ in Breuiario Romano præſcribitur, obſeruanda. Paulus à S. Io: in *Cæremonial. lib.* 5. *cap.* 9. ſeù, quæ in prandio eſt *Oculi omnium &c.* & in cæna *Edent pauperes, &c.* quam antiquam ſcribit Gauantus *loc. cit. num.* 4. 5. & 7. admittitque ipſe Kemnitius apud Bellarminum de *Bon. operib. in particular. lib.* 7. *cap.* 4. *fin.* & ad quam omnes non ſolum Clericos, ſed & Regulares, qui Romano Breuiario adſtringuntur, teneri, ſaltem dum per modum communitatis ad Refectorium conueniunt, vult Nigronus *d. num.* 13.

373 Vtrum verò præmittenda à particulari Religioſo extrà actum communis benedictionis, quem ſerò ad menſam accedere contingat? Videtur quod non, cum ideò genufleсtendum illi ſit, & expectato ſurgendi ſigno terra deoſculanda. Et ita ſentire videtur Nigronus *loc. nuper laudato*, dum Canones eam pro publica menſa præſcribere dicit, non pro priua-

ta: ſeù quando omnes Religioſi conueniunt per modum communitatis ad menſam; quam & pro omnibus ſufficere cenſet Hieronymus Carellus in *Doctrin. Sacr. Rit. part. 4. Dialog. 11.* Verum id intelligendum de precibus pro benedictione menſæ in Breuiario aſſignatis; ad quas facta ſemel in communi benedictione non videntur poſtea accedentes adſtringi: non verò de breuiori benedictione; v. g. *Benedic Domine nos & hæc, &c.* ad quam ſaltem conſulunt Nigronus, & Carellus *ibid.* & quam à Religioſis omitti fas non eſt, propter dicta; Nec verum, quod per genuflexionem ab ea quis abſoluatur, quandoquidem hæc non ſimpliciter loco benedictionis, ſed ob non benedictionem vnà cum alijs, & ob tarditatem exigitur, quo non fit, vt tardè accedens à ſuo benedictionis munere liberetur.

374 Dum autem in communi fit, licet antiquitus menſam benedicere Abbatis munus eſſet, vt ex S. Gregor. Papa *Dialogor. lib. 2. cap. 3.* Martene de *Ritib. d. cap. 9. num. 13.* & ex *Regul.* Magiſtri *cap. 27.* apud Menardum *loc. ſup. cap. 49. §. 5.* & Holſten. *ibid. part. 2.* ſeù Prælati maioris, vt explicat Guilelmus Durand. in *Rational. Diuin. offic. lib. 4. cap. vlt.* vel Sacerdotum ſeniorum ex *d. Cap. Quando*, & aduertit Andreas Sauſſay *d. Panopl. Sacerdot. part. 2. lib. 2. cap. 6. art. 17.* ſignanter apud priſcos Monachos, vt Martene *ibid.* ab Hebdomadario tamen factam iuxtà antiquas Monachorum Germaniæ conſuetudines m. 5. ſcribit idem Martene *ibid.* & *lib. 1. cap. 11. num. 11.* & *lib. 2. cap. 12. num. 10.* & nunc fieri apud Regulares teſtantur Lezana *tom. 2. verb. Excommunicatio. num. 16.* Maggius *cit. cap. 1. §. 9. n. 18.* Et Quarti *loc. ſupr. dubit. 1. §. colligitur primò fin.* apud nos ſaltem ex noſtris Conſtitutionibus *loc. ſupr.* & infrà *num. 388.* & Ceremoniali *d. lib. 5. cap. 9.* loquendo de incæptione, & benedictione, *Benedic Domine, &c. Menſæ cæleſtis &c. Ad cœnam vitæ æternæ &c.* & alijs huiuſmodi; Et vtique ſignum Crucis ad dicta verba *Benedic Domine nos, & hæc tua dona*, formando iuxtà Paulum à S. Ioan. in *d. cap. 9. Ceremonial.* ibi: *Dum dicit Benedic Domine nos &c. manu dextera extenſa benedicit ſimul, & ſemel omnes Fratres profundè inclinatos, nec ſe ſignantes, & menſas*; ſeù vt volunt Gauantus *eod. cap. 6. num. 8.* & Carellus *d. p. 4. Dialog. 11.* ſeipſum, dum dicit *Benedic nos*, & menſam, dum *& hæc tua dona*; iuxta antiquorum ritum cruce primò ſe ipſos in menſa obſignandi, de quo Tertullianus de *Coron. Milit. cap. 3.* ſic: *Ad menſas frontem crucis ſignaculo terimus*; admittitque Guilelmus StucKius *d. cap. 36. pag. 266. 1.* deindè cibos ex S. Athanaſio *d. Serm. de Virginit.* ibi: *Vbi ſederis ad menſam, & inceperis frangere panem, ter eum conſignans* (hoc eſt ſigno crucis) *bis verbis gratias age: Gratias agimus tibi Pater noſter.* Item ex his Origen. *cit. lib. 3.* in Iob. verbis: *Cum manducamus, ac bibimus fidei memores fuerimus, ſi terribile nomen eius inuocauerimus, ſi nos metipſos, vel cibum, & potum noſtrum ſigno venerabilis crucis Chriſti ſignauerimus*; & ex S. Gregorio Nazianz. vidimus *num. 369.* alijſque apud Nigron. *loc. cit.*

*num.6.* Raynaud. *ibid. pag.*228. Sauſſay *eod. art.*7. Maggium *d. cap.*1. §.10. & Martene *eod. cap* 9. *num.* 13. *&* 14.

375 Circà quam pariter benedictionem aduertendum, cum ea emittenda ſit, quæ in Romano Breuiario legitur, ipſos itidem iuxtà feſtiuitatum varietatem mutandos eſſe verſiculos, prout ibi aſſignantur; incipiendo ſemper à cæna poſt primas Veſperas feſti, quando vigilia caret ieiunio, & per totam octauam, ſiuè tempus in Breuiario præſcriptum. Ità Gauantus *eod. cap. 6. n.* 10. Bernardus Biſſus in *d. Hierurg. litt. B. num.* 90. §. 2. Vbi tamen obſeruandum, verſum de Pentecoſte, licet ſolum vſque ad feriam ſextam quatuor temporum incluſiuè recitandum eſſe velit idem Gauantus *ibid.* eo quod, cum in Sabbato ſequenti poſt Nonam terminetur tempus Paſchale, putet non eſſe verſum de Pentecoſte dicendum; nihilominus & in ſequenti Sabbato ad meridianam comeſtionem eſſe recitandum, quia aliud eſt terminari in Sabbato poſt Nonam tempus Paſchale, & aliud benedictionem menſæ pro Pentecoſte terminari poſt Nonam Sabbati; nec formula illius benedictionis eſt pro tempore Paſchali, vt hoc ceſſante, debeat & ipſa ceſſare: quin à Rubrica ipſa videtur clarè exigi etiam pro meridiana in Sabbato comeſtione, cum illam extendat vſque ad feſtum SS. Trinitatis excluſiuè, quod certè non incipit, niſi ad Veſperas, ſeù poſt dictam comeſtionem. Et ita ſentiunt Guyet de *Feſt. propr. loc. lib.*4. *cap.* 20. *q.* 8. & Biſſus *ibid.* §. 3.

376 Et poſtremò notandum hanc benedictionem eſſe deuotè, reuerenterque perſoluendam; & ſi Nigronum *ibid. num.* 14. audire velimus, cum illis conditionibus, quas ad officij Diuini recitationem *num.* 24. *&* 26. requiſiuimus, maximè cum, ex eo quod non poſſet tempore interdicti ſine priuilegio ſolemniter fieri, videatur per Roderic. *tom.* 2. *q.* 109. *art.* 2. aliquo modo inter officia Diuina comprehendi. Vel ad minus ea diuotione, attentione, & reuerentia, quæ ex ſui ratione cuilibet orationi vocali debentur, de quibus Suarez de *Orat. lib.* 1. *cap.* 2. *num.*6. & *lib.* 3. *cap.* 7. *nu.* 1. *&* 16. & nos ſuprà *num.* 25. & præſertim, quod pauſatim dicatur, nec ad *Gloria Patri*, & orationem debitæ capitis omittantur inclinationes. Nigron. *ibid.* Vndè peccare venialiter cum voluntaria diſtractione menſæ benedictionis preces perſoluentem concludit Quarti de *Benedictionib. tit.* 1. *de Benedict. in gener. ſect.* 3. *dubit.* 10. §. *Quarta difficultas*.

# SECTIO SECVNDA.

## *De poſt menſam gratiarum actione.*

377 EOdem modo de gratiarum actione poſt menſam, ac de benedictione antè illam diſcurrendum; ab ipſa ſcilicet natura nos doceri, Diuinam & poſt ſumptos cibos laudare beneficentiam, illique gratias referre: quandoquidem & à Gentilibus id actum refert Athenæus *Dipnoſophiſtar. lib.* 1. *cap.* 9. iuxtà verſionem Natal. de Comitib. ſic: *Sacrificabant etiam à cænis diſcedentes, quæ ſacrificia Mercurio offerebant*, & *lib.* 15. *cap.* 20. ex Theophraſt. per hæc verba: *Vinum purum, quod in cæna dabatur, quod boni Dæmonis appellant, eſſe potionem, cuius perexiguum guſtant, veluti ſolo guſtu in memoriam reuocantes vini ipſius vim, Deique munus ipſius*. Quæ Iacobus Dalechampius ſic clarius: *Temeti quod cænatis dant, & quod boni Dæmonis poculum eſſe dicunt, parum offerunt, vt eius potionis quæ vis eſset, & quantum Dei beneficium, tantum recordarentur*. Et Virgilius 8. *Æneid. verſ.* 184. de Euandro poſt cænam loquente,

*Poſtquam exempta fames, & amor compreſsus edendi*
*Rex Euandrus ait &c.*
*Quarè agite ò Iuuenes tantarum in munere laudum*
*Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris*
*Communemque vocate Deum, & date vina volentes;*
*Ocyus omnes*
*In menſam læti libant, Diuoſque precantur.*

Quæ ſic explicat Ioannes Ludouicus de la Cerda: *Cingite vos coronis, vt inuocetis communem Deum, præbete nobis mutua pocula, vt fiat libatio*; Ex quibus Dijs ſuis poſt menſam grates referendi Gentilium conſuetudinem ſic ad *ann.* 74. *pag.* 159. deducit Baronius: *Cæterum, quod eſt notatu digniſſimum, non tantum apud Iudæos vetus illa conſuetudo, vt in ſecundis menſis ſic libantes gratias Deo agerent: ſed & Gentiles ipſi in eiſdem ſecundis menſis merum libarent Dijs &c.* & in 1. *ad Corinth. cap.* 11. *verſ.* 25. Cornelius a Lapide: *Gentiles poſt epulam ſacrificabant, ſcilicet pro epulatione quaſi gratias agentes Deo ſuo, illi libabant, illiuſque laudes coronati decantabant*; quod repetit ad *Eccleſiaſtic. cap.* 32. *verſ.* 17. *fin.* & iterum ad *Cap.* 26. *Matth. verſ.* 30. vbi antiquorum poſt epulas cuipiam Deo libandi, vel hymnum canendi ritum ex S. Clemente Alexandrin. *Pedagog. lib.* 2. *cap.* 3. producit.

378 Adeſt inſuper præceptum Moyſis in Deuteronom. 8. 10. *Vt cum comederis, & ſatiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi*; quod de gratiarum actione poſt menſam interpretantur Cor-

Cornelius à Lapid. *d. v.* 17. Gauantus *ead. ſect.* 5. *cap.* 6. *num.* 3. Menochius de *Republ. Hebræor. lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 4. quod extrà dubium obſeruatum eſt à Iudæis, cum (præter dicta ex Ioſeph *num.* 364.) finitis ſolemnibus epulis, vt idem Cornelius *d. v.* 17. & Guilelmus Stuckius *cit. lib.* 2. *cap.* 36. ſcribunt, pro gratiarum actione Pater familias, vel honoratior conuiua poculum vino refertum vtraque manu tenens dicit: *Benedicamus, ſiuè gratias agamus Deo noſtro, quia edimus de ſuo*, reſpondentque conuiuæ: *Sit laudatus Deus noſter, de cuius bonis comedimus, cuiuſque benignitate viximus*; & poſt aliqua alia omnes ſubmiſſa voce recitant orationem: *Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam non eſt inopia timentibus eum. Diuites eguerunt, & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*; ſic tandem eo, qui præeſt, concludente. *Benedictus ſis tu Domine Deus noſter Rex mundi, qui creas fructum vitis.*

379 Quin obſeruatum & ab ipſo Chriſto Domino noſtro, dum poſt cænam cum diſcipulis hymnum dixiſſe teſtentur Sancti Matthæus 26. 30. & Marcus 14. 26. *hymno dicto*, ſeù, vt ex Paulo Burgenſ. referunt Franciſcus Lucas Burgenſ. ad *d. Matth. v.* 30. & Cornelius à Lapid. *cit. verſ.* 17. & ad *d. v.* 30. *Matth.* pſalmum 112. *laudate pueri Dominum, &c.* vſque ad pſal. 118. *Beati immaculati in via*. Quidquid tamen de hoc ſit, duo mihi certiora; & quod in gratiarum actionem, & vna cum ſuis diſcipulis recitatus ab eo fuerit hymnus, vt poſt Origen. *tract.* 35. *in Matth.* S. Hilarium *cap.* 30. *in Matth.* Nigronus *loc. cit. num.* 13. & vtique iuxtà Iudæorum morem, & expreſsè notant Franciſcus Lucas *loc. dict.* Menochius *eod. nu.* 4. Cornelius *d. verſ.* 17. & *ad cit. cap.* 26. *Matth. v.* 30. quibus & quod apud eos hæc fuerit poſt epulas gratias agendi conſuetudo probatur per Caracciol. in *Synopſ. veter. Relig. p.* 2. *not. ad cap.* 3. *num.* 8. §. *Silentium*, & quod indè mos iſte gratias agendi tranſierit ad Chriſtianos, vt benè ad *ann. Chriſt.* 34. *pag.* 166. *C.* ſic Baronius: *Cæterum haud ignorandum eſt exemplo Domini laudabilem illam conſuetudinem in Eccleſia coaluiſſe, vt in menſa gratiarum actiones ab omnibus dicerentur*. Et de facto à primis Chriſti fidelibus ita obſeruatum fuiſſe, habetur ex SS. Iuſtino *Apolog.* 2. Auguſtino *epiſt.* 59. *ad Paulin.* Irenæo *lib.* 4. & ex Tertulliano (qui pro omnibus ſufficiat) in *Apologet. cap.* 39. de illis dicente: *Æquè oratio conuiuium dirimit*.

380 Quod à fortiori dicendum cenſeo de Monachis, quos talis ritus non dubito obſeruantiores, cum à Therapeutis poſt conuiuia hymnum ad Dei laudem decantari ſolitum ſcripſerit Philo de *Vit. contempl. prop. fin.* & apud ſuos Monachos, dum à cæna conſurgerent, certam gratiarum formulam vſitatam Caſſianus *Inſtit. Cænobit. lib.* 3. *cap.* 12. decernatur item in *Regula cap.* 9. à S. Iſidoro; ab Eſaia Abb. *Orat.* 3. in Regula Monachorum, quæ ſub S. Hieronymi nomine circumfertur *cap.* 38. à D. Laurentio Iuſtinian. *lib. de perfect. Monaſt. conuerſ. cap.* 20. & à S. Vincentio *lib.* 6. *de Vit. Spirit.*

quos

quos videre eſt apud Nigron. *loc. ſupr. num. 9.* vbi *num.* 10. hoc D. Hieronymi de ſui temporis cænobitis teſtimonium: *Deindè conſurgunt pariter, & hymno dicto ad præſepia redeunt*; ſicut & hoc S. Io. Chryſoſtomi *hom.* 56. *in Matth.* ſuorum Monachorum encomium: *Poſt cænam igitur quoſdam gratiarum actionis hymnos ad Deum dicentes*; quibus addendæ Regulæ S. Fructuoſi *cap.* 5. de qua infrà *num.* 384. S. Benedicti *cap.* 43. & Magiſtri *cap.* 73. in quibus contra eos, qui gratiarum actioni poſt menſam non interſunt, pœnæ ſtatuuntur.

381 Hinc ad tam piam, ſanctamque obſeruantiam non ſolum quemlibet Clericum adhortatur Concilium Nanatenſe relat in *Cap. Quando diſt.* 44. aut Religioſum laicum, in *Cap. Non liceat ead. diſt.* vt obſeruat Antonius Dadinus Alteſerra de *Origin. Rei Monaſtic. lib.* 5. *cap.* 12. & vtique ex hoc Chriſti exemplo, vt ex his in *d. Cap. Quando* verbis: *Poſt refectionem hymnum Domini exemplo dicant*: Sed omnes indiſcriminatim vrgere non ceſſant SS. Patres de quibus Io: Steffanus Durant. de *Ritib. Eccleſ. Cathol. lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 31. Maggius in *cent. diſqu. de Menſa Religioſ. cap.* 1. §. 2. & 3. & fuſius Nigronus *ibid. num.* 4. *prop. fin. num.* 5. *in med. & num.* 9. *in princ. & num.* 12. *verſ. tertium bonum*; ex quibus vnum tantum delibo S. Hilarium in *caten. S. Thom. Marc.* 14. vt ad rem præſentem de Chriſti ſuprapoſito ſuorumque Apoſtolorum exemplo ità loquentem: *Sicut gratias egerunt antequam biberent, ita etiam gratias egerunt poſtquam biberunt; vndè dicitur, & hymno dicto exierunt in Montem Oliueti; vt ſcilicet addiſcas, & antè cibum, & poſt cibum gratiarum actiones reddere Deo*; addoque Lucam Burgenſem, & Cornelium a Lapid. parum diſſimilibus verbis idem in Matth. 26. 30. inculcantes: *Docemur à menſa non recedere, niſi actis prius Deogratijs*.

382 Sed heu! tantum abeſt, quod Chriſti Apoſtolorumque veſtigijs quis innitatur, quin potius illi conueniat hæc Thomæ Mori in *Expoſit. de Paſſion. Domin. in princip.* apud Ioann. Stephan. Durant. *d. num.* 31. & Andream Sauſſay in *Panopl. Sacerdot. part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. *art.* 17. *fin.* dum animo reuoluebat plures pſalmos poſt cænam à Chriſto, & diſcipulis perſolutos, querela: *At nos, cum dicere ſoliti ſumus in agendis gratijs, & benedicenda menſa diuerſis temporibus hymnos diuerſos, eoſque tempori accomodos, nunc vniuerſos permiſimus exoleſcere, & tribus verbis, qualibuſcumque contenti, eiſdem perfunctoriè muſitatis, & oſcitanter abimus*. Meminerit ſaltem vnuſquiſque, quod *hæc fuit* (vt Ambroſius Catharinus 1. *Timoth.* 4. loquitur) *doctrina, & traditio Domini, quam obſeruare omnes tenentur, qui eſſe grati tantis beneficijs volunt*; & omninò *abſurdum* (rem claudit Chryſoſtomus *homil. de Jid. Anna*) *ſi cum famuli noſtri, ſi quando partem aliquam eorum, quæ nobis appoſita ſunt, acceperint, nobis gratias agant, benèque nobis precantes abeant, nos, cum tot, tantiſque fruamur bonis, nec hoc quidem honoris Deo perſoluamus*; & ſignanter Religioſi, contra quos occaſione verborum S. Ber-

nardi

nardi, quibus Templarios ad gratiarum actiones poſt menſam in *Regul. cap.* 14. adſtringit: *Gratias, vt decet cum humiliato corde referre in enodabiliter præcipimus*, ſic in Commentar. ad eamd. Regulam *tom. 1. Theolog. Regular. nu.* 1859. argumentatur Io. Caramuel: *Igitur, ſi Milites ab hoc onere enodari non poſſunt, Religioſi non debent.*

383 Nec tandem prætereunda vtilitas, quæ ex huiuſmodi poſt menſam gratiarum actione prouenit, cum per eam, ſi non remittantur peccata venialia, quæ vel ex verbis, vel ex gulæ irritamentis in comeſtione contrahi fortè contigerit, vt ex S. Ioan. Chryſoſtomi in *pſal.* 42. doctrina probat Nigronus *ibid. nu.* 12. *verſ. Quartum bonum*, maximè ob orationem Dominicalem, quæ in ea recitatur, & perquam item venialia remitti, dicit ipſe, ſentire S.P. Auguſtinum *epiſt.* 108. *ad Seleuc.* & in *Enchirid. cap.* 71. relat. in *Cap. De quotidianis. diſt. 3. de Pænitent.* ſaltem eorum impetratur remiſſio, ſi tamen cum tali affectione, quæ ipſi culpæ contraria ſit, perſoluatur, vt explicat Suarez de *Orat. lib. 3. cap. 8. nu.* 28. ſequiturque Quarti de *Benedictionib. tit. 1. de Benedict. in gener. ſect. 5. dubit. 3.* quod non leue, nec ſpernendum animæ beneficium.

384 Circà hanc porrò gratiarum actionem eadem obſeruanda, quæ de Benedictione dicta ſunt, ſeù tum iuxtà Romani Breuiarij ritum, tum reuerenter, & deuotè peragendam eſſe, & vtique intrà idem Refectorium vſque ad pſalm. *Miſerere*; nam ſtatim ac ipſe inchoatur, ad Eccleſiam, vel Oratorium proceditur, ibique cum cæteris, quæ gratiarum actionis ſunt, completur per Conſtitut. *loc. ſupr.* & Ceremonial. *d. lib. 5. cap. 9.* & quidem conformiter ad antiquorum Monachorum conſuetudinem huiuſmodi grates in Eccleſia referendi, vt in *Regul.* S. Fructuoſi *cap.* 5. ibi: *Poſtquam à menſa ſurrexerint, ſequatur oratio, nec antè quiſquam alicubi præſumat progredi, quam coram Altari Chriſto gratiarum reſoluerit actiones*; & quam pluribus exornant Menardus in *Codic. Regular. cap.* 47. *not. ad* §. 8. Hæftenus *diſq. Monaſt. lib.* 10. *tract.* 1. *diſq.* 6. Antonius Dadinus Alteſerra *cit. cap.* 12. & Martene in *Comment. ad cap. 43. Regul. S. Benedict. verſ. ſimiliter autem*. Quod vtique intelligendum de gratiarum actione, quæ fit in communi, & per modum communitatis; nam hoc non videtur exigi à Religioſo particulari; licet & hic ad gratiarum actionem ſaltem breuiorem teneatur, & magis quam ad benedictionem, cum ob ingratitudinem ergà Deum maior ſit culpa illam, quam iſtam omittere, per Carell. in *Doctrin. Sacr. Rit. p. 4. Dialog.* 11. Sed & quoad benedictionem in communi, poteſt ex Conſtitutionibus, & Ceremonial. *loc. ſupr.* fieri etiam in aliquo extra Eccleſiam loco particulari, & ad id deputato; quod ſanè rationabiliter permiſſum, tum ob maiorem commoditatem, tum quia quandoque in Eccleſia importuna dignoſcitur,

SEC-

# SECTIO TERTIA.

## *De benedictione, & gratiarum actione in Collatione.*

385 NVllam inter menſæ benedictiones inuenio in Romano Breuiario pro collatione in diebus ieiuniorum benedictionem. Hanc *ſect. 9 cap. 6. n. 13.* affert Gauantus rationem: *Vt intelligamus ientacula veſpertina in diebus ieiuniorum concedi ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium, & integrum ieiunium Eccleſiaſticum non admittere niſi vnicam comeſtionem, quę in Breuiario vocatur cæna, ad quam adhibentur benedictio, & gratiarum actio cænę aſſignatæ*; ſequiturque Sanctorus à Melfi. *Comment. ad ſtatut. Minor. cap. 13. ſtatut. 15.* Et quidem, ſi Monachorum ieiunia attendantur, nullibi de collatione, aut ſerotino ientaculo quid ſubauditur: Sed vnica tantum comeſtio legitur; Vt enim ſileam hunc Chriſtianorum communem ſemel in die ſub Veſperas veſcendi vſum fuiſſe, vt ex *Cap. ſolent plures. de Conſecr. Diſt. 1.* Microlog. de *Eccleſ. obſeru. cap. 49.* Prudentio *hym. 3.* S. Paulino *Carmin. de S. Felice.* Ioannes Baptiſta Caſalius de *vet. ſacr. Chriſtian. ritib. cap. 62.* & contra Dallæum probat & Guilelmus Beueregius in *Codic. Canon. Eccleſ. primit. illuſtrat. lib. 3. cap. 9. n. 7. & cap. 10. n. 6. & 7.* vel ad ſummum ad Nonam, vt idem *d. cap. 10. n. 7. & 8.* Caſalius *ibid.* & latè Pamelius in *not. ad Tertull. de Orat. cap. 14. n. 58.* & in *not. ad lib. de ieiunijs aduerſ. Phyſic. cap. 10. n. 58. & 59.* vt, inquam, id ſileam, & de Monachorum ieiunijs loquar, ſic quoad antiquiores in *Regul.* Eſaiæ Abb. *n. 56.* legitur: *Comede ſemel in die: ſed non ad ſatietatem.* & in *Conſtit.* S. Baſilij *cap. 6.* apud Nebridium à Mundelheim in *Antiquar. Monaſt. epiſt. 83.* ita: *Aſcetam conuenit vti cibis ſiccis, & quibus minimus ineſt ſuccus, nec niſi ſemel per diem, ſi ordinatè velit viuere*; & hęc vſque ad horam Nonam prolata habentur in *Reg. S. Antonij n. 2.* ibi: *Ieiunia vſque ad Nonam ſingulis diebus excepto ſabbato, & die Dominico.* In *Regul.* Sanctor. Serapionis, Macarij, Paphnutij, & alterius Macarij *cap. 9.* apud Holſtenium: *Debet ergò iſte ordo teneri Fratres, vt nullo die, niſi hora nona reficiantur Fratres in Monaſterio excepta Dominica die, & quinquageſima Pentecoſtes*; item in Caſſiano de *Inſtit. Cænobit. lib. 5. cap. 20. & lib. 10. cap. 1. & Collat. 2. cap. 26.* & *Collat. 21. cap. 11. & cap. 23.* atque S. Athanaſio *Serm. de Virginit.* ibi: *Poſt ſinaxim horę nonę comede panem tuum*; & ex *Vit. Patr. lib. 2. cap. 5.* Dadinus Alteſerra de *Orig. rei Monaſt. lib. 5. cap. 11. & cap. 13.* quin quandoque vſque ante ſolis occaſum, vt idem Caſſianus *d. lib. 2. cap. 5. cibum, & potum non tam deſideratum, quam neceſſarium ſumpſiſſe, & ne hunc quidem antè ſolis occaſum*; & de orientalibus, &

occi-

occidentalibus ſui temporis Monachis ſic *lib. de morib. Eccl. cap.* 31. *&* 33. S. P. Auguſtinus: *Vſque ad noctem ieiunant.* & *Ad veſperam comedunt*; & videre eſt in Sozomen. *lib.* 1. *Eccleſ. Hiſt. cap.* 11. & ex Theodorit. de *Vit. Patr. cap.* 3. & S. Hieronymo in *Vit. Hilarion.* & *epiſt. ad Paulin.* ſcribit idem Alteſerra *ibid.* & præſertim *cap.* 13. Et quoad recentiores Monachos in Regulis S. Benedicti *cap.* 41. S. Fructuoſi *cap.* 18. Cuiuſdam ad Monachos *cap.* 1. Magiſtri *cap.* 28. Solitariorum *cap.* 42. S. Donati *cap.* 76. Cuiuſdam ad Virgines *cap.* 11. ibi. *Ad nonam ſemel reficient*; & in *Pænitential.* S. Colombani, ſeù *Cap.* 10. *Regul. Si quis antè horam nonam quarta, ſextaque feria manducat, niſi infirmus, &c.* prout quoad omnia videre eſt apud Holſten. in *Codic. Regular.* & quoad aliqua apud Menardum in *Concord. Regular. cap.* 50. *not. ad* §. 1. *verſ. ad ſextam*, & *verſ. quarta & ſexta*, & *cap.* 52. *not. ad* §. 30. & Martene *Comment. ad cap.* 41. *Regul. S. Benedic.* vbi alia plura, & vnicæ comeſtionis, & poſt Veſperas, & antè ſolis occaſum monumenta; Vndè potuit ſic ſensatè concludere *d. epiſt.* 83. Nebridius à Mundelheim: *De ientaculis Monachorum nihil vnquam legi.*

386 Ad ſummum hauſtus, ſeù vini in illis ieiuniorum diebus, & ſerò bibendi mentio aliqua iis licet antiquiſſima habetur in *Regul.* Magiſtri *cap.* 27. vbi, vt ex mox adducendis, nihil aliud de ſerò vt plurimum, & ſignanter in diebus ieiuniorum ſumere permittitur, niſi caldos vini, qui ſunt per Menardum *ibid. ad cap.* 49. *not. ad* §. 5. poculi genus, cuius diminutiuum eſt caldellus. Et ità diù obſeruatum in Monaſterijs ſtrictioris obſeruantiæ ſcribit Martene ad *d. cap.* 41. *verſ. & ſic* & de *Ritib. vet. Monach. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 14. &, vt puto, etiam in alijs Religionibus, quæ fortè ideò retinuerunt ritum benedicendi & hodiè in collatione (vt infrà *num.* 388. dicitur) potum. Et benè dicitur diù obſeruatum; quandoquidem conſuetudo aliquid ſumendi cum potu adeò antiqua non eſt; cum, ſi credendum eidem Martene, ducentos annos non excedat: *Ad potum aliquid ſuperaddere cibi recentis omninò conſuetudinis eſſe, quæ nec ducentos fortè ſuperat annos*, & eo fine, vt DD. communiter loquuntur, ne potus noceat, ſicut in Carthuſienſ. Conſtitutionibus *p.* 2. *cap.* 10. *num.* 21. ibi: *Conceditur diebus ieiunij ſerò fruſtulum panis ſumere, ne potus noceat*; & in noſtris etiam *p.* 1. *cap.* 9. §. 16. *Ne verò potus noceat, poterit aliquid fruſtum panis in parua quantitate miniſtrari; nempè circa duas vncias in ieiunijs Eccleſiæ, & circa quatuor in ieiunijs Religionis.*

387 Obſeruo nihilominus & in hiſce potationibus vſitatas preces aliquas apud Monachos, quas pro benedictione, & gratiarum actione accipio; ſiuè enim in æſtate, ſiuè in hieme, ſiue ad ſextam, ſiuè ad nonam reficerent, quando illis, ſiuè poſt nonam, ſiuè de ſerò bibendum erat, antè, & poſt orare debebant ex præſcripto Magiſtri in *Regul. d. cap.* 27. ibi: *Ità tamen, vt antequam bibant, orent, & poſtquam biberint, reorent*; vbi pluries repetitur; & credo oratione aliqua vocali, & communi; licet enim ex his

Dd Cere-

Ceremonialis S. Iuſtinæ *part.* 1. *cap.* 20. verbis: *Omnibus reſidentibus cum ſilentio faciat Superior ſignum, & ſic collationem faciant*, videatur inferre Hæftenus *lib.* 9. *tract.* 5. *diſq.* 2. huiuſmodi benedictionem ſolo crucis ſigno fieri: *Nam poſt benedictionem vnica cruce ſuper omnia factam*; verba tamen Magiſtri, *orent*, & *iterum orent* aliquas mihi preces & has communes, veriſimilius inſinuant; quandoquidem in Capitulis Monachorum ad Augiam directorum *cap.* 8. apud Baluzium in *Appendic.* ad *tom.* 2. *Capitular. col.* 1381. *num.* 8. & Martene ad *d. cap.* 41. ſtatutum reperitur, quod dum eſſent omnes ſimul in Refectorio potaturi, *Si quis præſens ad dicendum poſt benedictionem, amen, non fuerit, ſublatur ei portio ſua de potu*; quamuis enim ibi ſermo ſit de potione, quæ in æſtate poſt nonam, & dum bis in die comederent, ſumenda illis erat, à fortiori vocalem, & communem benedictionem dicendum eſt, quod & dum ſerò in diebus ieiuniorum bibituri eſſent, emiſerint. Et adſtipulantur tum pro benedictione conſuetudines S. Germani è Pratis, in quibus non ſolum quando poſt Veſperas, & Mandatum, ſeù pedum ablutionem ibat Conuentus ad potum, hæc erat Hebdomadarij ſuper illum benedictio: *Potum ſeruorum ſuorum Filius Dei benedicat*, vt refert Martene de *Ritibus lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 10. ſed etiam quando accedebat ad potum ſerotinum & antè Completorium, cantor incipere debebat, *Benedicite*, & Hebdomadarius ſubdere, *Dextera Dei omnipotentis benedicat potum ſeruorum ſuorum*; vt idem Martene *ibid. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 11. tum pro gratiarum actione Concordia S. Dunſtani, in qua præſcribitur, quod *quotieſcumque Fratribus charitas* (ſeù vini hauſtus, vt explicant Hæftenus *dic. tract.* 5. *diſq.* 2. *num.* 2. & Martene *d. num.* 11. & *num.* 12. & 13.) *interim dum collatio legitur, præbetur, lectione finita omnibus ſurgentibus dicat Prior: Sit nomen Domini benedictum, & Benedicamus Domino, cæteris, vt mos eſt reſpondentibus*, vt videre eſt apud eumdem Martene *ibid. num.* 11. & 12.

388 Quem morem & ab alijs Religionibus obſeruatum non dubito, & à fortiori poſtquam ſerotina inducta ſunt ientacula, licet ſub diuerſis formulis; cum enim nulla in Eccleſia Romana pro huiuſmodi collatione in diebus ieiuniorum præſcripta legatur benedictio, omnes, vt *d. num.* 13. loquitur Gauantus, in ſuo ſenſu abundantes, varios, ſed laudabiles ritus ſibi præſcripſiſſe tradit Carellus in *Doctrin. Sacr. Rit. part.* 4. *Dialog.* 11. Hac vtuntur Prædicatores, vt in eorum *Conſtitut. diſt.* 1. *cap.* 6. *Largitor omnium bonorum benedicat potum ſeruorum ſuorum.* Præmonſtratenſes: *Potus Seruorum Filius Dei benedicat*, Minores Obſeruantes, vt ſcribit Sanctorus à Melfi *loc. cit. Statut.* 15. *Donum charitatis benedicat dextera Dei Patris*. Patres noſtri Calceati, vt in *Conſtit. de* 1551. *impreſſis cap.* 24. *Lector ad ſignum Prioris dicat Benedicite, & Prior ſubiungat, Largitor omnium bonorum benedicat potum ſeruorum ſuorum*. Vbi ab omnibus iuxtà antiquam ſolius vini hauſtum benedicendi conſuetudinem, benedictionem ſub nomine potus

culto-

cuſtodiri aduerto, quamuis de collatione in terminis loquantur; etiam ab ipſis Minoribus, ni fallor, cum *Charitatis* nomine venerit potus in communi apud Monachos, vt vidimus. Apud nos verò hæc eſt ex *Conſtitutionib. d. cap. 9.* §. 16. obſeruanda formula. *In collatione nulla præmiſſa benedictione omnes ſedeant: & lector ad ſignum Prioris dicat: Iube Domne benedicere, & Hebdomadarius dicat: Diuinum auxilium, &c. Poſt primam clauſulam Lector ad ſignum Prioris dicat Benedicite; & Hebdomadarius ſubiungat, Largitor omnium bonorum benedicat collationem ſeruorum ſuorum; & reſpondeatur ab omnibus.* Amen. Gratiarum actionis verò: *In fine collationis ad ſignum Prioris Hebdomadarius dicat: Sit nomen Domini benedictum, reſpondente Conuentu: Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum,* prout fit a Patribus noſtris Calceatis. Quæ tamen omnes formulæ licitæ ſunt, & a ſuis reſpectiuè obſeruandæ, cum in his ſit locorum attendenda conſuetudo per Bauldry *Manual. Sacr. Cerem. part. 2. cap. 21. num. 7.* & cum omnes breues ſint, & faciles valdè indecenter omitterentur.

## SECTIO QVARTA.

### *De benedictione in principio lectionis in menſa, vbi de capite ad nomen* Ieſu, *& ad Salutationem Angelicam diſcooperiendo.*

389 HOc vnum à Lectore menſæ præ cæteris obſeruandum, quod dato à Superiore incipiendæ lectionis ſigno, præmittere debet hæc verba: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen*, ex Conſtit. *d. cap. 9. §. 2.* exceptis tamen tribus maioris hebdomadæ diebus, in quibus hæc verba, omittuntur, eo modo quo ex ritu Eccleſiæ ſilentur & *Iube Domne*, & *Tu autem Domne &c.* in fine iuxtà Gauant. *ſect. 6. cap. 13. num. 11. & ſect. 9. cap. 6. num. 13. cap. 21. num. 6.* Per quæ verba, licet inuocationem importare videantur; eo ipſo tamen quod per ea Sanctiſſimum *Ieſu* nomen inuocatur, ſimul & benedicitur. Dei ſiquidem inuocatio, ipſius eſt laudatio, benedictio, & veneratio, vt ſtatim explicatur, & docet Gloſs. in *princip. Inſtit. & Codic.* Iuſtiniani, vt infrà.

390 Cur autem præmittantur duplicem opinor rationem. Alteram ſuppeditat ritus Monachorum ſic à S. Benedicto in *Regul. cap. 38.* præſcriptus: *Qui ingrediens* (de Lectore in menſa legendi hebdomadam incipiente loquitur) *poſt Miſſas, & communionem petat ab omnibus pro ſe orari, vt auertat ab ipſo Deus ſpiritum elationis, & dicatur hic verſus in Oratorio tertiò ab omnibus, ipſo tamen incipiente: Domine labia mea aperies, & os meum annun-*

*tiabit laudem tuam ; & ſic accepta benedictione* ( ecce inuocationem pro benedictione ) *ingrediatur ad legendum ;* & quaſi ſimili forma à Magiſtro in *Regul. cap.* 29. iteratus, quem Cardinalis de Turrecremata *Tract.* 101. *in Regul. D. Benedicti* ſanctiſſimè inſtitutum dicit, *quia , vt ait Auguſtinus in Regul. ſuperbia etiam bonis operibus inſidiatur , vt pereant ;* & conſentit Smaragdus ad *d. cap.* 38. vbi, ideò a Sacerdote benedicente hanc ſuper Lectorem collectam recitari: *Auerte quæſumus Domine ab hoc famulo tuo ſpiritum elationis, vt humiliter legens , ſenſum , & intellectum capiat lectionis. Per Dominum noſtrum , &c.* ſequunturque Hæftenus *diſq. Monaſt. lib.* 10. *tract.* 2. *diſq.* 2. Martene in *Comment. ad d. Cap.* 38. *Regul.* Ob ſimilem , inquam, cauſam, ſeù ad auertendam inanem gloriam in legendo præmittenda apud noſtros a Lectore ea verba: *In nomine Domini noſtri I. C.*

391 Alteram, quam eiuſdem Benedictini ritus tum eiuſdem Cardinalis, tum Smaragdi *ibid.* ſuggerit expoſitio. Hic enim ideò verba *Domine labia &c.* recitanda ſcribit a Lectore, *quia ab illo quærenda eſt labiorum aperitio , à quo primum facta eſt linguarum omnium diſtributio ; ab ipſo enim, qui diſertas facit eſſe linguas infantium , & labiorum apertio , & cordis quærenda eſt illuſtratio, vt os lectoris illi annuntiet laudis offitium , à quo ſe miſericorditer eſſe cognoſcit apertum .* Ille, ideò ter dicit repetenda *propter reuerentiam Sanctæ Trinitatis ; & quia tam in principio , medio , & fine aſſiſtere ſibi Diuinam virtutem expoſtulat.* Et ſic à verbis *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti* incipiendam lectionem, ſiuè ad eiuſdem implorandam aſſiſtentiam, ſiuè vt in eiuſdem gloriam, & honorem lectio tota dirigatur, iuxtà D. Pauli 1. *ad Corinth.* 10. *v.* 31. conſilium *: Siuè manducatis, ſiuè bibitis, ſiuè aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, iuxtà morem priſcorum Chriſtianorum, ſe initio operis cuiuſque ſignandi; de quo Pamelius in *not. ad Tertull. lib.* 2. *ad Vxor. cap.* 5. *num.* 34. & *not. ad lib. de Coron. Milit. cap.* 4. *num.* 40. quaſi dicerent, vt ad *d. verſ.* 31. ſubdit Cornelius à Lapide, *hoc opus fiat ad gloriam Dei in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

392 Poteſt etiam dici, præmittendam SS. nominis *Ieſu* inuocationem, tum, vt eius ope, quod teſte D. Bernardo in *Cantic. ſerm.* 15. *reparat ſenſus, virtutes roborat*, lectionis moleſtia ſuperetur a lectore ; ſiuè quia hanc præciſè operandi ſeù ab hoc nomine exordiendi formam, ad *Coloſſenſ.* 3. præſcribit Apoſtolus: *Omne quodcumque facitis , in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite ;* quam ad *d. cap.* 3. *hom.* 9. ſic explicat S. Ioann. Chryſoſtomus *: Siuè edas , ſiuè bibas , ſiuè nubas , ſiuè peregrè proficiſcaris, omnia in nomine Domini Dei facias , hoc eſt ipſum adiutorem inuoces, ac tum demum agenda contingas, poſteaquam ipſum primum inuocatus fueris. Vis aliquid loqui ? Nomen Dei præſtrue. Propterea & nos epiſtolis nomen Domini præſtruimus. Vbicumque fuerit nomen Domini, ibi omnia ſunt proſpera.* Et ita videmus à Iuſtiniano Imperatore in initio ſiuè *Inſtitution.* ſiue *Codicis*, ſiuè *Digeſt.* ſemper *In nomine*

*mine Domini noſtri Ieſu Chriſti* præmiſſa verba, ſeù ab hoc ſanctiſſimo nomine inchoaſſe; Super quo Gloſſ. *ibi*: *Primò ponitur inuocatio Diuini nominis per quam Deus nominatur*; ex quo infertur, ſemper *In nomine Domini incipiendum*, vt ead. Gloſſ. ad *l. In nomine Domini. C. de Offic. Præfect. Prætor. Aphr.* Ex hac enim inuocatione *ſequitur bonum initium, melius medium, & optimus finis*, vt ſubdit eadem Gloſſ. ad *init. d. Inſtit. verb. Ieſu Chriſti*. Vndè & inſtrumenta, & teſtamenta ab hoc eodem nomine exordienda monet Roland. n. Rodulphinus *Summ. Artis Notar. cap.* 1. vbi in addit. legitur: *In ipſius enim capite ſupponitur inuocatio Domini Ieſu Chriſti, iuxtà illud Pauli ad Coloſſenſ. Omne &c. Decet enim* (ſic in altera addition.) *nullum aliud ponere fundamentum, niſi illud, quod poſitum eſt, Chriſtus Ieſus, vt ſcribit Paulus ad Corinth. 1. cap. 3. quo fit, vt eius accedente gratia facilius inſurgat operis euentus.*

393 Eſt autem hic adnotandum, non eſſe ſimpliciter nomen *Ieſu Chriſti* pronuntiandum, ſed cum addito *Domini noſtri*; & id ex ſingulari Ordinis Eremitarum, in tam auguſtum, & ſalutiferum nomen deuotione, in quo ex antiquiſſima conſuetudine numquam *Ieſus Chriſtus* ſine his verbis *Dominus noſter* profeitur. Quod obſeruatum video & à Lorino, dum in *Pſalm. 66. verſ. 8.* hæc ſcripſit: *Sed & Auguſtiniani Ordinis Religioſi ad nomen Chriſti ſemper addunt Domini noſtri, etiam ſi non exprimatur. Quod ſi quis inter legendum id omittat, iubetur exprimere repetendo*, rati iuſtè, & a fortiori de Domino gloriandum, quando nos oporteat & in eius Cruce gloriari. Vndè & reuerenter tum a lectore pronuntiandum, tum ab auditoribus ſuſcipiendum, hoc eſt ad eius prolationem caput detegendum, atque inclinandum, iuxtà hanc Ceremonialis *lib. 5. cap. 9.* ordinationem: *Lector ſtans incipit lectionem dicendo: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen; & ad nomen Ieſu Fratres ſedentes capita detegunt, & inclinant; Miniſtri in medio profundam faciunt reuerentiam.*

394 An autem ſit detegendum, ſi poſt inceptam refectionem nominari contingat, negatiuè reſpondet Paulus à S. Ioann. *d. Ceremonial. lib. 2. cap. 6.* §. 3. ibi. *Ad dulciſſima nomina Ieſu, vel Mariæ dum Fratres ambulant, ſedent, vel ſunt genuflexi, & niſi fuerint in Refectorio comedentes, caput detegunt.* Vndè infert Maggius de *Sacr. Ceremon. opuſc. 2. num. 169.* & benè: *Qui ergò non comedit, & audit hæc nomina, caput ſuum detegere debet*; & ſequitur iterum; ergò qui comedit detegere non debet. Nunquam tamen puto omittendam capitis inclinationem, cum hæc comeſtioni non obſtet.

395 At quid, ſi Salutationis Angelicæ ſignum detur, dum iam menſæ accumbimus? Michael Bauldry in *Manual. Sacr. Cerem. part. 2. cap. 21. num. 3.* ita reſoluit: *Si aliquando detur ſignum Salutationis Angelicæ, dum accumbunt menſæ, omnes ſurgere oportet, & aperto capite recitare preces conſuetas.* In Ordine Eremitarum S. Pauli, vt refert Maggius in *Cent. Diſq. de*

Menſa

*Menſa Religioſ. cap.*4.§.2.*nu.*4. ſi intrà legendum pulſetur ad Salutationem Angelicam conſuetam, alta voce lector in menſa recitat. Alij apud eumdem Maggium *ibid.* omnes à menſa retrahentes manus à comeſtione ceſſant, & conſuetam ſalutationem cooperto tamen capite recitant. Apud noſtros omnes abſtinent à cibo, & lector ſtans, aut genuflexus iuxtà temporum varietates (quod faciunt & miniſtri) eamdem altè perſoluit. Sed neſcio, quarè non id obſeruetur, quod in *d. Ceremonial. lib.* 5. *cap.*9. præſcribitur: *Si autem ad Salutationem Angelicam, vel ſignum pro Defunctis inter comedendum pulſetur, nec lector à lectione, nec miniſtri à proprijs miniſterijs, nec comedentes à refectione deſiſtant: ſed ſtatim ac à menſa egreſſi fuerint, ſtantes, vel genuflexi preces, & orationes cum ſilentio recitabunt, quibus perſolutis ad ſignum Præſidentis gratiarum actio ab Hebdomadario incipiatur*. Deuotius tunc credo, quam media in comeſtione, recitaretur.

396 Quando tamen inter veſcendum dicenda ſit, caput omninò detegendum; ſi enim ex *Ceremonial. ibid.* quando *Prælatus in propria reſidentia, vel Procurator Generalis, Definitor Generalis, vel Supprior in abſentia Prioris introierint, & lector à lectione* deſiſtere, *& cæteri ſurgentes capitibus diſcoopertis mediocrem* facere debent *reuerentiam*; non video, quarè non etiam denudandum caput, dum Angelica Salutatio recitatur; *Valdè enim abſurdum* (verba ſunt Maggij *ibid.*) foret, ſi maior homini, quam ſalutandæ Deiparæ Virgini reuerentia exhiberetur. Vndè in ſalutatione, quoniam talis eſt ritus Romanus, ſemper denudandum caput cum Hieronymo Lunadoro in *Relat. Roman. Aulæ*, & *loc. cit.* & *de Sacr. Ceremon. opuſc.* 2. *nu.*175. ipſe concludit. Nec obſtat, quod non detegatur, vbi à lectore *Ieſus, & Mariæ* nomina proferuntur, quia tunc non omittitur, aut ſuſpenditur comeſtio, ſicut in Salutatione Angelica.

## SECTIO QVINTA.

### *De Pſalmis* Deprofundis, *&* Miſerere, *& quando dicendi ſint; vbi de Hoſpitum pedibus abluendis.*

397 IAm quandò dicendi ſint ex inſtituto Eccleſiæ patet ex Breuiario Romano. Senſus eſt hic, quando recitandi ex particulari ſtatuto. Et quoad *pſalm.* 129. nempè *Deprofundis* recitatur iuxtà Conſtitutiones *part.*1.*cap.*2.§.2. quandò poſt ſextam, & nonam à Choro proceditur ad Refectorium: *Finitis horis* (ſic ibi) *quæ prandium præcedunt examen conſcientiæ in choro facient per octauam horæ partem, quo finito ad ſignum Præſidentis*

*dentis pſalmum Deprofundis incipiant, & ad Refectorium pergant*; & iterum (vt vidimus ſupr.) *cap. 9.* §. 1. & ex conſuetudine quando etiam poſt Completorium, vel Orationem mentalem tendunt item ad Refectorium. Nec errare crediderim, ſi hunc, ſi non *Deprofundis*, ſaltem pſalmi alicuius, dum ad Refectorium proceditur, recitandi morem in S. Fructuoſi *Regul. cap. 5.* mihi legere videar: *Cum hora nona* (ſic ibi) *ad veſcendum conuenitur, dicto pſalmo, reſidentibus alijs vnus legat in medio*; non enim apparet cur vox *pſalmo* vniri nequeat cum actu conueniendi, & interpretari non poſſit, pſalmum tunc recitatum, dum ad menſam procedebatur, *cum conuenitur*: non verò poſt acceſſum ad menſæ locum, & pro benedictione; quandoquidem benedictio alijs ſubſequentibus verbis *ibid.* præſcribitur: *Priuſquam ad menſam conueniant præcedat oratio: Poſtquam à menſa ſurrexerint ſequatur oratio*; ſicuti enim per orationem poſt menſam intelligitur gratiarum actio, ità & per orationem antè menſam intelligenda benedictio; adeòque pſalmum non ad benedictionem ſpectaſſe, & conſequenter recitatum in itinere poſt nonam ad Refectorium: Saltem non improbabile.

398 Hoc vnum dubio vacat conſueuiſſe Monachos ad primum pro menſa ſignum, in vnum congregari, & indè cum ſilentio, reuerentia, & aliquod meditando, omnes ſimul ad Refectorium accedere, vt apud Martene de *Ritib. antiq. Monach. lib. 1. cap. 11. num. 1. 3. 4. & 5.* Vndè bis ad menſam pulſari campanulam, non ex eo proceſſiſſe, vt Monachi ad Refectorium vocarentur; ſed vt audito primo per piam conſiderationem ſe diſponerent, aduertit, & non extrà rem, Nebridius à Mundelheim *Antiquar. Monaſt. epiſt.* 88. ibi: *Primus ergò pulſus non ad refectionem ſed ad conſiderationem, ſi bona præparatio ad rem vllam, certè ad menſam requiritur, vbi mille occaſiones, ſi non ad malum, ſaltem non ad bonum ſunt.* Patres mei Calceati dato iuxta *Conſtitut. part. 2.* primo ſigno in loco ſilentij congregati aliquid legunt, & indè proceſſionaliter ingrediuntur Refectorium, ſubdit *ibid.* à Mundelheim *tamquam in Eccleſiam.* Apud nos Deprofundis alternatim recitatur; Quod & à Patribus Ordin. Prædicatorum obſeruari me docet Vincentius Maria Fontana in *Conſtit. & declarat. d. Ordin. litt. M. de Menſa, num. 19.* dicens: *Antè prandium & cænam dicatur pſalmus Deprofundis*; & cur id fiat, ex hac Capituli Toloſani de 1628. ordinatione ſic explicat: *Grati animi ergò Deprofundis in atrio Refectorij antè prandium, & cænam pro benefactoribus recitetur, ex quorum beneficijs alimenta ſuſcipimus.* Ni dicendum ſit recitari pro ipſis animabus purgatorij, vt antequam cibus à nobis deguſtetur, ipſis eſurientibus, & ſitientibus ſpiritualis cibus ſubminiſtretur.

399 Quo verò ad pſalmum 50. nempè *Miſerere*, vltra gratiarum actiones poſt prandium, in quibus ex antiquo Monachorum more vſurpatur iuxtà Hildemarum in *Regul. S. Benedicti* apud Edmund. Martene in *Comment. ad d. Regul. cap. 43.* & de quo in *Epitom. Ludouici Imperatoris ſuper eam-*

*dem*

*dem S. Benedicti Regulam*, ſic: *Expleto cibo finiatur & lectio. Surgentes à menſa dicto verſu ſiniſter Chorus exeat prior, nouiſſimus D. Abbas pſallentes pſalmum quinquageſimum diſtinctè*, ſtatutum referunt Menardus in *Concord. Regular. cap.*47. *not. ad* §.8. & Hæſtenus in *Ordin. Monaſt. Conuerſat. not. ad cap.*11. *num.* 18. Præter has, inquam, gratiarum actiones cantatur etiam, vt in noſtro *Ceremonial. Eccleſ. lib.* 5. *cap.* 6. & *Ordinar. Prec. lib.*2. *cap.* 10. dum in communi ſit, vt *num.* 142. dictum eſt, ter in hebdomada flagellatio, & dum quis sè publicè diſciplinat in Refectorio per *Conſtitut. p.* 1. *cap.* 15. *num.*8. ibi: *In eodem Refectorio vnam diſciplinam faciant ſuper nudas ſcapulas pſalmum Miſerere, & Deprofundis ſedatè dicendo*, & *part. cap.*6. *de Culp. & pæn. grauior.* Cum enim in hac corporis caſtigatione nouum non ſit pſalmos aliquos decantari, ipſo S. Petro Damiani teſte *lib.* 6. *epiſt.*34. *ad ſuos Eremit.* & *epiſt.*27. *ad Petrum Cerebroſ. Monachum*, ibi: *Tu quoque non diſciplinæ regulam, ſed longioris diſciplinæ deteſtaris inſaniam; nec improbas cum diſciplina dici pſalmum: ſed perhorreſcis, vt continuetur cum diſciplina pſalterium, &c.* vſus inualuit apud omnes ferè Religiones pſalmum *Miſerere* ſaltem concinendi, dum ſe pariter flagellis in communi caſtigant, vt notat Hæſtenus Diſquiſit. Monaſtic. *lib.* 8. *tract.* 5. *diſq.* 4. *num.* 5. & de quibus Maggius de *Sacr. Ceremon. opuſc.*2. *diſq.*54. quin obſeruat ipſa etiam Eccleſia in abſolutione ab excommunicatione; pro pſalmo enim pænitentiali, qui ex *Cap. A Nobis. il* 2. *de Sént. Excommunic.* recitandus eſt, dum reus ſcutica percutitur, venit *Miſerere* per Nauarr. in *Cap.* 1. *in princip. de Pænit. diſt.*6. *num.* 53. & Ritual. Roman. reformat à Paulo V. 1. *p. de Sacram. pænit. princip.* & Peyrin. in *Formular. litt. A. cap.* 1. & ita in noſtris Conſtitutionibus præſcribitur *p.*4. *cap.* 14. *num.* 3. Et quidem ſatis congruè, cum pſalmus hic inter pænitentiales principalior ſit, & ideò inter ipſos medius; & quo frequentius vtitur Eccleſia; ſitque, vt potè ad humilitatem inducens, ad pænitentiam magis idoneus; & vt numero quinquageſimo inſignitus remiſſionem delictorum annuntiet, eo modo quo Iubilæi anno quinquageſimo crimina omnia relaxabantur; de quibus Incognitus *Expoſit. pſal.* 50. Lorinus in *argument. ad eumd. pſal.* Card. Bona de *Diuin. Pſalmod. cap.*14. §.2. *num.*4. noſter Anterus Maria à S. Bonauentur. in *Ponderat. Titul. eiuſd. pſalm.*

400 Sunt item hi pſalmi *Miſerere*, & *Deprofundis* apud noſtros recitandi dum pedes hoſpitibus lauantur ad præſcriptum Conſtitutionum *ead. p.* 1. *cap.* 15. *num.* 14. ibi: *Poſtquam obedientiam ſui Superioris exhibuerint, & Prior illam approbauerit, recipiantur, & eorum pedes charitatiuè lauentur, pſalmum Miſerere, ſeù Deprofundis cum precibus ſolitis perſoluendo*; hoc eſt iuxtà Ceremonial. *lib.*5. *cap.*12. cum aqua tepida, & herbis odoriferis lauantur. Circà quem ritum, etſi antiquiſſimum apud tum Veter. Teſtamenti, tum Euangelicæ legis Patres, tum Gentiles ipſos, vt oſtendunt

Iaco-

Iacobus Gretſerus in *Pedilauio cap.* 1. *ad* 7. Laurentius Beyerlinck *Theatr. Vit. Human. verb. Hoſpitalitas*. Hæftenus *ibid. lib.* 11. *tract.* 2. *diſq.* 4. & præſertim apud Monachos, cum pedes hoſpitibus lauari demandetur in Regulis Eſaiæ Abb. *num.* 33. ibi: *Si verò eſt defatigatus ab itinere, permitte illi quieſcere, & laua pedes eius.* S. Pachomiį *num.* 51. ſic: *Si Clerici fuerint, vel Monachi maiori bonore ſuſcipiantur, lauabuntque pedes eorum.* S. Iſidori *Cap.* 21. per hæc verba: *Deferenda eſt honorificentia hoſpitalitatis, præbeantur eis habitacula, lauentur eorum pedes.* S. Fructuoſi *cap.* 10. *Hoſpitibus, vel peregrinis fratribus ad veſperam lauandi pedes*; teſtetur Albinus Flaccus in *Poemat.* 143.

*Hic locus hoſpitibus pateat, veniat vltrò*
*Semper erit quoniam ſuſceptus in hoſpite Chriſtus.*
*Sitque miniſter ouans feſſo ſeruire vianti,*
*Et lauare pedes peregrinis gaudeat ille.*

& ex alijs elucident Nebridius à Mundelheim *loc. cit. epiſt.* 44. *fin.* & *epiſt.* 104. *per tot.* Stephanus Baluzius in *not. ad Capitular. col.* 1086. *verb. Mandatum*. Antonius Dadinus Alteſerra de *Origin. rei Monaſt. lib.* 8. *cap.* 10. & Martene ad *cap.* 35. *Regul. verſ. pedes verò*. Etſi inquam ex his monumentis ritus antiquitas probetur, nihil tamen quoad preces in tali lauacro perſoluendas expreſſum lego.

401 In S. Benedicti Regula *cap.* 53. aliquid quidem ſed poſt lotos pedes dicendum obſeruo, hunc ſcilicet ex *pſal.* 47. verſiculum: *Suſcipiamus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.* Pſalmos audio decantatos apud Monachos quoſdam, dum ad peregrinorum pedes abluendos irent, atque redirent: *Qui etiam pedes peregrinorum in vnaquaque feria lauant, illuc eundo, & indè reuertendo cum pſalmodia vadunt*, vt videre eſt in Capitulis Monachorum ad Augiam directorum apud Baluzium *loc. ſupr. col.* 1380. *num.* 3. Sed an quid decantatum in ipſa ablutione non liquet: quin vbi ſermo eſt de abluendis eorumdem Monachorum pedibus, in ſilentio id actum legitur, *ibid. num.* 10. *In Sabbato, quando mundicies facere ſolent, pedes cum ſilentio lauant*. In Concil. Aquiſgranenſ. de 817. *can.* 23. & 24. apud Binium antiphonas aliquas a Monachis decantari, dum ſibi pedes lauarent iniungitur: *Vt in Quadrageſima, ſicut & in alio tempore viciſſim ſibi pedes lauent, & antiphonas huic officio congruentes decantent.* Aliquid item decantandum innuit Hildemarus in *Reg. S. Bened.* apud Marten. ad *d. cap.* 53. dum Monachi pauperum pedes abluerent: *Ipſi etiam poſt Veſperas vadunt pedes pauperibus lauare, & cantando lauant pedes.* Apud Caſſinenſes etiam hoc obſeruari ſcribit Hæftenus *eod. tract.* 2. *diſq.* 5. quod Prælatus, & in eius abſentia Prior clauſtralis genibus flexis antè hoſpitem pedes eius lauet; *Quos dum incipit lauare mox duo Fratres in medio loci genuflexi incipiant aliquid cantare quod deuotionem excitet.* Quidnam autem id ſit, quod cantari debeat non

aperitur. Pſalmum aliquem, vel pias antiphonas non dubito, & de quibus Martene de *Ritib.lib.2.cap.* 12.*num.* 10. Et hoc ex vniuſcuiuſque Religionis, aut Superiorum placito, vel iuxta temporum congruentias, vt idem Martene *ibid.* Atque adeò, vt humilitati, quæ in huiuſmodi ablutione exercetur, magis accommodatos, à nobis electos pſalmos *Miſerere*, & *Deprofundis*, quos humilitatis ſenſibus abundare diximus; & vtique in ipſo ablutionis actu recitandos propter verba, *pedes lauentur, pſalmum Miſerere, ſeù Deprofundis cum precibus ſolitis perſoluendo*, quæ ſimultatem important.

402 An autem cum omnibus hoſpitibus id præſtandum, vel ſolum cum noſtris aliundè accedentibus? Et indifferenter cum omnibus reſpondeo; tum quia indiſtinctè loquuntur de omnibus Hoſpitibus, Religioſis tamen, Conſtitutiones; tum quia poſt hoc *num.3.* de hoſpitibus ſuſcipiendis ſtatutum: *Hoſpites, qui ad nos venerint, maximè Religioſi, & præſertim Ordinum Mendicantium non habentes ibidem Monaſterium ſui Ordinis &c. recipiantur*, ſubdunt *ibid.num.4. Nullus tamen, qui obedientiam ſui Superioris non portet, recipiatur iuxtà fel. record. Sixti V. Bullam. Poſtquam autem obedientiam ſui Superioris exhibuerint &c. recipiantur, & eorum pedes charitatiuè lauentur.* Ex quibus patet, quod reſpectu omnium, de quibus antecedenter habita mentio, ſeù & exterorum ſit talis ablutio ſtatuta; ſicut ex ſubſequentibus, in quibus ſine licentia cum huiuſmodi hoſpitibus Religioſi conuentuales colloqui prohibentur. Dixi, Religioſi tamen, quia illorum abluendi ſunt pedes, qui ſui Superioris obedientiam exhibuerint, vt vidimus; adeòque & Religioſorum tantummodò. Nec obſtat, quod cum quandoque calceati ſint, difficile ſit talem conſuetudinem obſeruare; cum enim in Conſtitutionibus nullo modo limitetur tempus, poterunt poſt cænam, antequam cubitum pergant, eorum pedes lauari, vt ex pluribus apud Hæſtenum *d.diſq.* 5.§. *verò Hildegardis*, & Martene *loc. cit.* §. *antequam hinc diſcedamus &c.*

# OBSERVATIO QVARTADECIMA.

## Ad Text.

*Cum pulſatur ad portam citò adſit, & per feneſtellam priuſquam portam aperiat, dicendo deuotè* Aue Maria *pulſantes reſpiciat, &c. Fratres antequam domo exeant, & in domum reuerſi à Superiore benedictionem genuflexi, deoſculando corrigiam Superioris humiliter petant dicentes:* Benedicite Pater. *Superior verò benedictionem dando reſpondebit:* Ille vos benedicat, qui ſine fine viuit, & regnat. Conſt. *p. I. cap. II. num. 2. & 13.*

## SECTIO PRIMA.

### *De Religioſorum Salutationibus.*

403 QVoties ergò pulſatur ad ianuam, toties per *Aue Maria* à Ianitore reſpondendum; & vtique cuicumque, ſiuè nobilis, ſiuè plebeus ille ſit; & vtrumque ob ſtatuti indefinitum loquendi modum. Conſimilem quidem S. Benedictus reſpondendi formulam præfixit Ianitoribus in *Regul. cap. 66.* ſed duplicem: *Et mox vt aliquis pulſauerit, aut pauper clamauerit, Deo gratias reſpondeat, aut Benedicat*; ſeù, vt alij legunt: *Benedic*, vnam ſcilicet pro pauperibus, qui per clamantes, & alteram pro diuitibus, qui per pulſantes intelliguntur; nempè *Deo gratias* pro illis, & *Benedicat* pro iſtis, vt explicant Ioann. de Turrecremat. in *d. Regul. tract.* 141. & Smaragdus *ibid.* & cum Hildemaro Martene pariter ad *d. cap. 66.* Vnica noſtra eſt, & ideò omnibus indiſcriminatim reddenda.

404 Et quia has formulas loco ſalutationis ſtare obſeruat Hæftenus *Diſq. Monaſt. lib. 3 tract.* 4. *diſq.* 7. dicens: *Quibus verbis duplicem ſalutandi tradit formam. Prima eſt, qua dicitur, Deo gratias; altera, qua benedictio vel à maiore petitur, vel minori impenditur;* idem de reſponſione per *Aue Maria*

*Maria* dicendum. Omnes ſanè laudabiles pro religioſis ſalutationibus obſeruationes. Vndè non ſolum à Ianitoribus, quandò ad Monaſterij fores quis pulſat: ſed ab omnibus inuicem occurrentibus, vel has, vel conſimiles iuxtà varios Religionum mores eſt & meritò inter Religioſos exerceri inductum; cum namque, vt ait Iulius Nigronus in *Regul. Communior. Societ. Ieſ. Regul. 27. num. 12.* & *Regul. 34. num. 9.* nihil vſitatius inter notos, & amicos, quam ſalutatio; adeò vt teſte ipſe S. Ambroſio *lib. 7. in Luc. 10.* & Gentiles Chriſtianos ſalutare conſueuerint: *Gentiles quoque cum Chriſtianis habent huiuſmodi officiorum commercia*, certè non erat à Religioſis perſonis vrbanitas hæc arcenda.

405 Et quidem, ſi antiqua ſalutandi conſuetudo attendatur, mos erat optandi per eam aliquid boni, vt clarè ex hac Amalarij de *Eccleſ. Offic. lib. 3. cap. 19.* obſeruatione: *In eo die deſcendit Dominus de monte Oliueti, venienti ei obuiam turba multa. Non eſt dubium, quin ſalutaret eam ſecundum morem bonum antiquæ traditionis, quem etiam noſtra non ſolum perita Eccleſia, ſed etiam vulgaris tenet. Solet ſibi obuianti aliquid bonum optare cauſa ſalutatationis. Et præcipuè propterea dicimus Dominum ſalutaſſe turbam venientem ſibi obuiam, quoniam talis erat conſuetudo Iudæorum, vt Auguſtinus in pſalm. Sæpè expugnauerunt me: Noſtis enim, ait, fratres, quando tranſitur per operantes, eſt conſuetudo, vt dicatur illis: Benedictio Domini ſuper vos. Et magis iſta conſuetudo erat in gente Iudæorum. Nemo tranſibat, & videbat aliquod opus in agro, vel in vinea, vel in meſſe, vel aliquid eiuſmodi, non licebat tranſire ſine benedictione. Hæc conſuetudo manet vſque hodiè in noſtra Eccleſia, quando tranſitum facimus de vno officio ad alterum, quaſi nuper introeamus ad operarios, ſalutamus eos verbis benedictione plenis.* In quibus non tantum ſalutationis formula, ſed & etiam eius antiquitas, ſeù & antè Chriſtum Dominum vetuſtiſſimus vſus habetur; dum enim per antiquam traditionem ad Chriſti tempora deſcendiſſe dicitur, neceſſe eſt, quod longè antè ipſum ortum habuerit, &, vt puto, eas reſpiciat ſalutationes, de quibus *Numer. cap. 6. & Ruth. 3. Benedicat tibi Dominus.*

406 Quod idem dicendum eſt attenta etiam conſuetudine, qua certum eſt iuxtà morem Hebræorum vſos Chriſtum & Apoſtolos: *Pax vobis*; ſic enim de Chriſto, & Apoſtolis S. Petrus Damiani in *lib. inſcript. Dominus vobiſcum cap. 3.* ibi: *& in nouo Teſtamento penè ſemper ità Dominus ſalutaſſe diſcipulos inuenitur: Pax vobis. Quibus nimirum diſcipulis eamdem ſalutationis formam commendauit dicens: In quamcumque domum intraueritis, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui.* Et de Hebræorum ritu Pamelius in *not. ad cap. 5. lib. 5. Tertull. aduerſ. Marcion. n. 65.* & Cornelius a Lapid. in *Zachar. Proph. cap. 8. verſ. 11.* ibi: *Chriſtus, & Apoſtoli hac ſalutatione ex ritu Hebræorum vti ſolent: Pax vobis*, & repetit in *Epiſt. 3. S. Ioannis ad verſ. 14.* & ſi quoad Apoſtolos ſcribat in *Epiſt. ad Roman. cap. 1. ad verſ. 7.* ex Tertullian.

lian. *d. lib.5.cap.5.* ab illis additum verbum *Gratia*; ſeu *Gratia,& pax vobis*? Eſt, inquam, idem dicendum; optata ſcilicèt & in hac ſalutatione bona; nam, vt idem Cornelius ad *d. loc. Zachar.* habet: *Pax eſt magna bened. ctio, & maiorem ſecum adducit*; & eſt phraſis, *qua omnem benedictionem apprecantur*; ac idem eſt, ac dicere, *omnia proſpera, & fauſta ſint vobis*, vt idem interpretatur ad *d. verſ. 7. epiſt. ad Roman.* de qua re videndi S. P. Auguſtinus de *Ciuit. Dei. lib.19. cap.11.* & S. Bonauentura in *Diat. ſalut. tit.7. cap.6.*

407 Apud Monachos verò, vt de Ordinis mei antiquis Patribus loquar, formulam *Deo gratias* vſitatam nemo eſt, qui ambigat, cum idem S. P. Auguſtinus contrà Circumcellionum irriſiones ſic eam, & ſuos Monachos ea vtentes his in *Enarrat. in pſal.132.* verbis defendat: *Hi etiam inſultare nobis audent, quia fratres, cum vident homines, Deo gratias dicunt. Quid eſt, inquiunt, Deo gratias? Ità ne ſurdus es, vt neſcias, quid ſit, Deo gratias? Qui dicit Deo gratias, gratias agit Deo. Vide, ſi non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem ſuum. Num enim non eſt locus gratulationis, quando ſe inuicem vident, qui habitant in Chriſto? Et tamen vos Deo gratias noſtrum ridetis.* Vbi de Monachis ſermonem eſſe, & per *fratres*, Monachos ibi venire nullum eſt dubium, tum ex antecedentibus: *Quid ergò dicunt illi, qui nobis de nomine Monachorum inſultant*, tum ex conſequentibus: *Quarè ergò & nos non appellemus Monachos, cum dicit pſalmus, Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum*; & iterum: *Reſpondeant nobis, & exponant, qui inſultant nomini Monachorum &c.* Atque ità ex his S. P. Auguſtini verbis, eorum Monachorum ſe per *Deo gratias* ſalutandi morem fuiſſe ſcribunt Nebridius a Mundelheim in *Antiquar. Monaſt. epiſt.* 104. Iul. Nigronus ad *d. Regul.27.n.12.* Caracciolus in *Synopſ. Veter. Religioſ. p. 1. cap.1. nu. 10. fin.* Hæftenus *cit. diſq.* 7. Cornelius a Lapid. in *Epiſt. ad Epheſ. cap. 5. verſ.4. & in 1. ad Theſſalon. cap.5. n.18.* Gauantus, ad *Rubric. Miſſal. part. 1. tit. 10. litt. L.* Cardinalis Bona de *Diuin. Pſalmod. cap. 16. §. 14. fin.* Bernard. Biſſus in *Hierurg. litt. D. n.91.* Martene. *Comment. ad d. cap. 66. Regul. S. Bened.* & Monachorum tantum, vt clarè Chriſtianus Lupus in *Concil. tom.5. pag.515.* ibi: *Videtur iſtè mos fuiſſe ſolis Monachis. Vndè & hodiè illi ferè ſoli ipſum retinent*; ſeu fuiſſe morem Monachorum a S. P. Auguſtino inſtitutorum, cum antè ipſum nulli eſſent ibi, & ab ipſo primùm in Aphrica inſtituti fuerint Monachi, vt ex probatis in *Quodlibet. Regular. à num.187. & ſeq.* Vndè potuit dicere Philippus Elſſius vt *nu. 123.* vidimus, huius ſalutationis per *Deo gratias* auctorem fuiſſe eumdem S. P. Auguſtinum.

408 Nec his obſtat, quod idem S. P. ibi loquatur de more, vt quidam ſibi ſuadent, aut Chriſtianorum, aut apud Monachos antiquo, ſeù ante ipſum iam vſitato; quia quoad primum liquet apertè ex nunc dictis, locutum ibi S. Patrem de Monachis; & dato, quod ſic ſe ſalutarent & Chriſtiani reliqui, certè non hinc ſequitur, quod idem non præſtarent & Monachi; quin

quin potius ab his id illi didicerint. Et quoad ſecundum, intelligendus eſt talis mos priſcorum Monachorum, non priſcorum reſpectu S. P. Auguſtini, cum non legatur eo modo antè ipſum ſe Monachos ſalutaſſe, ſed priſcorum reſpectu temporis, quo Auctores illi, ritum ſe per *Deo gratias* ſalutandi ex S.P. Auguſtino priſcorum Monachorum fuiſſe deducunt; maximè cum S. Pater loquatur de ritu à Donatiſtis irriſo, tamquam nouiter inducto, eo modo quò eum pariter arguebant pro Monachatu ab ipſo ibidem inſtituto, vt potè pro re noua, & vſque tunc inuiſa. Vnde Nigronus *d.n.*14. dicit apertè huiuſmodi ſalutationis formam propriam fuiſſe Monachorum Aphricæ, quos antè S. P. Auguſtinum certum eſt non fuiſſe: *Formulam Deo gratias, quæ erat in ore Monachorum Aphrorum*. Et Stephanus Durant. de *Ritib. Eccleſ. Cathol. lib.*3.*cap.*18.*n.*10. explicat de ipſo S. P. Auguſtini ſæculo, hoc eſt non anteà: *Hoc loco obiter obſeruandum eſt, Monachos iam tum Auguſtini ſæculo cum hominibus occurrebant, Deo gratias dicere conſueuiſſe*; & expreſſius ex Burchardo Gauantus *loc. cit.* Ioann. Anton. Pallotta in *Syntagm. Rit. Sacr. lib.*2.*cap.*13. & Biſſus *d. n.*91. qui ſic habet: *Deo gratias erat vox valdè vſitata à Monachis, cum alicui homini occurrerent; idque temporibus D. Auguſtini, vt refert Ioann. Burchard. in Ord. celebr. Miſſ.* Quod ſi antiquior Auguſtino dicatur vſus huius vocis *Deo gratias*, tranſeat: ſed non per modum ſalutationis: ſaltem nullibi à me lectum. Quarè ſubſiſtere dicendum & à S. P. Auguſtino hunc morem primò inductum, & ab eius Eremitis fratribus fuiſſe obſeruatum; quamuis Chriſtianus Lupus eum dicat ab ipſo vna cum Monachatu ex Italia in Aphricam delatum; cuius tamen nullum monumentum, ſicut multiplex reſpectu Monachatus.

409 Hanc eamdem, & ſuis Monachis, pro Oſtiarijs ſaltem ſalutandi formam ſucceſſiuè induxit S. Benedictus in *Regul.* ſed vnà cum alia *Benedic*, vt vidimus. Dixi pro Oſtiario, & reſpectu pulſantium ad ianuam; nam pro ſe ſalutandis, cum inuicem ſibi obuiarent, altera fuit illis ſalutationis forma familiaris, ex ead. *Regul. cap.*63. ibi: *Vbicumque autem ſibi obuiant Fratres, iunior à priori benedictionem petat*, dicens ſcilicet, *Benedicite*, vt notat Ioannes a Turrecremat. *ibid. tract.*137. & ex Epitom. Ludouici Pij ſuper *eamd. Regul.* Hugo Menardus in *Concord. Regular. cap.* 70. *not. ad* §. 1. *verſ. Benedictionem petat*; & ex Petro Venerabil. *lib.*1. *Epiſt.*28. & alijs Hæftenus *cit. diſq.*7. & in *Comment. Ordin. Conuerſat. Monaſt. cap.*6. *n.*4. & Martene ad *d. cap.*63. reſpondente ſeniore vel *Deo gratias*, vt Boherio in 2. *Commentar.* libet, vel *Dominus*, vt ex Bernardo Caſſinenſ. ad *cap.* 25. & alijs Martene *loc. cit.* vel *Deus*, vt ex *Regul.* Magiſtri *cap.* 13. colligunt idem Bernardus *ibid.* & Hæftenus ad *d. cap.*6. *Ordin. Conuerſ. Monaſt.* cuius ſenſus eſt, *Benedicat te Deus*; iuxta ritum etiam inter priſcos Chriſtianos communem, de quo Tertullianus *lib. de Teſtim. anim. cap.*2. ibi: *Et quod penes Deum bonitatis, & benignitatis omnis benedictio inter nos ſummum ſit diſciplinæ, & conuerſationis*

*ſationis Sacramentum, benedicat te Deus. tam facili pronuntias, quam Chriſtiano neceſſe eſt*, prout interpretantur Menardus *loc. cit.* dicens: *Se ergò mutuò ſalutantes Chriſtiani dicebant, Benedicat te Deus*. Martene in *Comment. ad d. cap.63. verſ. Vbicumque autem fin.* & Peyrini in *Regul. Minim. cap.5. §.19.q.3. n.2.* qui eodem modo benedictionem, de qua ibi Tertullianus pro ſalutatione recipiunt; Et quem teſſeram Chriſtianitatis appellat Chriſtianus Lupus *ibid. pag.* 504. & à populo quoque Conſtantinopolitano obſeruatum ſic in ſua Turco Græcia *not. ad Hiſtor. Polit. Conſtant. poſt lib.1. pag.44.* ex Scheltebergero ſcribit Martinus Cruſius: *Moris eſſe, vt laicus in publico Sacerdotem obuium habens, reuerenter capite nudato, & corpore inflexo ab eo petat* Eflogi Mena Deſpota *Benedic mihi Domine: Sacerdos autem manu capiti eius impoſita dicas* Otheos Eflogito ſenam: *Deus tibi benedicat*; cum enim id fieret in occurſu Sacerdotum, certè liquet benedictionem ibi ſtare pro ſalutatione, eo modo quo ad illa verba *Geneſ.47.10. Benedicto Rege* benedictionem pro ſalutatione explicat Cornelius à Lapid. *Benedicere enim hic eſt ſalutare*; ſicut & de omnibus benedictionibus in perſonarum occurſu Theophilus Raynaud. *tom. 16. Heteroclit. Spirit. ſect. 2. punct. 3. pag. 210. col.2.* ibi: *Hæ enim benedictiones nihil ſunt niſi ſalutationes*. Sed iam non *Benedic*: ſed *Deo gratias* à Monachis obuiantibus vſurpari notat *ibid. pag.538.* Chriſtianus Lupus: *Obuij tamen fratres* ( loquitur de Monachis, & ſalutatione iuxtà Regulam ) *non benedicite paſſim dicunt, ſed Deo gratias*.

410 Cæteræ quoque Religiones vel hanc eamdem *Deo gratias*, vel conſimilem ſalutandi formam frequentant, vt *Dominus det tibi pacem, Pax vobis, ſalue, Aue, laudetur Ieſus Chriſtus, vel Aue Maria, &c.* de quibus Hæftenus *cit. diſq. 7.* & Nigronus *ead. Regul.27. n. 14.* Nos autem plures ex his v. g. *Aue Maria*, non ſolum Oſtiarius, quando ad Conuentus ianuam: ſed omnes, quando ad Cellæ oſtium pulſatur, vel etiam *Deo gratias*. Item *laudetur Ieſus Chriſtus*, dum quis, vbi alij ſint, accedit, vel alteri obuiat, reſpondentibus alijs aut *ſemper*, aut *& Virgo Mater eius*. Pariter *Benedicite*, quando ſuo Superiori quis loqui vult, vel reſpondere. Et item *Pax tecum*, cum Religioſos noſtros hoſpites recipimus; & tunc vna cum amplexu, qui *pacis oſculum* vocatur, vt in Vit. S. Macharij Paphnutius: *Oſculum mihi pacis tribuit*, & iuxtà morem non antiquorum tantum ſed & recentiorum Monachorum pluribus exornant Hæftenus *ibid. lib.11. tract.2. diſq.1.* & Iulius Nigronus ad *Regul.34. n.10.* ex cuius mente, vt *ibid. num. 11.* eſt in huiuſmodi amplexu obiter obſeruandum, *Quod minor inclinatione moderata corporis vtatur, nec ipſe maioris collum comprehendat brachijs, ſed ſinat potius ſuum collum maioris brachijs circumdari*.

411 Et ita communiter, & reſpectiuè, vt dictum eſt, obſeruandæ; quandoquidem in his retinendæ Religionum conſuetudines, vt monit Nigronus *Regul. 27. n.14. fin.* & eo magis cum de his ſalutationibus dici poſſit, quod

de

de vna ex his ſcribit Menardus *loc. cit. Et hac quidem ſalutatio maximè facit ad deuotionem, charitatem, grauitatem, mutuamque obſeruantiam, & reuerentiam, ablegatque inſulſam, & ſcurilem neſcio quam familiaritatem*; O vtinam ità ſemper, & non audiantur ſæcularia verba *Seruus*, & *mancipium* ac ſimilia.

412 An verò indiſpenſabiliter hæ dandæ, redendæque ſalutationes, nec ne ſi quis interroget? En Cardinalis à Turrecremata *cit. tract.* 137. opinio, & conſilium. *Quod tamen faciendum eſt in locis tantum, & horis, in quibus loqui regulariter licitum eſt: Quando verò obuiatio iſta contingit locis, aut temporibus, quibus loqui non licet, tunc ſola capitis inclinatione petenda eſt benedictio*. Conſimilis eſt ſenſus Petri Venerabilis *d. Epiſt.* 28. ibi: *Vbicumque ſibi obuiant Fratres, iunior à priore benedictionem petit, benedicite, dicendo, ſi extrà regularia loca fuerit, & humiliter inclinando: ſed nihilue proferendo, ſi infrà officinas regulares ſibi occurrerit*. Item Bernardi Caſſinenſis in *Spec. Vbi & quando loqui licet, poteſt iunior modeſtè dicere: Benedicite: aliàs autèm vbi, & quando non licet, ſola capitis inclinatione benedictionis poſtulatio fiat*; & aliorum, quos ſequuntur Hæftenus *ead. diſq.* 7. & Martene ad *cit. cap.* 63. *Regul.* conſentiuntquè Nigronus *ead. Regul.* 27. *nu.* 13. & Peyrinus ad *Tit. Regul. Minim. q.* 4. *n.* 5. & nos quoque ſequi debemus.

## SECTIO SECVNDA.

### *De benedictione Prælati in Religioſorum egreſſu.*

413 ET hic antiquus apud Monachos eſt ritus. Auctor ſi quidem pœnarum intèr opera S. Baſilij *num.* 1. ſic habet: *Si quis egrediatur de Monaſterio non accepta benedictione, aut non dimiſſus ab Archimandrita, hoc eſt Patre, vel Præfecto Monaſterij ſit excommunicatus*. Ioannes Climacus *grad.* 4. teſtatur B. Mennam ad monaſterium reuerſum ante Abbatem proſtratum *benedictionem ſecundum conſuetudinem ſuſcepiſſe*. Clarè in Regul. S. Fructuoſi *cap.* 8. ibi: *Neque vſpiam ſine benedictione ſui ſenioris progrediatur*. Item in Regul. S. Iſidori *cap.* 22. licet ibi ſit ſermo de benedictione pro itinerantibus, & illis à toto Conuentu in Eccleſia danda. Idem legitur in ſexta Synod. *can.* 46. In Actis S. Columbæ *lib.* 2. *cap.* 8. In S. Gregor. Magn. *Dialog. lib.* 2. *cap.* 7. & in Vit. S. Euſtaſij Abbatis Luxouienſis, qui (vt videre eſt in Concil. Matiſconens III. de 617. apud Binium) contra Agreſtinum ſui præceptoris morem *tam introeuntem, quam egredientem* benedictionem poſtulandi defendit; quamuis & hic ſit ſermo non de exitu è Conuentu, & ad illum regreſſu, ſed de egreſſu a quacumque intrà cænobium domo, atque ad illam reditu. Et tandem in Regul.

S. Co-

S. Columbani *cap.* 10. ſeù in eius *pænitentiali* §. *qui egrediens, &c.* apud Holſtennium *Codic. Regul. part.* 2. ex quibus huiuſmodi ritus petendæ à Prælato benedictionis in egreſſu, & regreſſu antiquitatem apud Monachos colligunt Hugo Menardus ad *Cap.* 61. *Concord. Regul. not. ad* §. 9. Caracciolus in *Synopſ. veter. Religioſ. part.* 2. *cap.* 9. Hæſtenus *Diſquiſit. Monaſt. lib.* 11. *tract.* 4. *diſq.* 2. Iulius Nigronus ad *Regul. Communior. Societ. regul.* 46. Peyrin. ad *Regul. Minim. cap.* 5. §. 19. *q.* 3. Martene Comment. ad *Regul. S. Benedict. cap.* 67. Vndè non mirum, quod eumdem innouauerit poſtremò, ſaltem pro exitu Clemens VIII. in Decret. de *Reformat. Regular. nu.* 19. mandans, quod *Nullus è Conuentu egredi audeat, niſi ex cauſa, & cum ſocio, licentiaque ſingulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore*, de quibus Io: Antonius Nouarius in *Summ. Bullar. Comment.* 108.

414 Formam tamen præfatæ benedictionis facilè non eſt inuenire; Vndè credendi libertas in Crucis ſigno vt plurimum ſletiſſe. Aliqua nihilominus verba ſimul a Superiore prolata fuiſſe deduci poteſt ex ratione pro ſuo more tuendo a S. Euſtaſio coram eo Concilio: *Introeuntem verò Monachum cellulam, vel exeuntem benedictione Domini armari ratum duco iuxtà Pſalmiſtæ vocem: Dominus cuſtodit te ab omni malo; cuſtodiat animam tuam Dominus. Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum.* Apud Caſſinenſes, vt ex eorum Ceremonial. *p.* 4. *cap.* 3. refert Hæftenus *lib.* 11. *tract.* 4. *diſq.* 3. hic mos benedicendi. *Fratres exeuntes antè Superiorem quocunque loco inuentum genuflectant dicentes: Benedicite: Ille verò crucem ſuper illos formans benedicat dicendo: In viam pacis, & proſperitatis perducat vos virtus S. Trinitatis.* Sed nihil pro benedictione in regreſſu. Apud noſtros verò eodem modo, & quando quis diſcedit, & quando redit, petitur benedictio: *Benedicite Pater*; & à Prælato ſic datur: *Ille vos benedicat, qui ſine fine viuit, & regnat.* Quæ & incidit cum illà, quam a Deo *lib. Numer. cap.* 6. præſcriptam diximus: *Benedicat tibi Dominus.*

415 Petitur autem, & datur, tum in ſignum ſubiectionis cum ad *Hebræos* 7. ſcripſerit Apoſtolus: *Sine autem vllà contradictione quod minus eſt à meliore benedicitur*; tum ob Religioſi vtilitatem, cum *benedictio*, vt S. Baſilius *epiſt. ad Amphiloch.* teſtatur, ſit *ſanctificationis communicatio*; & ab ea (de monaſtica loquor) multa bona procedant; & de quibus Chriſtianus Lupus *tom.* 5. *in Concil. pag.* 529. *ad* 535. & ſignanter ab eius petitione *Benedicite*, quam contra Dæmones ſatis valere oſtendit Cæſarius *lib.* 5. *cap.* 46. & 47. Et quidem in egreſſu, quia cum Monachus extrà Conuentum ſit tamquam piſcis extra aquam; adeòque & inſtar piſcis, ſi extra Clauſtra non moriatur, ſit ſaltem expoſitus interitui; & in mundo periculis pleno frequentes lapſus: quin oculis ipſis, vel lingua facilimum incidere; contrà huiuſmodi occurſus, & pericula ſui Prælati benedictione muniendus eſt Monachus, vt placet Hæſteno *d. tract.* 4. *diſq.* 2. & Peyrin. *cit. q.* 3. *num.* 4.

In regreſſu verò, vt ſi fortè diſtractione, vel alio quouis modo venialiter tamen peccauerit, tali benedictione ab eiuſmodi ſordibus purgetur, vt *ibid.* ſic inſinuat Hæftenus: *Contrà hæc verò quàm pium, quàm vtile exeuntem benedictione, & precibus protegi; redeuntem iiſdem à mundano puluere, quo religioſa corda non rarò ſordidantur, expiari*; & clarius *ibid.num.*5. *fin.* Peyrinus: *Tum tertiò, vt tali benedictione deleretur, ſi quid venialiter oculis, auribus, aut lingua extrà Monaſterium deliquiſſet.* Quod intendiſſe videtur & Ioannes à Turrecremata *tract.*142. *in Regul.* dum loquens de Oratione à S. Benedicto in *Regul.cap.*67. in regreſſu Monachi requiſita: *ne quid fortè ſurrripuerit in via viſus, aut auditus malæ rei, aut otioſi ſermonis*, ad id requiſitam inſinuat, vt per eam leuia commiſſa deleantur: *Secundò aduertendo, quod S. Pater ſola iſta tria parua, & quæ venialia ſunt fratrum orationibus tollenda dicit, quia alia, ſi quæ grauia commiſſa ſunt, ſacramentali confeſſione Abbati fienda, purganda veniunt*; & in terminis de benedictione iam *tract.* 107. *cauſ.* 7. docuerat, vbi illam inter ea, quæ habent aliquem effectum gratiæ conferre, enumerans, vt *num.* 140. dictum eſt. Quod tamen intelligendum eſt accedente peccatorum deteſtatione, vt cum S. Thom. 3.*p.q.*87. *art.*3. *ad* 1. aduertit Peyrin.*cit.q.*3.*num.*6.*verſ.VIII.per benedictionem.*

416 Duo porrò in ea obſeruanda, primò reſpectu petentis, flexis ſcilicet genibus in egreſsu, æquè ac regreſſu poſtulandam, ex *Conſtit.ſup.* præſcripto: *Antequam domo exeant, & in domum reuerſi à Superiore benedictionem genuflexi deoſculando corrigiam Superioris humiliter petant*; nec incongruè, cum Superior pater ſit Religioſorum, & alias apud Anglos ſoleant filij bis in die à parentibus benedictionem genu flexo petere, vt ex Stapletonio in *Vit.Thomæ Mori* refert Chriſtianus Lupus *d. tom.* 5.*pag.* 515. *Solent apud nos liberi manè, & veſperè benedictionem flexo poplite ab vtroque parente poſcere*; & reuera magis congruit petentem genuflectere, cum benedictio ſit maioritatis, atque benedicendi erga benedicentem humilitatem, & reuerentiam inuoluat, & coherenter ad communem ritum genuflectendi ad Eccleſiæ benedictiones; & ab alijs Religionibus in hac parte obſeruatum, vt videre eſt apud Caracciol.*loc. cit.part.* 2.*cap.*9.*n.*2. Nigronum ad *d. Regul.*46.*n.*3. Hæftenum *cit.tract.*4.*diſq.*3. Peyrin.*ead.q.*3.*n.*14. vbi ſimul & caput inclinandum.

417 Secundò reſpectu dantis; ſocianda ſcilicet à Prælato cum ſigno Crucis benedictionis verba, etiamſi non exprimatur à lege ob conſuetudinem in Eccleſia obſignandi quoties quid benedicitur, iuxtà fidem Theophili Raynaud. *tom.* 16.*Heteroclit.Spiritual.ſect.*2.*de Sacramental.punct.* 2. *pag.*195.*col.* 2. ibi: *Denique Eccleſia Catholica iam ab initio nihil eſſe ſacrum, ac benedictum cenſuit, niſi interueniret ſignum Crucis manu formatum*; prout & à Caſſinenſibus dum verbis, & Crucis ſigno huiuſmodi benedictionem perficiunt, obſeruari vidimus ex Hæfteno; & obſeruandum concludit

Pey-

Peyrinus *ibid.n.16.* Nec obſtat, quod ſubdat: *Verùm aliqui, dum benedicunt exeuntem è Conuentu dicunt: Dominus te benedicat, & cuſtodiat, &c.* & concludat: *Si autem nihil dicatur, ſaltèm fiat Crucis ſignum manu dextera ſuper ſignatum*; quaſi vbi quid voce profertur, neceſſaria non ſit obſignatio; quia non eſt hic ſenſus Peyrini, cum loquatur ibi etiam de benedictione poſt Completorium, ad quam pariter obſignationem adhibendam dicit, licet verba benedictionis proferantur; præter innumeras benedictiones, quæ verbis, & obſignatione coaleſcunt: Sed intendit referre tantummodò morem, quem tenent aliqui, ſeu quod in huiuſmodi benedictione verbis vtantur: non verò eſſe propterea tunc Crucis ſignum ablegandum: quin potius intendere videtur, quod alij præter obſignationem verba etiam adhibeant; Et deducitur ex dictione *ſaltem*, quæ, cum non ſit excluſiua per Gregor. *deciſ.* 414.*n.*7. nec limitatiua, ſed implicatiua per Seraphin. *deciſ.* 887. *nu.* 8. importat, quod & verba, & obſignatio concurrere debeant in benedictione: Sed quando illa deſint, hæc ad minus ſeruanda.

418 Obſeruandum eſt item, ab æqualibus non petendam: ſed ſolum ab inferioribus; Et eſt clarus D. Pauli ad *Hebræos* 7. ſenſus: *quod minus eſt à meliore benedicitur*; vbi communis interpretatio eſt *à maiore*, vel *digniore*. Vndè Priores hoſpites non tenentur illam à locali Priore accipere, etiam caſu quo ab eodem ſocium ex defectu proprij ſubditi petere debeant, cum ſint illi in dignitate pares; & inter pares nulla maioritas, nec iuriſdictio, vt poſſit vnus ab alio benedici. Nec item Secretarij, ſeu ſocij, aut P.V. Generalis, aut Prouincialium, quando tamen vnà cum ſuis reſpectiuè principalibus exeunt: quin nec vllus, ſiuè Sacerdos, ſiuè laicus, quando illos aſſociantur; cum enim vnà cum Superiore maiore exeunt, eos benedicere ad Priorem non ſpectat; tritum ſi quidem eſt, quod vbi de benedictione agitur, minor ſemper cedit maiori, vt notant Sauſſay *Panopl. Sacerdot. part.2. lib.2. art.*17. & Peyrin. *loc. cit. n.*7.

419 Ab omnibus tandem, ſiuè Prælatis, ſiuè ſubditis perſoluendas tum in exitu, tum in regreſſu preces in *Ordinar. prec.* pro vtroque munere recenſas, præſcribitur in Ceremonial. *lib.* 5. *cap.* 11. Quod omnibus ferè Regularibus commune eſt, iuxta illud D. Hieronymi *epiſt.* 22. *ad Euſtoch. Egredientes de hoſpitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat antequam ſeſſio; nec prius corpuſculum requieſcat, quam anima paſcatur. Ad omnem actum, ad omnem inceſſum manus pingat crucem.* Saltem ità indè conſulunt Nigronus ad *cit. Regul.*46.*n.*3.*fin.* & Hæftenus *eod. tract.*4.*diſq.*2.

## LAVS DEO, ET B. V. M.

[illegible]

# DISQUISITIO
## PRIMA.

## De Hymni *Te Deum laudamus* Auctoribus. Vbi de S. Datij Chronico.

NON *pauca in huius Hymni laudem ſuppeterent, & digna; & etiam plura, ſi per partes eſſet exponendus. At quia Auctorem ſolummodò indagare propoſui, vt ſuprà in Præfatione inſinuatum eſt, alijs omnibus omiſſis, hoc tantùm dicendorum meta. Et vt clarè procedatur, nonnulla gradatim dilucidanda. Et primò*

### §. I.

### *De Hymni* Te Deum &c. *antiquitate*.

420 HÆC ex mente Ioannis Fileſaci quoad huius hymni in Eccleſia originem leguntur apud Stephanum Baluzium *tom.2. Capitular. in not. ad Capitul. Triburienſ. de 822. col.* 1109. ſeù eo anno primò, & in ea Synodo cæptum cantari: *Porrò de more* (ſic Baluzius) *canendi hymnum Te Deum laudamus vide Fileſacum lib. 2. Selector. pag. 213. vbi putat, primò in hoc conuentu fuiſſe decantatum.* Verùm nolim hinc, quem ſuſpicari, intendiſſe Fileſacum, quod tunc primò exortus, & non antea apparuerit in Eccleſia hic hymnus. Conſtat enim legenti, de cantu organico ipſum ibi locutum; In Indice ſiquidem *Capit. & paragraph.* quem ad *d. lib.2. Selector. verb. Cantus Eccleſiæ* præmittit, & *pag. 196.* repetit, ſic habet: *Canticum Te Deum laudamus quando decantari cæptum vocali, & organica muſica.* Ex quo liquet, quod vbi ſubindè §. 11. in Concilio apud Thedonis villam decantatum dicit, intenderit tantummodò, tunc cæptum canta-

cantari cantu organico: non verò tunc primò ſimpliciter decantatum.

421 Et quidem antiquiora de huius hymni vſu deſideranda non ſunt monumenta; cum non ſolum de eo mentio habeatur in Regula S. Aureliani Arelatenſis, ſeu in *Ordin. pſallendi*, poſt eius *Regul.* apud Holſtenium in *Codic. Regular. part.2.* ibi: *Omni Sabbato ad Matutinos: Cantemus Domino, & Te Deum laudamus.* Sed etiam in anteriore S. Benedicti Regula *cap.* 11. vbi decantandus præſcribitur: *Poſt quartum autem reſponſorium incipit Abbas hymnum Te Deum laudamus.* Quin & in Regula S. Cæſarij pariter Arelatenſis (non Tetradij, aut Terridij, vt alij volunt, eius diſcipuli, cum, licet à Tetradio conſcripta, à S. Cæſario tamen dictata fuerit, vt ex titulo eiuſd. Regulæ apud Holſtenium *loc. cit.* & in *Bibliothec. PP. nouiſſ. tom.* 8. *in ſerie Author. in princip. verb. Tetradius*; & Benedicto Hæfteno *Diſquiſit. Monaſt. lib.*1. *tract.*6. *diſq.*1.) quem Sancto Benedicto ſeniorem puto; ſicuti enim certum eſt, S. Benedictum vſque ad 543. ad minus ſuperuixiſſe, per ea quæ adducunt Matthæus Lauretus in *not.* & Hæftenus in *comment. ad cap.* 37. *Vit. S. Benedicti à S. Gregorio conſcriptæ*; ita probabile eſt, quod iam deceſſiſſet S. Cæſarius. Et licet doctiſſimus Philippus Labbeus in *Diſſertat. Hiſtoric. de Scriptorib. Eccleſ. tom.*1. *tit. S. Cæſarius Arelatenſ.* eum poſt 44. annos in Epiſcopatu decurſos de 543. pariter obijſſe ſic ſcribat: *Obijt die* 27. *Auguſti anno* 543. *cum ab anno* 501. *vel præcedenti Æonio demortuo in eius locum Cathedram Arelatenſem aſcendiſſet, eamque annis* 44. *obtinuiſſet*, difficultate tamen non caret. Pro quo

422 Quoad S. Cæſarium certa hæc ſunt; & quod prius in Lirinenſi Monaſterio, & ſub S. Abbate Porcario Monaſticam exercuerit; & quod Presbyteratus honore fuerit ab Æonio Epiſcopo inſignitus; ac etiam aliquo temporis interuallo Arelatenſi Eccleſiæ Presbyter inſeruierit; item in ſuburbanæ Inſulæ Monaſterio ab eodem Æonio Abbas conſtitutus vltrà triennium illi præſederit, vt ex Cypriano eius vitæ ſcriptore apud Surium 27. *Auguſti*; & tandem, quod ſeptuageſimum tertium ætatis annum ageret, cum è viuis deceſſit, vt ex reliquis eius vitæ actis per Meſſianum Presbyterum, & Stephanum Diaconum deſcriptis apud Vincentium Barralim in *Chronolog. Sanctor. Inſul. Lirinens. pag. mihi* 258. Ex quibus, ſi 44. iuxtà Labbeum Epiſcopatus anni detrahantur, neceſſe eſt, quod ætatis ſuæ anno 29. fuerit in Epiſcopum conſecratus; Ex quibus ſi rurſum tres, & vltrà anni, quos Abbas tranſegit, demantur, iam anno ætatis 24. cum dimidio in Abbatem electus habetur; & ſi iterum tempus, quo Presbyter Eccleſiam Arelatenſem coluit, auferatur, clarè ſequitur, quod anno ætatis 24. iam Diaconus, & Sacerdos fuiſſet; Quod concordare non videtur cum illorum temporum conditione, cum tunc 25. anni pro Diaconis, & 30. pro Sacerdotibus ordinandis requirerentur ex Gloſſ. in *Cap. In ſingulis* & *Cap. Quicumque diſt.* 77. de qua re videndus Ludouicus Thomaſſinus de *Eccleſ.*

*vet.*

*vet. & nou. diſcipl. p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 67. *nu.* 8. & de facto ipſe S. Cæſarius non ſolum *Can.* 16. *&* 17. *Concilij Agathenſis*, in quibus idem ſtatuitur, ſubſcripſerit: ſed nullum ipſe in Eccleſia ſua Diaconum niſi trigeſimum ætatis annum enumerantem ordinauerit, vt proſequitur idem Cyprianus apud eumdem Vincentium Barralim *ibid. pag.* 246. Vndè non videtur ad 44. annos eius Epiſcopatus protrahendus; & melior computatio cenſenda, ſi dicatur quadraginta tantum annos in Epiſcopatu vixiſſe; nam ſi 40. his annis tres, & vltra, quibus Abbatiam geſſit, cum eo tempore, quo Presbyter Arelatenſi Eccleſiæ ſeruiuit, addantur, iam 44. annorum curſus habetur, remanentibus ex 73. ætatis annis, alij 29. vel 30. inceptis, ad Sacerdotium requiſitis.

423 Sed hac coniectura præciſa, clarè eius Epiſcopatus annos 40. non exceſſiſſe tradiderunt *ibid. pag.* 258. præfati ipſius vitæ continuatores: *Cum ergò eum ſemianimem ipſum redderet conſpectibus noſtris infirmitas. Et inter hæc ſeptuageſimum tertium gereret totius vitæ tramitis annum, è quibus quadrageſimum in Pontificatu verteret circulus girum, animaduerteret per ſpiritum imminere ſibi tranſitus diem*. Ex quo rurſum, cum Epiſcopalem Sedem aſcenderit anno 501. vel præcedente, vt idem Labbeus *loc. cit.* tamquam certum ſtatuit, vt vidimus; euincitur, quod vel anno 541. vel 540. obierit, & conſequenter, quod fuerit S. Benedicto antiquior. At quia de anno 543. deceſſiſſe S. Cæſarium in ſua celeberrima *Hiſt. Pelagiana lib.* 2. *cap.* 22. *&* 24. ſcribit Sapientiſſimus, & Reuerendiſſimus P. Henricus Noris Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, quem in omnibus Magiſtrum veneror; eius ſaltem Regula antiquior cenſenda, cum S. Benedictus ſolum de 529. cœperit in Monte Caſſino ſui Ordinis fundamenta iacere, teſte Baronio in *Martyrol. ad* 27. *Auguſti verb. S. Cæſarius*, & ibi Regulam ſcripſerit, vt aſſerunt Hæftenus ad *cap.* 26. *eiuſd. Vit.* & Angelus de Nuce in *not. ad Chronic. Caſſinen. n.* 398. *&* 1393. quin ætate prouectus, ſeù iam ſenex, vt idem à Nuce *ibid.* In huius ergo S. Præſulis Cæſarij anteriore Regula etiam hymni *Te Deum laudamus, cap.* ſcilicet 21. mentio reperitur: *Deindè Confitemini, indè Cantemus Domino. Lauda anima mea Dominum. Laudate Dominum de Cælis. Te Deum laudamus. Gloria in Excelſis Deo. Et capitellum omni Dominica ſic dicatur.*

424 Hæc quoad antiquos de hoc hymno ſcriptores. Cæterum, etſi Hugo Menardus in *Not. ad Rit. vnction. Reg. Franc. poſt. lib. Sacramentor. S. Gregorij à pag.* 399. *ſecundæ impreſſion. Pariſien. ann.* 1642. Hæftenus *Diſquiſit. Monaſt. lib.* 7. *tract.* 6. *Diſquiſit.* 8. Cardinalis Bona de *Diuin. Pſalmod. c.* 16. *§.* 12. Theophilus Raynaud. *t.* 11. *Erotem. de bonis, & malis libris partit.* 1. *Erotem.* 10. *num.* 189. & Natalis ab Alexandro in ſua *Hiſt. Eccleſ. ſæcul.* 4. *part.* 1. *cap.* 6. *art.* 27. *pag.* 606. aſſerant antè præfatos neminem talis hymni mentionem feciſſe; non hinc tamen eiuſdem antiquior vſus excluditur. Et

qui-

quidem Theophilus Raynaud. ſic habet: *Canticum Te Deum laudamus, quod olim ex vſu Romanæ Eccleſiæ in ſolis Pontificum natalitijs concini ſolitum teſte Amalario lib. de Ordin. Antiphonarij cap. 2.* (legendum in *Prologo part. 2.*) *poſteà ex S. Benedicti præſcripto in quibuſuis Dominicis etiam Aduentus, & Quadrageſimæ decantatum eſt*, quo aſſerere videtur; antiquiorem in Eccleſia præfati hymni conſuetudinem; dictionis enim illius *poſteà* ſenſus eſt, quod prius in Eccleſia decantaretur, licet in ſolis Pontificum natalitijs. Verùm, cum Amalarius fuerit S. Benedicto longè poſterior, & tractatum de *Ordin. Antiphonarij* ſcripſerit poſt annum 831. iuxta obſeruationem Melchioris Hittorpij in *Præfat. ad Lectorem*, quam *lib. De Diuinis Officijs, verb. Amalarius* præmittit, ſatis conſtet, Amalarium in eo ritu referendo non iam ad tempora antè S. Benedictum, ſed ad ſua reſpexiſſe, ſeù retuliſſe ritum, quem tunc Romana Eccleſia obſeruaret, vt ex hac eius interrogatione: *Interrogaui Archidiaconum Theodorum S. Romanæ Eccleſiæ ſi canerent per Dominicas noctes Te Deum laudamus; Reſponſum eſt, tantùm in natalitijs Pontificum Te Deum laudamus canimus*, ſeù de præſenti; Quod ſatis non eſt, vt inferatur, & antè S. Benedictum fuiſſe in Eccleſia decantatum; licet nec propterea inferendum contrarium.

425 Saltem hæc eſt mens Raynaudi, quod ſcilicet antè S. Benedictum hymnus hic inualuerit; & deducitur etiam ex ipſis SS. Cæſarij, & Benedicti Regulis; cum eatenus credi poſſit ab eiſdem ſuis Monachis præſcriptus, quatenus iam in Eccleſia vſitatus, prout argumentantur Rutilius Benzonius, Suarez, & Ioannes Caramuel locis infrà *num.* 442. laudatis; cum enim diuerſi inſtituti eſſent Monachi S. Cæſarij, & S. Benedicti, non aliundè poſſunt intelligi concordaſſe in eo hymno ſuis Monachis præſcribendo, niſi eo quia iam in Eccleſia frequentaretur. Et eo magis, ſi verum eſt, quod Gelaſius Papa I. illum decantari mandauerit, vt ex eod. Rutilio Benzon. in *Magnificat. lib. 1. cap. 19.* ſcribunt Gauantus ad *Rubric. Breuiar. ſect. 5. cap. 19. num. 1.* & Bernardus Biſſus in *Hierurgia verb. Te Deum laudamus* §. 1. quod ſaltem probabile redditur, cum hic Pontifex alia, & plura conſimilia circà Diuinas laudes diſpoſuerit, ſeù, vt habent Auctor *Faſcicul. temporum*, & Io: Stella in *Vit. Pontific.* vterque in *Gelaſio I.* & Simeon Starouolſcius in *Epitom. Concil. in eod. Gelaſio* hac marginali adnotatione: *Collectas, & gradualia* inſtituerit, *precum clauſulas Miſſis* adiecerit, & inſuper *hymnos ad modum D. Ambroſij* compoſuerit, vt idem Starouolſcius, Platina Ciaconius, Anaſtaſius Bibliothecarius in *Vit. eiuſd. Gelaſij*, Antonius Dadinus Alteſerra in *not. ad eumd. Anaſtaſ. ibid.* & Bartholomæus Caranza in *Summ. Decret. verb. Decret. Gelaſij PP. I.* quin Miſſale digeſſerit (quod poſtea Gregorius Magnus correxit, & auxit) vt habet Cornelius Schultingius in *Bibliothec. Eccleſiaſtic. tom. 1. part. 1. cap. 18. fin.* & Diuini Officij formam ediderit, vt teſtatur Pius V. in ſua *Conſtit. 64. Quod à Nobis*; &

ibi

ibi notat Laertius Cherubin. in *margin.* Quarè, cum hic ſederit ab anno 492. ad 496. benè dicitur hymnus *Te Deum laudamus* antè SS. Benedictum, & Cæſarium in Eccleſia vſitatus, qui ſolum poſt hæc tempora ſuam Regulam formarunt, in quibus illius cantum præſcribunt.

## §. II.

### *Vndè deſumptus hymnus* Te Deum laudamus.

426 DAt quæſito occaſionem Vuilhelmi Erneſti Tentzelij in ſuarum *Exercitat. ſelectar. part.* 1. *exercit.* 10. nuperrima hæc circà *Te Deum laudamus* ſubtilis excogitatio. Duos refert ipſe vſitatos in Orientali Eccleſia à Græcis hymnos; alterum, quem matutinum vocant; & eſt *Gloria in Excelſis Deo, & in terra pax &c.* prout in Miſſa communiter; & alterum, quem veſpertinum, & eſt huiuſmodi. *Lumen hilare, ſanctæ gloriæ immortalis Patris, Cæleſtis, Sancti, Beati, Ieſu Chriſte, quum ad Solis occaſum peruenerimus, lumen cernentes veſpertinum, laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Deum. Dignus es tempore quouis ſanctis vocibus celebrari, Fili, Dei, vitæ dator; quapropter mundus Te glorificat;* prout deſcribunt etiam Thomas Smith in *Miſcell. Comment. de Hymnis matutino, & veſpertino Græcor. partit.* 2. *de Hymn. veſpertin. pag. mihi* 154. & ex S. Baſilio non valdè diſſimilibus verbis Iacobus Goar in *Ritual. Græcor. Not. in Ordin. Sacr. Miniſter. n.* 36. Hymno autem matutino, ſeù *Gloria in Excelſis* alteram nectit Tentzelius Odam, & quam, vt appendicem, à Græcis quoque ex more vna cum illo recitatam deſcribit, videlicet. *Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Dignare Domine die iſto ſine peccato nos cuſtodire. Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum; laudandum, & glorificandum eſt nomen tuum in ſæcula. Amen. Benedictus es Domine, doce me iuſtificationes tuas. Domine refugium factus es nobis à generatione, & generatione. Ego dixi Domine miſerere mei, ſana animam meam quia peccaui tibi. Domine ad te confugi. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Quoniam apud te eſt fons vitæ, in lumine tuo videbimus lumen. Prætende miſericordiam ſcientibus te.* Quod & ex vetuſtiſſimo codice refert Thomas Smith. *loc. cit. partit.* 1. *de Hymn. matutin. pag. mihi* 148. vbi poſt exaratum hymnum *Gloria in excelſis Deo, &c.* Sic habet. *Sequuntur in eodem venerandæ antiquitatis codice hi verſiculi è pſalmis maxima ex parte collecti* (ſcilicet, quos modò dedimus, *Per ſingulos dies benedicam Te* cum *ſeq.* paucis tantummodò mutatis; nam vbi Tentzelius habet *Benedicam Tibi, Peccaui Tibi*, legit Smith, *Benedicam Te. Peccaui in Te*; & vbi ille ſemel habet *Benedictus es Domine, doce me iuſtificatione tuas*,

ter repetuntur apud Smith) *tamquam hymni pars iiſdem vncialibus characteribus, & planè ......deſcripti. Neque dubitandum videtur, quin ſimul, ac eodem tempore olim recitarentur, quod hodiè faciunt Græci, vti ex Horologijs manifeſtum eſt.*

427 Ex his porrò Græcorum hymnis matutino præſertim deſumptum dicit *Te Deum laudamus*; ſicque ſuam mentem num. IX. prænuntiat. *Sed ad propius in veſtigandam originem hymni noſtri Te Deum laudamus accedamus. Quoties enim quiſque eſt, qui noſtrum cum Græcorum matutino, & de num. VII. & IX. egimus, conferens, non ſtatim deprehendat illum ex hoc expreſſum eſſe?* Et vt ita rem eſſe oſtendat, ſtatim ſubdit, ex verbis prioris hymni matutini partis *Laudamus Te, Benedicimus Te*, deſumpta hæc *Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur*; Et ex alijs poſterioris partis, & quæ ſuprà dedimus, deſumpta hæc: *Per ſingulos dies benedicimus te. Et laudamus nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Dignare Domine die iſto ſine peccato nos cuſtodire. Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos quemadmodum ſperauimus in te.* Et tamquam id euidenter probatum ſit, concludit dicens: *Quoniam itaque hymnus noſter ex Græco præſertim matutino deſumptus eſt, &c.* Sic ille de cauſa, vt ità dicam materiali hymni *Te Deum &c.*

428 Subtilis, inquam, excogitatio, quia præter arbitrarium inuentum nihil firmitatis habet. Iam ex veſpertino Græcorum hymno nihil in *Te Deum laudamus*, notat. Cur ergò deſumptum hunc dicit *præſertim ex matutino*, quo innuitur, & eius aliquid ex veſpertino? Vel, ſi pro matutino priorem hymni partem, ſeù *Gloria in excelſis* intelligit, quomodo ex eo *præſertim*, ſi ſola ſimplicis verſiculi *Te Deum laudamus* verba, nec cum eodem ordine ſed præpoſterè accepta cum *Laudamus te* aliqualem habent conſonantiam? Et ſi pro hymno matutino non tam *Gloria in excelſis*, quam alteram adiectam Odam intelligit, quomodo hanc eidem hymno *Gloria in excelſis* adiectam, et apud Græcos vſitatam probat antequam apud Latinos oriretur *Te Deum laudamus*, vt hic inferri poſſit indè deſumptus? Et cur non potius dicendi ex hymno *Te Deum laudamus* deſumpti illi, & Græcorum hymnis additi verſiculi, quod veriſimilius diceretur à trenta antiquitate *Te Deum laud.* de qua ſuprà? Nimis inſuper leuis coniectura ex pauciſſimorum verborum *Te Deum laudamus*, cum hymnis Græcis conſonantia, illum ex his velle deſumptum. Et quarè, quod forſan plauſibilius foret, non dixit, ex ſacra ſcriptura deſumptum hymnum *Te Deum laudamus*, cum huius verba difficilè non ſit, ſi non in terminis omnia in ſacro Codice inuenire, ſaltem ab eo deducere, & accommodare, eo modo quo ipſe ex verbis *laudamus te, benedicimus te* deducit, & accommodat ad *Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur*; ſicut & alia *Ego dixi Domine miſerere mei*, ad hæc *Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri*, & ſimilia? Verba, quæ ex

Græcorum hymno refert, ſunt verba ſacræ ſcripturæ ex pſalmis maxima ex parte collecta, vt ex Thom. Smith iam vidimus. Alibi ergò, & non in ſolo illo Græcorum hymno leguntur. Quarè ergo *Te Deum laudamus* non ex ſacra ſcriptura, ſed ex Græcorum hymno deſumptus? Ideò ingenioſum dixi: ſed fundamento carens inuentum. Et errare non putabimus, ſi ex ipſa ſacra ſcriptura, ſeù eius ſenſibus ſpeciali Dei inſtinctu, vt infrà *num.* 455. deſumptum dixerimus.

## §. III.

### *De huius hymni Auctoribus opiniones, & de eis iudicium.*

429 AD cauſam ergò efficientem deſcendens idem Tentzelius, ſic ibid. *nu.* 11. incertam dicit: *Quo certius hymni noſtri* (Te Deum laudamus) *originem tenemus, eo incertior eſt auctor, qui in hanc formam eumdem redegit*, ſeù ex præfatis Græcorum hymnis contexuit. Nos verò, etſi non iam qui ex illis hymnis, ſed qui illis præciſis eum compoſuerit, controuerti non inficiemur, pro vero auctore ſtabiliendo ſatis conſtare credimus ex dicendis. Nunc expendendæ, quas varias inuenio, opiniones.

430 Sanctum Hilarium Pictauienſem huius hymni auctorem indigitant Edmundus Martene *Comment. ad cap.* 11. *in Regul. S. Benedic.* & Auctores Præfationis ad eiuſd. S. Hilarij opera de 1693. Pariſ. impreſſ. *nu.* 22. ex quadam Epiſtola Abbonis Floriacenſis Abbatis M. S. nundum edita. Alij quemdam S. Abundium, ex eo quod in vetuſtiſſimo Breuiario M.S. Collegij Aniciani de Vrbe, vt refert Gauantus *d. ſect.* 5. *cap.* 19. & vt audio, in Breuiario etiam Monaſtico, quod ad Cardinalem Sirletum ſpectaſſe dicitur, nunc in Bibliotheca Vaticana *Codic.* 4928. cuſtodito inſcribitur *Hymnus S. Abundij*. Alij S. Siſebutum, quia in Pſalterio perantiquo in Archiuio Baſilicæ Vaticanæ Codic. ſignat. *litt. D. num.* 150. *pag.* 134. (vt mihi cum multis alijs, & ſignanter ex Bibliotheca Caſſinenſi communicare dignatus eſt Illuſtriſsimus, ac Reuerendiſſimus D. Ioannes Ciampinus Breuium Gratiæ Magiſter, &c. vbique ex beneficijs, quæ Reipublicæ litterariæ tum proprijs ſelectiſſimis ſtudijs, tum aliena fouendo continuò præſtat, celeberrimus) quem credo illum eſſe, de quo Cardinalis Bona de *Diuin. Pſalmod. cap.* 16. §. 12. ſuprà hymnum *Te Deum laudamus* legitur *S. Siſebuti*; Et vt refert Carolus Dufreſne in *Gloſſar. ad Scriptor. med. & infim. latinit. verb. Hymnus Te Deum laudamus*, in Breuiario Caſſinenſi ſub Paſchali II. Papa ſcripto, quod aſseruari dicit in Bibliotheca Inſtitutionis Pariſienſis

Oratorij Ieſu; ſicut & in *Codic.* 538. Caſſinenſis Monaſterij, quem D. Eraſmus Gattola Bibliothecarius, vir ob ſuam eruditionem colendus, ſeptemcentum antiquitatis annum præferre diudicat, cum ſpecificatione Monachi, ſic: *Hymnus Siſebuti Monachi.* Vndè fortè Ioannes Dominicus Muſantius in *Face Chronolog. tab.* 4. *tit.* 3. in eo breui rerum memorabilium compendio, omiſsis alijs, quæ vtilius regiſtrare potuiſſet, tamquam quid ſummopere releuans, & notatu dignum, hæc inſeruit: *Canticum Te Deum laudamus tribuitur SS. Ambroſio, & Auguſtino; ſunt tamen, qui putant fuiſſe compoſitum à S. Siſebuto S. Benedicti Monacho. Cardin. Bona, & alij.* Conſentitque Natalis ab Alexandro in præfata *Hiſt. Eccleſ. ſæcul.* 4. *part.* 1. *cap.* 6. *art.* 27. *pag.* 606. per hæc verba: *In quo hocce Canticum inſcribitur Hymnus Siſebuti Monachi, cui & in altero Codice M S. Vaticanæ Bibliothecæ laudato à Doctiſſimo Cardinale Bona de Diuin. Pſalmod. tribuitur.* Quod tamen inuenire non potui in Cardinale Bona, cum nec verbum ibi de Monacho, & minus S. Benedicti, & ſolum referat ex Codice Baſilicæ Vaticanæ *Hymnus S. Siſebuti.*

431 Alij auctorem volunt S. Nicetium, eo quia illi adſcribatur in Pſalterio latino Gallico, cuius mentionem apud Iacob. Vſer. Armachan. in *Tract. de Symbol. Roman. Eccleſ. ad Voſſium* reperiri ſcribit *loc. cit.* Cardinalis Bona. Vel quemdam Nicetam (poſito quod ſit alius a S. Nicetio, cum ex defectu Vſerij, qui citatur, dilucidare non potuerim) eo quod in quadam hymnorum collectione, vt ex Vſerio *Epiſt. ad Voſſium* refert *ibid. num.* 16. idem Tentzelius, legatur Nicetam Deum laudaſſe, dicendo: *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur, & quæ ſequuntur in hymno, qui B. Ambroſio vulgò tribuitur, iſta præterea adiecta appendice. Te Patrem adoramus æternum, Te ſempiternum Filium inuocamus, Teque Spiritum Sanctum in vna Diuinitatis ſubſtantia manentem confitemur. Tibi vno Deo in Trinitate debitas laudes, & gratias referimus, vt Te inceſsabili voce laudare mereamur per æterna ſæcula ſæculorum. Amen.*

432 Alij aliud opinandi occaſionem nacti ſunt ex hoc titulo, quem pariter illi hymno adſcriptum legiſſe fatentur *Hymnus Sanctorum Patrum*, quod non vnius, aut alterius, ſed plurium Sanctorum Patrum ſit opus. Nec tandem omittendum in eiuſd. Caſſinenſis Bibliothecæ Codicibus 560. tercentum, & Codic. *num.* 250. quatuor centum annis antiquioribus, & litteris latinis conſcriptis hunc titulum præferre *Hymnus Sanctorum Angelorum*; & in alijs Codicibus *num.* 193. & 419. tercentum ab hinc annis conſcriptis nullum legi titulum, vel auctorem.

Hæc inquam ſunt, quæ hac de re video circumferri; & propter quæ Antonius Pagius in *Critic. Annal. Baron. ad Ann.* 388. *num.* 11. ſic habet: *Auctorum diuerſitas, quibus illud (canticum Te D. l.) adſcribitur, oſtendit*

huius

*huius cantici auctorem adhuc nos latere:* Sed quæ, vt potè meo iudicio ſufficienti deſtituta fundamento, facilè refelluntur.

433 Et primò quoad Epiſtolam M. S. cum non conſtet, nec vſquè modo notum ſit, quam fidem mereatur, nec probetur, aut probari poſsit, eſſe ipſius Abbonis, & non eius ſuppoſito nomine; & quatenus eius eſse conſtaret, cum aſsertæ Epiſtolæ verba hæc ſint (vt videre eſt in *d. Præfat. ad S. Hilar. oper. cit. num. 22.*) *In Dei Palinodia, quam compoſuit Hilarius Pictauienſis Epiſcopus, non iuxtà quorumdam imperitorum errorem* ſuſcepiſti, *ſed potius* ſuſcepturus, *legendum: Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem*, ad hymnum *Te D. l.* Sancto Hilario vindicandum parum, aut nihil efficaciæ habent; cum non appareat, hæc: *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem* poſita hic eſse tamquam S. Hilarij verba: ſed potius cenſenda ſint ab ipſo Abbone ex hymno *Te Deum laudamus*, qui ſuo tempore legebatur, allegata ad emendandum errorem malè legentium conſimile S. Hilarij verbum. Clara eſt inſtantia. Concilium Toletanum IV. *Cap. 1.* Fidei profeſsionem emittens, inter alia de Filij Dei incarnatione per hæc verba loquitur: *Suſcipiens hominem*. Ad quæ Garſias Loayſa *ibi* ſic notat: *Phraſis eſt Patrum, quam Scholaſtica Theologia meritò propter hæreſes non ſuſcipit, quin potius hac vtitur, ſuſcepit humanitatem*. Petrus Halloix de *Illuſtrib. Eccleſ. Oriental. ſcriptorib. ſæcul. prim. in Vit. S. Hierothei pag. m. 633. col. 2.* vt Loayſam corrigat, & tenendum *ſuſcipiens hominem* doceat, hæc hymni *Te Deum laudamus* verba adducit: *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem*. Modò ad rem. Si quis diceret Loayſam hymni *Te Deum laudamus* auctorem, per hoc quod Halloix alleget verba talis hymni ad corrigendam Garſiæ locutionem *ſuſcepit humanitatem*, non ne gratis aſſereret? Eodem modo allegat Abbo eadem verba pro corrigendo errore malè legentium aliquod ſimile S. Hilarij verbum: Sed non indè hymnus ipſe à S. Hilario compoſitus.

434 Loquitur inſuper Abbo de *Palinodia*, & hanc dicit à S. Hilario compoſitam; quæ, quale opus ſit, non conſtat, cum in vllo ex his, qui S. Hilarij opera enumerant, de hac verbum vel ſimplex; & vt pro *Palinodia* intelligatur *Te Deum laudamus*, aliquid vrgens deſideraretur; cum ad huiuſmodi intelligentiam ſatis non ſit, quod in dicta *Palinodia* aliquod verbum conſimile his, quibus conſtat *Te Deum laudamus*, etiamſi corrigendum, nempe *ſuſcepiſti*, legatur, eo modo quo dici nequit, pro prædicta Loayſæ annotatione venire *Te Deum laudamus*, per hoc quod conſimilis locutio (iuxtà tamen eius opinionem) in ea legatur, nempè *ſuſcipiens humanitatem*. Quæ tamen dicta volo ſtante ea modica, & ad ſuprapoſita verba reſtricta notitia præfatæ Abbonis epiſtolæ, cum vlteriorem habere non potuerim.

435 Sed tandem admiſſo, quod Epiſtola hæc verè Abbonis ſit, & de *Te Deum laudamus* intelligenda, ſeù hunc hymnum à S. Hilario compoſi-

tum

tum iudicauerit, non apparet, vndè id ipſe Abbo habuerit, nullo ſuæ aſſertionis adiecto fundamento; quod certè adduci debuiſſet ad conciliandam tali dicto fidem, cum non agatur de re, quæ ipſius Abbonis diebus euenerit: ſed de hymno ſaltem Sanctorum Cæſarij, & Benedicti temporibus, vt dictum eſt, ſeù ad minus ab anno 543. hoc eſt antè ipſum Abbonem per 440. & amplius annos exiſtente; quandoquidem ipſe Abbo, vt in eius vita *cap.* 11. apud Ioannem a Boſco in *Bibliotheca Floriacenſi*, nomine Roberti Regis Galliarum, qui de 997. teſte Paulo Æmilio *Hiſtor. Franc. ad d. ann.* eſt ad Regnum aſſumptus, ad Gregorium V. qui pariter de 996. electus fuerat, Romam acceſſit, & anno 1004. confoſſus occubuit, vt notant Labbeus *diſſertat. Hiſtor. de Scriptor. Eccleſ. tom.* 1. & Caſimirus Oudin in *ſupplemen. Bellarmin. de eiſd. Script. Eccleſ.* vterque *verb. Abbo Floriacenſ.* Vndè Auctori poſt 440. annos aſſerenti, *Te Deum laudamus* a S. Hilario compoſitum, an ſtandum ſit, iudicent eruditi; eo magis cum ipſo antiquiora monumenta alijs, vt infra *num.* 490. 491. illum aſſignent; & inſuper vnicus ſit ipſe talis aſſertionis auctor; nec tam longi temporis interuallo quis alius meminerit. Quo argumento, nec eiuſdem S. Hilarij opus eſſe hymnum *Gloria in Excelſis Deo*, probat Cardinalis Bona *Rer. Liturgic. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 4. Ego ſaltem puto, attentis his omnibus, vnius teſtis, de cuius ſcientiæ cauſa non conſtat, dictum non ſufficere pro euertenda antiqua traditione, de qua infrà *n* 457. & 494. *ad* 497.

436 Item quoad titulum S. Abundij, cum, vt *d. cap.* 16. §. 12. ait Cardinalis Bona, *quis fuerit iſte Abundius incertum*: quin, etſi peritiores conſulti fuerint, nulla eius notitia haberi potuerit, vt de ſe ipſo teſtatur Gauantus ad *Rubr. Breuiar. ſect.* 5. *cap.* 19. ne dicatur, *Abundium*, vt ſuggerit Tentzelius *ibid. n.* 16. *errore librarij adſcriptum eſſe, qui cum hymnum Sancti A. more veterum prænotatum reperiret, nihil de Ambroſio cogitans, Abundium, ſuppoſuit*, cum nón apparcat prius inſcriptum *Hymnus A.* prout ad Tentzelij coniecturam roborandam neceſſe eſſet.

437 Pariter quoad titulum S. Siſebuti, cum vt *loc. cit.* notat Cardinalis Bona, non conſtet, quis ille fuerit; nec ob contrariam temporis rationem de Siſebuto Hiſpaniarum Rege poſſit verificari, quando ex vna parte hic Rex de anno 612. & per annos 8. regnauit, vt obſeruat Garſias Loayſa in *Concil. Hiſpan. not. ad Concil. Egarenſ. pag.* 293. & ex alia iam *Te Deum laudamus* mentio habeatur in Regulis SS. Cæſarij, & Benedicti, qui per 60. annos ad minus ante deceſſerant. Et multò minus de Siſebuto Monacho, cum S. Siſebutus Abbas anno 1082. obierit, vt ſcribit Gabriel Buccellinus in *Menolog. Benedictin. ad* 15. *Martij*; Et quando ſermo hic ſit de alio Siſebuto, cum tamen S. Benedicti Monachus dicatur, adeòque & poſt S. Benedicti tempora, non potuit ſanè huius hymni auctor conſtitui, quem S. Benedictus iam in Regula decantandum præceperat: quin nec alius vllus S. Bene-

dicti familia, ob anteriorem ad eumdem Sanctum in S. Cæſarij Regula mentionem. Vndè in *d. ad S. Hilar. Præfatione cit. n.* 22. ſic PP. Congregationis S. Mauri ingenuè fatentur: *Qui illum* ( Te Deum laud. ) *ab aliquo S. P. N. Benedicti diſcipulo compoſitum exiſtimauit, quia in illius Regula cap. 9. præceptum eſt, vt ſingulis Dominicis cantetur, refutatur tamen ex Cæſarij Benedicto æqualis: immò etiam paulò ſuperioris Regula, in qua idem hymnus cap. 21. memoratur.* Quarè hoc nomen S. Siſebuti hymno *Te Deum laudamus* inſcriptum, à Pſalterio Romano, quo Vaticana Baſilica vtitur, expungendum adnotauit, cum adhuc Monachus eſſet, Cardinalis Bona, vt in eius memoria m. s. quæ infrà *n.* 496. datur.

438 Idem dicendum quoad ſiue S. Nicetium, cum non liqueat, quis ille, an Lugdunenſis, vel Treuirenſis Epiſcopus iuxtà obſeruationem eiuſdem Cardinalis Bona *ibid.* ſiuè alius *Nicetius*, vt *ibid.* Tentzelius; nullumque adducatur fundamentum; ſintque vterique S. Cæſario poſteriores, vt ex Baronio in *Martyrolog. ad* 2. *April.* quoad Lugdunenſem, & 5. *Decembr.* quoad Treuirenſem; ſiuè Nicetam ( poſito quod ſit alius, vt dicebam, à S. Nicetio ) cum neque appareat, quis hic, vbi, & quo tempore fuerit; & in omni caſu non aliud indè arguendum, quam hymnum illum cum præfatis additionibus fuiſſe a Niceta recitatum, & quem fortè ipſe recitare conſueſceret: non verò quod hymnus ipſe *Te Deum laudamus* inter illas additiones incluſus, fuerit ab eo compoſitus; ita quod, quod Nicetæ tribuitur, afficiat additionem, non verò hymnum.

439 Et tandem, vt de titulo *Hymnus SS. Angelorum* nil loquar, cum ex libito in tali hymno appoſitus, & fortè, ex eo quia in illo laudetur Deus Angelorum triſagio *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, eo modo quo Angelorum hymnus dicitur *Gloria in Excelſis Deo*, & ſi præter dicta, & hæc alia pauca verba, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, cætera ad Angelos non ſpectent, vt præ cæteris Cardinalis Bona *d. lib.* 2. *Rer. Liturgic. cap.* 4. *nu.* 4. & Carolus Dufreſne in *cit. Gloſſar. verb. Hymnus Gloria in excelſis*; Vt hunc inquam titulum ſileam, quoad illum *Hymnus Sanctorum Patrum*, nec ipſe attendendus; tum quia dato, quod verſiculi ſeorſim ſumpti plurium Sanctorum Patrum ſententiæ eſſent, adhuc reſpondendum reſtat, a quo collectæ, & ex illis compoſitus hymnus *Te Deum laudamus*; tum quia potius fauet opinioni, quæ illum SS. Ambroſio, & Auguſtino attribuit, cum hoc dato, verè *Hymnus Sanctorum Patrum* nuncuparetur.

440 Addo primo, harum inſcriptionum varietatem ex Amanuenſium falſa opinione forſitan contigiſſe, vt vel ipſi ſoli tituli *Hymnus Sanctorum Patrum*, & *Angelorum*, qui non niſi ſcribentium arbitrio ſe totos debent, ſatis ſuadere poſſunt. Secundò: modò vni, modò alteri ex præfatis hymnum *Te D. L.* adſcriptum reperiri, non quia ab eorum altero compoſitus: ſed fortè, quia ab eis reſpectiuè in talem Eccleſiam inductus ſit, vel cum

tali

tali mutatione, aut additione ab ipſo vſitatus, vt de hymno à Niceta frequentato vidimus; vel tali tempore, aut occaſione decantatus, eo modo quo hymni dicebantur *Ambroſiani*, & ſi non omnes ab eo compoſiti, ſed hac ſola ratione, quod ab ipſo vt *num.* 448. dicitur, fuerint primò in Eccleſia Ambroſiana inſtituti; & eo modo quo hymnus ipſe *Te Deum laudamus* memorato inſcribitur Hiſpaniæ Regi Siſebuto, *non quaſi ab eo ſit concinnatus: verum quod in coronatione eius primùm decantatus*, vt *cit. nu.* 16. reſpondet idem Tentzelius. Et quid ſi legatur quandoque alicui inſcriptus, eo modo quo liber aliquis ſic inſcribitur, *Hic liber eſt N, &c.* quo non libri auctor, ſed poſſeſſor innuitur? Hoc vnum eſt certum, inſubſiſtentiam horum titulorum *Hymnus S. Siſebuti, Sanctorum Patrum, & Angelorum* docere nos, hoſce titulos, quos enumerauimus, non eſſe multum attendendos; adeòque eorum varietatem non ſufficere, vt propterea incertus reddatur, vt volebat Pagius huiuſmodi hymni auctor, aut fides minuatur communi, de qua mox opinioni, cum attendenda ſit non iam inſcriptio, ſed inſcriptionis ratio.

## §. IV.

### *Communior de eiuſdem hymni Auctore ſententia.*

441 COmmunis ergò ſententia tenet, *Te Deum laudamus* à SS. Ambroſio, & Auguſtino fuiſſe compoſitum, vt & Tentzelius ipſe *num. xj.* fatetur, & infrà apparebit. Et ſanè multùm confert ad hanc opinionem ipſius hymni in Eccleſia antiquus vſus; quandoquidem antè SS. Benedictum, & Cæſarium in ea inuoluiſſe iam vidimus; redditur enim hinc veriſimile, quod fuerit à SS. Ambroſio, & Auguſtino compoſitus, quos per aliquot annos eoſdem SS. Cæſarium, & Benedictum præceſſiſſe non eſt dubium.

442 Suffragantur præſertim Franciſcus Suarez, & Ioann. Caramuel, dum ex iam dicta regulari S. Benedicti diſpoſitione colligunt ab eorumdem Ambroſij, & Auguſtini temporibus fuiſſe dictum hymnum ab Eccleſia receptum. Ille de *Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 2. nu.* 14. ſic: *Quod ſtatim* (ſeù Canticum T. D. L.) *ab Eccleſia in Officio recipi capit; nam D. Benedictus in Regul. cap. 11. in fine matutinorum poſt lectiones dici iubet*. Iſte in *Regul. eiuſd. S. Bened.* & in *Theolog. Regul. diſp.* 85. *num.* 1167. ſic: *Hunc hymnum illicò recepit Eccleſia; adeò vt D. P. Benedictus, qui ſaxaginta poſt Auguſtinum vixit annis, illius mentionem faciat in hoc capite*. Nec omittendus Rutilius Benzonius *d. cap. 19. lib. 1. in Magnificat*, vbi: *Canticum à Beatis Ambroſio, & Auguſtino compoſitum. Atque ex eo tempore, vt idem Datius refert ab vniuerſis Eccleſijs*

*cleſijs vſurpari, ac frequentari cæptum fuit poſt lectiones vltimas nocturni Officij, vt ex antiquiſſima Regula S. Benedicti cognoſcitur. Id autem primùm ordinauit cantari in Eccleſia Mediolanenſi B. Ambroſius, ac deindè Gelaſius Papa paulò poſt Auguſtini tempora præcepit in vniuerſa Eccleſia.* Ex eo enim quod à Sanctorum Ambroſij, & Auguſtini temporibus eſt hymnus hic per Eccleſias diffuſus, deducitur, non prius præextitiſſe, ſed ab ipſis ortum habuiſſe: quin tunc cæptum diffundi, quia tunc ab illis concinnatus.

Sed quid, ſi ex probata hymni antiquitate, & à SS. Ambroſij Auguſtini temporibus eiuſdem per Eccleſias diffuſione ſolus eius auctor adſtruatur Ambroſius?

## §. V.

### *An hic hymnus à ſolo S. Ambroſio compoſitus?*

443 NOn deſunt ſanè, qui talia opinati. Verum & hi ſine ſufficienti fundamento; & vt id oſtendam, en huius aſſerti auctores, ac eorum rationes. In Codice non ſolum *num.* 555. de 1472. conſcripto, ſed & in altero *num* 430. Bibliothecæ Caſſinenſis ſupra 350. annos antiquo ſic *Te Deum laudamus* inſcribitur: *Hymnus S. Ambroſij*. In quodam Breuiario Ambroſiano edito Mediolani de *MCCCCLXXXX. in Kalend. April.* per Antonium Zarotum Parmenſem, & per Petrum Caſolam Eccleſiæ Mediolanenſis Canonicum Ordinarium correcto, & in Bibliotheca Ambroſiana aſſeruato *pag. CXXXIX.* ſic legitur: *Hymnus editus per S. Ambroſium Epiſcopum, ac Mediolanenſium Paſtorem in Baptiſmo S. Auguſtini Te Deum laudamus*. Bartholomæus Gauantus *ſect.*5.*cap.*19. loquens de Mediolanenſium eruditioribus, ſic ſcribit: *Qui etiam* (non tamen explicat, qui ſint) *melius cenſent totum hymnum vni Ambroſio deberi, cum ille dialogiſmo careat*. Edmundus Martene ad *d. Cap.*11. *Regul.S.Benedict.* dicit: *ſolus à Smaragdo, & alijs quibuſdam creditur Ambroſius*, ſcilicet auctor; & rationem puto, cum ipſe non adducat, quia Smaragdus in *d. cap.*11.*Regul.* Ambroſianum eum vocat hymnum: *Cantoris* (loquitur de Abbatibus non Diaconis Smaragdus) *non geſtant officium; & ideò non poſſunt Ambroſianum altè boando hymnum incipere*. Qua fortè de cauſa Petrus Boerius ad *d. Cap.* 11. *Regul.* ex titulo inquam Ambroſiani, ſcripſit: *Hic autem hymnus factus eſt à B. Ambroſio poſt baptiſmum ſancti Auguſtini*. Quo etiam titulo eum appellant & Gualterus Teruanenſis in Vit. S. Caroli Comitis Flandriæ *cap.*38. apud Dufreſne *cit. verb. Hymnus Te Deum laud.* Et ſcriptor miraculorum S. Pelini apud Vghellum in *Ital. Sacr. tom.*9. *col.*38. ibi: *Quod perſpicientes Clerici intrauerunt Eccleſiam, & Te Deum laudamus, Ambroſianum ſcilicet*

*hymnum ſuccinunt antè Sancti ſepulturam*; & nouiſſimè Tobias Lohner in *Inſtruct. pract. de Offic. Diuin. part.* 2. *tit.* 1. §. 11.

444 Tandem Ioannes Petrus Puricellus in *Diſſertat. Nazarian. cap.* 39. *num.* 7. & 8. idem expiſcatur ex coniectura hac, quod ſcilicet S. Ambroſius compoſuerit hymnum de *Trinitate*, quam quotidiè celebrarent fideles, vt idem Ambroſius *Orat. de Baſilic. non tradend. Hæreticis* per hæc verba fatetur: *Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt* (Ariani) *Plenè nec hoc abnuo. Grande carmen iſtud eſt, quo nihil potentius. Quid enim potentius, quam confeſſio Trinitatis, quæ quotidiè totius populi ore celebratur? Certatim omnes ſtudent fidem fateri, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum norunt verſibus prædicare.* Quem hymnum perijſſe nullatenus ſuſpicari cum poſſit, non alium eſſe poſſe opinatur, quam *Te Deum laudamus* propter Trinitatis confeſſionem, quæ in eo habetur; propter verba *Per ſingulos dies benedicimus te*; & quia veteres Ambroſiani hunc hymnum de *Fide Chriſtiana* nuncupabant; Quem hymnum, cum S. Auguſtinus cathecumenus didicerit, potuit itidem in baptiſmo vnà cum S. Ambroſio concinere.

445 Quæ tamen omnia facilimè pariter reſoluuntur. Et quidem primum, quia ex titulo *Hymnus S. Ambroſij* in codicibus illis Bibliothecæ Caſſinenſis nihil ſolidi deſumi poteſt, ob iam obſeruatam libertatem Scriptorum in apponendis titulis. Præterquamquod & alij ibi codices, nempè *num.* 199. litteris longobardicis de ann. 1195. & Cod. *num.* 562. latinis litteris 250. & vltrà annis iam conſcriptis eodem D. Eraſmo Gattola teſte aſſeruantur, in quorum primo ſic legitur *Hymnus S. Ambroſij, & S. Auguſtini*, in altero verò *Hymnus, quem S. Ambroſius, & S. Auguſtinus, compoſuerunt*.

446 Deindè Petri Caſolæ Rubrica, quià arbitraria omninò cenſenda, nec attendenda, vt poſterior tot alijs, & contraria, qui longè antè ipſum æquè auctores Ambroſium, & Auguſtinum, vt *numer. antecedent. & infrà* 494. & 495. dicitur, ſcripſerant; vndè potius erraſſe dicendus eſt, quam corexiſſe, nullo huius nouitatis adducto fundamento; eo enim modo, quo ſuo marte, & ſolemniter errans appoſuit Archiepiſcopo, cui illud Breuiarium dicauit, titulum Papæ: *Digniſſimo, atque omni reuerentia venerando Papæ Guidoni Antonio Arcimboldo Mediolani Archiepiſcopo*; ſic ex ſuo libito, aut in S. Ambroſium deuotione, conticuiſſe potuit Auguſtinum, & ſolum Ambroſium hymni *T. D.* auctorem nominare. Vndè hunc errorem de hymno *Te Deum laudamus* in poſterioribus editionibus caſtigatum teſtatur eruditiſſimus Petrus Paulus Boſca in *Martyrolog. Mediolanen. ad diem* 5. *Maij*.

447 Non item attendendum illud, quod adducitur de Dialogiſmo; quandoquidem, ad hoc vt fuerit ab vtroque, Ambroſio ſcilicet, & Auguſtino compoſitus, neceſſe non eſt, quod per interrogationes, & reſponſio-

nes (in quibus Dialogorum forma conſiſtit, vt ex Quintil. & Ciceron. Calepinus *verb. Dialogus*) proceſſerint; & eo modo, quo alternatim canitur ab Eccleſia, & ab his Sanctis tunc, ſeù in Auguſtini baptiſmo decantatum concedit Puricellus *ibid. num. 9.* cur non potuit item componi abſque Dialogi forma ad Ambroſij verſiculum, alterum ſuperaddente Auguſtino?

448 Similiter illud de *Ambroſiani* titulo, ob quem Martene dixit ſoli Ambroſio tributum illum hymnum à Smaragdo, quia id non verificatur; cum enim hæc ſint verba Regulæ: *Poſt quartum reſponſorium incipiat Abbas hymnum Te Deum laudamus, quo prædicto legat Abbas lectionem de Euangelio, cum honore, & tremore ſtantibus omnibus, qua perlecta reſpondeant omnes, Amen, & ſubſequatur mox Abbas hymnum, Te decet laus.* Et Smaragdus ſubiungat; *Et ideò non poſſunt Ambroſianum altè boando hymnum incipere*, non ſatis apparet, quem hymnum ex iſtis intellexerit Smaragdus *Ambroſianum* appellare. Et quando vtrumque in mente habuerit, nec ſequitur intentum, quia Smaragdus S. Benedicti phraſi vſus eſt, qui hymnos Ambroſianos vocat, vt in *Regul. cap. 9. & cap. 17.* ſiuè eſſent S. Ambroſij, ſiuè non; quatenus ſcilicet ad imitationem hymnorum S. Ambroſij compoſitos, vt interpretantur Valafridus Strab. *lib. de Reb. Eccleſ. cap. 25.* ibi: *Hymni dicuntur per horas canonicas, quos Ambroſianos nominamus, vel illos vult* (S. Benedictus) *intelligi, quos confecit Ambroſius, vel alios ad imitationem Ambroſianorum compoſitos*; & Cornelius Schultingius *d. tom. 1. part. 2. Biblioth. Eccleſ. ſect. 2. cap. 7.* per hæc verba: *Hymni autem omnes dicuntur Ambroſiani, non ſolum quos Ambroſius fecit: ſed omnes etiam alij Ambroſiani dicuntur, qui eodem tempore facti ſunt à quocumque auctore, vt quarto quoque verſu ſententiam abſoluant.* Vel *Ambroſianos*, quatenus hymni primùm à S. Ambroſij diebus in Eccleſia Mediolanenſi, ſeù Ambroſiana celebrari cæperunt; dehinc verò per totius Occidentis Eccleſias, vt iam notarunt S. Iſidorus de *Offic. Eccleſ. cap. 6.* ibi: *Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus vir magnæ gloriæ in Chriſto, & in Eccleſia clariſſimus Doctor copioſiſſimè in huiuſmodi carmine claruiſſe dignoſcitur; atque indè hymni ex eius nomine Ambroſiani vocantur, quia eius tempore primùm in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cæperunt, cuius celebritatis deuotio dehinc per totius Orbis Eccleſias obſeruatur.* Et eiſdem penè, aut parum diſſimilibus verbis Rabanus Maurus de *Inſtit. Cleric. lib. 2. cap. 49.* & Guilelmus Durandus *Rational. Diuin. Offic. lib. 5. cap. 2. num. 25.* & poſt ipſos Thomas Valdenſis *tom. 3. tit. 2. cap. 18. num. 10.* Siluanus Razzius in *Regul. S. Bened. ad cap. 9.* Antonius Perez pariter *ad d. cap. 9. num. 14.* Benedictus Hæftenus *Diſq. Monaſt. lib. 7. tract. 6. Diſq. 5.* Ioannes Caramuel in *Reg. S. Bened. nu. 1137.* & Cornelius Schultingius infra *num. 453.* videndus. Hinc, inquam, *Ambroſianos* appellatos, etſi non omnes hymni fuerint reuera S. Ambroſij. Quarè non eſt, cur ex titulo *Ambroſiani* a ſolo S. Am-

broſio compoſitus dicatur hymnus *Te Deum laudamus*, cum nec hinc ſequatur clarè, quod fuerit ab ipſo compoſitus.

449 Et tandem Puricelli coniecturâ; primò, quià vt reſpondet Theophilus Raynaud. *cit. Erotem.*10.*num.*189. quæ Puricellus adducit verificari poſſunt de hymno S. Ambroſij *Ieſu Redemptor gentium*, vel de altero *Deus Creator omnium*, vt vult Valdenſis *ibid. cap.*19.*num.*4. dicens: *Poſſet fieri, vt illum hymnum intelligat* (in ea concione Ambroſius) *quem eius eſſe de Trinitate compoſitum verſibus iam Auguſtinus edixit, Deus Creator omnium*. Vel etiam de illo *Splendor paternæ gloriæ*, vt in *tom.*5. *Oper. S. Ambroſ.* in quo Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium proponitur, & qui (addo ego) illis perſequentium Arianorum temporibus, magis quam *Te Deum laudamus*, congruere videtur, cum pro Fide conſeruanda, vt legenti patet, compoſitus appareat; Ni velimus dicere, omnes eos Ambroſij hymnos de Trinitate, ſeù confeſſiones Trinitatis vocari, *quod in omnibus* (ſic explicat Baronius *ad ann.*387.*pag.*538.) *tunc à ſe editis hymnis, & in Eccleſia canendis populo traditis ad finem cuiuſque ipſorum glorificatio eſset Sanctiſſimæ Trinitatis*; Et Suarez *d. lib*4. *cap.*2. *num.*13. quatenus *in hymnis à S. Ambroſio editis ſemper in fine addit glorificationem, & confeſsionem Trinitatis*. Vndè Carolus Guyet de *Feſt. propr. locor. lib.* 3. *cap.* 5. *q.* 6. ſic habet de hymnis loquens: *Vltimam Stropham obtinet glorificatio Trinitatis, qua hymni omnes, æquè ac pſalmi ſemper concluduntur ex antiquiſsimo Eccleſiæ vſu, quod adſtruit Ambroſius Orat. in Auxen. de Baſilicis non tradend. vbi de hymnis à ſe conſcriptis, & in Eccleſia à populo decantatis ſermonem habens, ſic ait. Quid potentius quam confeſsio Trinitatis, quæ quotidiè totius populi ore celebratur? Certatim omnes ſtudent fidem fateri Patrem, Filium & Spiritum Sanctum norunt verſibus prædicare*. Et ſic cum habeatur clarè quid veniat, & intellexerit Ambroſius pro hymno de Trinitate, ſeù Trinitatis confeſſionem continente à ſe compoſito, non eſt cur ad eum verificandum recurratur, vt volebat Puricellus ad *Te Deum laudamus*.

450 Nec refert, quod hic hymnus nuncupetur *De Fide Chriſtiana*, quaſi ſit propterea ex illis, quos ſolus S. Ambroſius compoſuit, quia benè potuit & ſic inſcribi, etſi à S. etiam Auguſtino contextus, vt tenet ipſe Beroldus, quem Puricellus adducit, dum ſic habet, vt in *ead. Diſsertat. Nazarian. cap.*97. *num.*8. *Hymnus Sanctorum Ambroſij, & Auguſtini de Fide Chriſtiana*; & de facto in ſermone de Baptiſmo Auguſtini, quem pariter refert Puricellus *ibid. cap.*39. *num.*8. legitur ſub eodem titulo fuiſſe ab vtroque compoſitum *vnà nobiſcum diuino quodam inſtinctu hymnum cantauimus de Chriſti fide*.

451 Secundò quia loquitur S. Ambroſius ibi de hymnis: *Hymnorum quoque meorum*. Hymnum autem metricam dicere compoſitionem habemus ex Philone *lib. de Vit. contemplat.* vbi de Eſſenis ſic: *Cantica hymnoſque*

in

*in Dei laudem componunt vario metrorum genere rhythmis concinnatos in auguſtiorem, & ſpecioſiorem ſpeciem*; & iterum: *Deindè cantant hymnos in laudem Dei compoſitos varijs metrorum, carminumque generibus*; Vndè *laudes Dei metricæ* vulgariter hymni appellantur teſte Radulpho Tungrenſe de *Canon. obſeruant. propoſ.* 8. & hymnus propriè per Bedam *Præfat. ad Pſal.* Guilelmum Durandum *Rational. Diuin. Offic. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 13. Michaelem Timoteum in *QQ. de Diuin. Offic. tract.* 2. *q.* 18. & clarius in *Elucidator. hymn. lib.* 1. *hymn. prim.* & Dominicum Magrium in *Notit. vocab. Eccleſ. verb. Hymnus*, dicitur *laus Dei metricè ſcripta*; Quod ex Remigio notat Antonius Poſſeuinus in *Biblioth. ſelect. lib.* 2. *cap.* 77. ſeù, vt explicat Vincentius Tancredus de *Relig. tract.* 3. *lib.* 4. *diſp.* 1. *num.* 9. *Hymni ſunt carmen continens Dei laudes*. Expreſſius Anacletus Siccus de *Eccleſ. Hymnod. in Præfat. pag.* 5. per hæc verba: *Quod græcè dicitur hymnus accipitur pro carmine, aliaue metrica oratione in honorem, & laudem Numinis directa; & qui apud illos ſcripſerunt carmina de Deo, ſicuti habiti ſunt Theologi, inter quos inſigniores fuere Linus, Orpheus, & Trimegiſtus, ità appellati ſunt hymnographi*. Et Carolus Guyet, qui *ibid. lib.* 3. *cap.* 5. pluribus locis ad hymni rationem carmen requirit, & meo iudicio ſatis benè, quia ſemel excluſo ab hymnis metro, non eſt cur quæuis Dei laus, quæ canitur non ſit hymnus; & ſic cantica, orationes, & lectiones ipſæ, dum canuntur hymni erunt, quod non videtur dicendum.

452 Etſi dicatur Pſalmos quoque hymnos nuncupari; etſi metro careant, prout eſt videre apud Theodoret *Hiſt. Eccleſ. lib.* 4. *cap.* 16. & 17. & clarius apud Ioannem Bapt. Rubeum in *Nou. Rational. Diuin. Offic. lib.* 3. *cap.* 5. ibi: *Omnis enim pſalmus eſt hymnus, ſed non è contrà*; Vndè Dauid Hymnographi nomine appellatur à Philone *lib. de Mundo*, & liber Pſalmorum interpretatur *liber hymnorum* per Valafrid Strab. *loc. cit. cap.* 25. Ludouicum Balleſter. in Onomotograph. *part.* 2. *verb. Dauid num.* 3. Anaclet Sicc. in *ead. præfat.* ſicut & illud Matthæi 26. 30. *Hymno dicto*, pro Pſalmo explicatur à Paulo Burgenſ. Franciſco Luca Burgenſ. & Baronio apud Cornel. à Lapid. *ibi*, & ab Angelo de Pas in *Symbol. Apoſt.* Dominic. Magr. *cit. verb. Hymnus*, & Anaclet. Sicc. *loc. ſupr. lib.* 1. *cap.* 1. ità quod hymnorum, & pſalmorum nomina confuſa ſint per Lorinum *Præfat. in Pſal. cap.* 9. Si id, inquam, dicatur; prompta eſt reſponſio, metricè ſcilicet compoſitos à Dauid Pſalmos, & carmina fuiſſe, vt videre eſt apud eumdem Lorinum *ibid. cap.* 7. ex auctoritate maximè S. P. Auguſtini, quam adducit, & de quibus ſic Anacletus Siccus *cit. præfat. cap.* 6. *Præterea eadem eſt hymni, & pſalmi forma, & materia, & finis, &c. Forma item eſt poëtica, & metrica ad modos, ſeù concentus muſicos accommodata; non enim dici poteſt hymnus, niſi fuerit metricè compoſitus, nec item pſalmus eſſe poteſt niſi ad metrum ſit formatus. Hinc illud graue S. Iſidori teſtimonium, quod omnes Pſalmi*

*apud*

*apud Hebręos metrico carmine fuerint compoſiti; nam in morem Romani Flacci, & Gręci Pindari nunc alij iambico currunt, nunc elegiaco perſonant, nunc ſaphico nitent trimetro.* Et videndi Suarez *d. lib. 4. cap. 2. num. 14. & 15.* Caramuel *Theol. Regul. diſp. 80. num. 1137. & diſp. 85. num. 1166.* Georgius Valentinianus in *Hymnod. Sanctor. Patr. in apparat. §. Quomodò inter ſe*, Timotheus in *Elucidator. hymnor. lib. 1. hymn. 1.* Guyet. *loc. ſupr. lib. 3. cap. 5.* à quibus pſalmi inter hymnos admittuntur, quatenus laudes carmine compoſitas continent. Et ideò ad diſcernendos hymnos à non hymnis hanc ex Iſidoro de *Eccleſ. offic. cap. 6.* regulam (quam tradit & Durandus *eod. cap. 2. num. 25.*) *Quod carmina quęcumque in laudem Dei dicuntur, hymni vocantur*, ſtatuit Bernardus Biſſus in *Hierurg. verb. Hymnus.* Quod certè verificari non poteſt de *Te Deum laudamus*, cum in eo nullum ſit metrum inuenire, nec carmen; vt etiam notat Guyet *d. cap. 5.* ſic: *Non de Te Deum laudamus, & ſimilibus proſa, non verſu ſcriptis.* Qua fortè de cauſa nec inter hymnos, ſed inter Cantica connumeratur à Iodoco Clicthoueo in *Elucidator. Eccleſ. lib. 1. in princip.* & Iacob. Marchant. in *Virga Aaron florent. tract. 3. lect. 17. num. 5.* & alijs. Et cum non ſit hymnus, ſequitur euidenter, quod non ſit de eo locutus in ea concione (vbi expreſsè de hymnis) S. Ambroſius; adeòque nec benè infertur eſſe ex illis, quos ipſe ſolus compoſuit.

453 Sed dato etiam quod metrica forma non ſit de hymni ratione; video enim S. P. Auguſtinum in *Pſal. 148.* tantum requirere, quod ſit *Dei laus cum cantico*; & ita docere Valafridum *cit. cap. 25.* Cardinalem Bon. de *Diuin. Pſalmod. cap. 16.* ſuper quo nolo immorari. Negari ſaltem non poteſt, quod hymni à S. Ambroſio compoſiti verſus fuerint, & metrici, ſic atteſtantibus (præter *ſupr. num. 448.* laudatos, qui omnes S. Ambroſij hymnos carmina vocant) Valafrido *ibid. Notandum autem hymnos dici non tantum, qui metris, vel rhythmis decurrunt, quales compoſuerunt Ambroſius, & Hilarius, &c.* Radulpho Tungrenſ. *eod. loc. propoſ. 12.* ibi: *Tempore ſucceſſiuo à B. Ambroſio apud Latinos, & ad Miſſam, & ad alias horas Diuinas cantus publicus cum hymnis metricis eſt introductus*; & *propoſ. 13.* ibi: *Et cæteri hymni metrici, quos Beatiſſimi Doctores Hilarius, & Ambroſius ediderunt.* Gilberto Genebrard. in *Chronolog. lib. 3. ad ann. Chr. 366.* ſic: *Hymni & carmina in laudem Dei, & Diuorum compoſita ab Hilario, & Ambroſio Epiſcopis per totius Occidentis Eccleſias cantari incipiunt.* Petro Creſpetio in *Summ. Eccleſ. Diſcipl. verb. Hymnus*, ità: *Ambroſius Mediolanenſis egregiè in componendis metricis verſibus hymnis verſatus eſt*, & Cornelio Schultingio in *Biblioth. Eccleſ. part. 2. ſect. 2. cap. 6. fin.* hoc pacto: *Hymni Ambroſiani dicuntur à D. Ambroſio, qui maiorem partem hymnorum compoſuit, & in ſua Mediolanenſi Eccleſia cantari inſtituit. Metrico numero compoſiti ſunt.* Qua de cauſa aliquos hymnos inter Ambroſianos non admittunt Bellarminus de *Scriptor. Eccleſ. obſeruat. ad tom. 5. S. Ambroſ.* & Antonius Bellotta de *Ritib. Eccleſ. Laudu-*

*nen.*

*nen. obſeruat.* 32. *num.* 3. *pag.* 193. quia in eis *non ſeruatur ratio metrica, quæ S. Ambroſio notiſſima erat*. Et manifeſtum eſt ex ipſius Ambroſij verbis, *vt ſupr. Hymnorum quoque meorum CARMINIBVS deceptum populum ferunt. Grande CARMEN &c. norunt VERSIBVS prædicare*. Vndè Guyet *d. cap.* 5. ſic habet: *Deniquè Ambroſius Orat. contrà Auxent. de Baſilic. non tradend. hymnos à ſe compoſitos CARMINA vocat*. Cum ergò hymnus *Te Deum laudamus* careat metro, & carmine, vt dictum eſt, & omnibus patet, non de illis hymnis eſt, de quibus ibi S. Ambroſius. Vndè tota euaneſcit Puricelli coniectura, ob quam dici poſſit à ſolo S. Ambroſio compoſitus.

454 Et hic obſeruanda venit illatio, quam ex dictis, ſeù ex eo quod hymni D. Ambroſij cum finali SS. Trinitatis glorificatione, & rhythmo, & carminibus contexti fuerint, infert *loc. cit. num.* 13. Tentzelius. *Hinc enim probatur Ambroſium in fine hymnorum ſuorum addidiſſe glorificationem S. Trinitatis; quæ clauſula in noſtro* (ideſt *Te Deum laudamus*) *non concipitur; ac proindè ille ab Ambroſio profectus non eſſe meritò cenſetur*. Placere inquam non poteſt, vt ſonat, conſequentia; quatenus ſenſus eſt, quod nullo modo prodierit ab Ambroſio. Poſſe valere conceditur, quatenus facit ſenſum, hymnum *Te Deum laudamus* non eſſe ex illis, quos ſolus Ambroſius compoſuit; & pro quibus ſolis militant, quæ dicta ſunt de finali SS. Trinitatis confeſſione rhythmo, & carminibus: Sed non valet, quatenus infert *Te Deum laudamus*, nullatenus a S. Ambroſio compoſitum. Potuerunt ſiquidem illas conditiones complecti hymni ab eo ſolo, & eo fine, vt à populo canerentur contexti, & illis carere hymus *Te Deum laudamus* vnà cum Auguſtino in altera, & differenti circumſtantia, & occaſione concinnatus.

## §. VI.

### *Probatur vera ſententia ex S. Datij Chronico.*

455 SAnctos ergò Ambroſium, & Auguſtinum, cum ab illo ſolum compoſitus non probetur, vt vidimus, huiuſmodi hymni auctores dicimus. Et probatur auctoritate S. Datij Mediolanenſis Archiepiſcopi in *Chronic. lib.* 1. *cap.* 10. vbi iuxtà relationem plurium & ſignanter Iacobi de Valentia in *Expoſit. Te Deum L. poſt Expoſit. in Pſalmos*, ſic habet. *Eodem tempore ſcilicet duodecimo Theodoſij maioris anno contingit, vt quidam magnus ſapiens tunc Manicheorum errore ſeductus nomine Auguſtinus argumentis dialecticis, & ſophiſticis armatus venit ad B. Ambroſium, non cauſa audiendi, ſed reprehendendi gratia. Sed cum Beatum Ambroſium de Incarnatione prædicantem inueniſset oblitus ſui, & litterarum omnium, ac cognitionum pallens, ac tremens omnibus videntibus, qui ibi aderant, obriguit. Ac*

etiam

*etiam finita oratione, & admonitione, quam ad populum B. Ambroſius adminiſtrabat, primùm ad ipſum Auguſtinus peruenit. Ac B. Ambroſius cognita eius ſcientia, patefactaque eius diſciplina, quid in arte valeret, qualiterque in Fide catholica diſsentiret, per Spiritum Sanctum cognoſcens, qualiterque fidelis, & catholicus futurus eſset, placidiſsimè, & multum charitatiuè cum ſuſcepit. Itaque lætabatur B. Ambroſius ſuper eum, ſicut in Euangelio de quodam Patre legitur, qui cadens ſuper collum filij ſui, quem perdiderat, oſculabatur eum. Tandem non poſt multos dies nutu diuino, ſicut multis videntibus, & ſibi conſentientibus palam aberrauerat, ſic in Fontibus, qui B. Ioanni adſcribuntur Deo opitulante à B. Ambroſio cunctis fidelibus adſtantibus, & videntibus in nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis baptizatus, & confirmatus eſt. In quibus fontibus, pro vt Spiritus Sanctus dabat eloqui illis, Te Deum laudamus decantantes cunctis, qui aderant, audientibus, ſimulque mirantibus poſteris ediderunt, quod ab vniuerſa Eccleſia Catholica vſque hodiè tenetur, & religiosè decantatur; & quaſi ditati multis diuitijs, & inæſtimabilibus margaritis mutuò in Deo delectantes, cum gratiarum actione cibum ſumentes, & magno gaudio gauiſi confortati ſunt.*

## §. VII.

### *Quæ aliorum de hoc Chronico opiniones, & rationes.*

456 TEſtem S. Datium produxi. Verùm, quia huiuſmodi opus à quibuſdam reprobari video, abs re non erit eorum fundamenta, & rem ipſam delucidare. Bartholomæus Gauantus ad eaſd. *Rubric. Breuiar. ſect. 5. cap. 19. num. 1.* ſic habet: *Quod tamen Chronicon non eſt Datianum, ſi eruditioribus credendum eſt Mediolanenſibus.* Cardinalis Bona in *Notit. Auctorum antè Tract. de Diuin. Pſalmod. verb. Datius*, ſic: *Datio Epiſcopo Mediolanenſi falsò adſcriptum Chronicon, vt cenſent viri docti.* O vtinam vel ille eos eruditiores, vel iſte hos doctos nominaſſet, vt cognoſci poſſet quanti valeret eorum auctoritas!

457 Quarè cum ſubticeantur, non alia ſuppetit reſponſio, quam ignotis eruditis, notos ſapientes opponere; & non ſolum quos etiam in *Diſſertat. Nazarian. cap. 39. num. 12.* adducit Puricellus, nempè Bartholomæum Vrbinatem in *Prolog. ad ſuum Auguſtini Milleloquium*, Ioannem Marquez de *Orig. Ordin. Eremitar. cap. 5. §. 12.* Ioſephum Pamphilum in *Chronic. eiuſd. Ordin. pag. 2.* Ioannem Gonzalez in *Compend. Hiſtorial. Vit. S. Auguſt. cap. 1.* Ludouicum ab Angelis de *Vit. & laud. S. Aug. lib. 3. cap. 5. & 6.* Cornelium Lancelot. in *Vit. eiuſd. S. Aug. lib. 2. cap. 1.* Ioannem Riuium in *eiuſd. pariter Vit. lib. & cap. 1. §. 31.* Nicolaum Cruſenium in *Monaſt. Auguſtinian. part. 1. cap. 5.*

cap.5. Ambroſium Staiban. in *Templ. Eremitan. cap.5.* Gabrielem Pennottum in *Cenſur. ad Sermon. S. Aug. ad Eremit. cap.17. & Not. 17. ad Hiſtor. Conuerſion. S. Aug. poſt Offic. propr. Ordin. Canonic. die 5. Maij.* Ioan. Stephanum Durant. de *Ritib. Eccleſ. Cathol. cap. 16. num. 6.* Robertum Card. Bellarmin. *lib.1 de Bon. operib. in particul. cap. 14.* & de *Scriptorib. Eccleſ. in obſeruat. ad S. Ambroſ. oper. prop. fin.* & item (quod omiſit Puricellus) in *verb. Datius.* Antonium Poſſeuinum in *Apparat. Sacr. verb. Datius Mediolanen.* Oliuerium Bonartium de *Hor. Canon. cap. 29. num. 26.* Ioſephum Ripamontium *Hiſtor. Eccleſ. Mediol. Decad. 1. lib. 5. pag. 239.* Ioannem Caramuelem *Theolog. Regul. num. 1167.* Petrum Maturum in *Annot. ad §.1. cap.8. tit.10. part.2. Chronic. S. Antonini.* Non hos, inquam, ſolos, quos & Puricellus: ſed & Cornelium Schuitingium in *Bibliotb. Eccleſiaſt. tom. 1. part. 2. cap.2. fin.* Lorinum in *Pſal.27. verſ.9.* Rutilium Benzonium in *Magnificat. lib.1. cap.19.* Ioannem Azorium *Inſtit. Moral. tom.1. lib.10. cap.15. de Canticis*, & iterum de *Hymnis*. Carolum Macignum de *Hor. Canonic. cap. 36.* Iacobum Bayum *Inſtit. Relig. Chriſtian. lib.4. cap. 12. §. Cantus.* Henricum Spondanum in *Epitom. Annal. Baron. in addit. ad num.9. ann.388.* Franciſcum Suarium *tom.2. de Relig. lib.4. de Hor. Canon. cap.2. num. 14.* Antonium Perez ad *Cap.9. Regul. S. Benedict. nu.4.* Ioann. Bapt. Caſalium de *Vet. Sacr. Chriſt. rit. cap. 46.* Ambroſium Coriolanum in *Vit. S. Auguſt.* Antonium Bellotte de *Ritib. Eccleſ. Laudunen. Obſeruat.32. num.3. pag.193.* Franciſcum Carrier in *Digeſt. Fidei Cathol. pag. 585. col.1.* Emanuel. Gonzalez in *Comment. ad Cap. Presbyter. de Celebrat. Miſſar. nu.20.* Aloyſium Torellum in *Sæcul. Auguſtinian. ad ann.387. num.25.* Alphonſum Villeg. in *lib. Flos Sanctor.* in *Vit. S. Auguſtin. 28. Auguſt.* Ioan. Stephan. Menochium in ſuis *Stromat. part.5. cap.6.* Dominicum Magrium in *Notit. verb. Eccleſ. verb. Te Deum laudamus* Placidum Pucinellum in *Zodiac. Eccleſ. Mediol. part. 3. cap.17. fin.* & in *Vit. S. Simpliciani pag.15.* Andream Piſcaram Caſtaldum in *Prax. Ceremon. lib.2. ſect. 3. cap. 2. num. 9.* & Ioannem Bapt. Ruſcam in *M. S. de Cantu Eccleſiaſt. cap.52. in Bibliotheca Ambroſiana*. Omnes namque iſti, qui certè pro eruditis, ac doctis habentur, Chronicon S. Datij admittunt, & recipiunt, dum præfati hymni *Te D. laud.* Sanctos Ambroſium, & Auguſtinum ex laudato S. Datij Chronico *lib. 1. cap. 10.* auctores fuiſſe referunt; quorum catalogus (vt alios omittam, qui S. Datij Chronicon amplectuntur, & de quibus infra *num.465. &* 484. *ad* 488.) vnius vel alterius contrariam opinionem infirmat, ne dicam confutat.

458 Præter Gauantum autem, & Cardinalem Bona idem ſentiunt Hugo Menardus in *Not. ad Rit. vnction. Regis Franc. poſt Sacramentar. S. Gregorij pag. 399. & 400. ſecund. impreß. Pariſ. ann.1642.* Theophilus Raynaud. *tom.11. in Erotem. de bon. & mal. libr. part.1. Erotem.10. n.189.* Ioannes Petrus Puricellus in *Vit. S. Laurentij Littæ cap.11. num.2. & cap.20. n.17.* fusè verò in

*Diſſertat. Nazarian. cap. 39. n. 10. & ſeq.* Oudin. in *Supplem. ad Bellarmin. de Scriptor. Eccleſ. verb. S. Datius.* Edmundus Martene in *Comment. ad Regul. S. Benedic. cap. 11. pag. 280.* nouiſsimè Erneſtus Tentzelius *loc. ſupr. num. 12.* & poſtremò Petrus Paulus Boſca de Mediolanenſi Eccleſia ſignantèr ob Martyrologium, quo dictam Eccleſiam illuſtrauit, benemeritus, vbi ſub 14. Ianuarij ad rem S. Datij Acta eiuſd. Mediolanenſis Eccleſiæ commemorans, ſic ea ſugillat, *in quibus perperam dicitur conſcripſiſſe libros annalium*, licet nulla talis aſſerti addita ratione (quam tamen ab eruditiſsimo viro addiſcendi gratia expectaſſem) ad Puricellum ſe referens. Quia verò Oudinus ex his mouetur, quæ *Analector tom. 1.* hac de re refert eruditionum fons Ioannes Mabillon; & Tentzelius ex his, quæ Hugo Menardus, Raynaud, Gauantus, Oudin, & Mabillon tum *loc. cit.* tum de Azimo ſcribunt, ad rationes, quibus Menardus, Raynaud, Puricellus, & Martene ad Datianum Chronicon ablegandum inducuntur, vt omnibus ſatisfiat, deueniamus, & ſunt,

459 Primò quia probari non poteſt, vllum à S. Datio fuiſſe Chronicon ſcriptum, nedum citatum. Ità Hugo Menardus *loc. cit.* Secundò, quia ſtylus non ea redolet tempora Iuſtiniani, ſub quo S. Datius floruit. Ità idem Menardus, Theophilus Raynaud., & Edmundus Martene *ibid.* Et tertiò, quia aliqua falſa continet. Sic Menardus, Martene, & Io. Petr. Puricellus *n. 11.* Et ſi quæratur quænam hæc falſa? Dicit *ibid.* Raynaud: *Nam quæ loco, qui allegatus eſt, narrantur de geſtis in Sanctorum Ambroſij, & Auguſtini colloquio, planè aduerſantur ipſi S. Auguſtino, & Poſſidio.* Specificat verò Menardus ſic: *Quod Auguſtinus audiens S. Ambroſium de Incarnatione ad populum tractantem, & prædicantem tremens, ac pallens, omnibus, qui aderant videntibus, obriguerit, ac etiam finita monitione, quam B. Ambroſius populo miniſtrabat, primus ad eum Auguſtinus peruenerit; aduerſatur enim S. Auguſtini, & Poſsidij ſcriptis.* Puricellus autem *ibid. num. 10. & 11.* hoc aliud falſum addit; *ſolemne illud mendacium, quo S. Ambroſius dicebatur Sacerdotibus permiſiſſe, vt vnam ſibi vxorem aſſumerent*, prout ex Datij Chronico ſcribit Gualuaneus Flamma in ſuo *Chronico Maior. cap. 397.* in Bibliotheca Ambroſiana cuſtodito. Quod tamen à S. Datio fuiſſe S. Ambroſio tributum, credibile non eſt,

460 Atque ex his inferunt omnes iſti non eſſe S. Datij illud Chronicon, & parum diuerſa mente. Menardus ſiquidem non vt veritatem hiſtoriæ tangat, ſed ſolum à S. Datio non prouenire oſtendat; ibi: *Sed, quidquid ſit de veritate huius hiſtoriæ, certum eſt hoc Chronicon non eſſe huius S. Datij.* Raynaud, & Martene, vt neque SS. Ambroſij, & Auguſtini eum hymnum eſſe deducant; iſte per hæc verba: *ac proindè quæ de compoſito ab Ambroſio, & Auguſtino hymno Te Deum laudamus narrantur, dubiæ omninò, ne dicam nullius ſunt fidei:* ille verò ſic: *Quarè hymnus ille Dominicalis alium videtur habuiſſe*

*Auctorem, quàm SS. Ambroſium, & Auguſtinum*. Puricellus verò, vt inferat eſſe ſolum S. Ambroſij, non autem & S. Auguſtini, vt ex d. S. Datij Chronico probatur.

461 Sed neque ex his omnibus quidquam euincitur. Non quidem contrà aſſertum principale, quod hymni *Te Deum*. Auctores fuerint SS. Ambroſius, & Auguſtinus; nam legitima non eſt hæc conſequentia. Falſa quædam in eo Chronico (dato quod ità ſit) leguntur. Ergò hymnus *T. D. L.* non eſt ab illis contextus. Et quot in Scriptoribus, & claſſicis reprobata? Non per hoc tamen falſa omnia. Sicut non tenet hæc conſimilis. Chronicon illud non eſt S. Datij. *Ergò nec hymnus ille eſt à SS. Ambroſio, & Auguſtino compoſitus*, vt benè contra Theophil. Raynaud. notat *d. cap. 39. n.* 18. ipſe Puricellus; ſecus æquè inferri poſſet, nec à S. Ambroſio baptizatus Auguſtinus; quod tamen falsè diceretur, cum quoad hæc omnia etiam ſecluſo Datij Chronico aliundè ſatis fidei habeatur, vt *ibid.* ſubdit Puricellus. Ex quibus retorquendo in ipſum Puricellum argumentum, ſubſumo. Nec ergò ex eo quod non ſubſiſtat S. Datij Chronicon, ſequitur, quod hymnus ille a S. tantum prodierit Ambroſio.

462 Nec item euincitur contrà ipſum S. Datij Chronicon. Quo enim ad primum obiectum iam Chronica ab ipſo conſcripta fuiſſe ſufficienter apparet infrà *num.* 484. *ad* 488. & quoad citationem tum ex adductis *n.* 465. 476. 481. 484. 486. tum ex nunc præmiſſo Scriptorum Catalogo, qui ſi ex ſe ſolo non ſufficit, vt allegatum dicatur S. Datij Chronicon, non video quid vlterius, exigi poſſit. Et quoad adducta de ſtylo, quod ſcilicet illud Chronicon non redoleat Iuſtiniani tempora, rem dicimus iudicatu difficilem. Si enim S. Datij Chronicon non reperitur, vt d. *num.* 465. conſtat, quomodò dici poteſt Datiani Chronici ſtylum ea tempora non redolere? Quomodò pauca illa S. Datij, & ſupra *num.* 455. adducta verba, quæ ſunt vnicum fragmentum, quod ex S. Datij Chronico reperiatur hactenus citatum, prout notat Philippus Labbeus *Diſſertat. Hiſt. de Scriptor. Eccleſ. verb. Datius*, ſatis ſunt, vt poſſit prædictum formari iudicium? At tranſeat, quod ſatis ſint, numquid eadem in omnibus illius ſæculi ſcribendi ratio, & methodus? Et a quot tempore etiam politioris litteraturæ non ea obſeruata, & è contrà? Debile argumentum ex diuerſitate ſtyli reſpectu eiuſdem Auctoris, vt in *Quodlibet. Regul. num.* 62. at debilius reſpectu diuerſorum, etſi pro eodem ſæculo.

463 Nec item video quænam ſint hæc falſa; ſeù quæ in ſuprapoſitis S. Datij verbis de geſtis in Ambroſij & Auguſtini colloquio planè aduerſentur ipſi Auguſtino, & Poſſidio, vt ex verbis ipſis apparet, & apparere obſeruauit etiam Puricellus *d. cap.* 39. *n.* 20. & ea præſertim, quæ notat Menardus, cum nihil in Auguſtino, & Poſſidio, quod cum illis concordari, vel cui illa conciliari facilè non poſſint. Quod ſi fortè repugnantiæ

cauſa, & ratio ſit, quod quæ Datius ſcribit, non referantur ab Auguſtino, & Poſſidio, parcant viri doctiſſimi, non ſubſiſtit certè, cum aliud ſit ab eis non referri, aliud repugnare; & nullum ſit dubium, quod non omnes ſuas indiuiduales actiones ſpecificauerit Auguſtinus, aut deſcripſerit Poſſidius; quarum tamen memoria apud poſteros perſeuerare potuerit, & ad S. Datium per traditionem peruenire. Nec eſt nouum quod *non rarò* (ſic ad rem præſentem Io. Mabillon de *Azimo cap.6.*) *Auctores etiam æquales in vnius, eiuſdemque facti narratione diſcrepant*. Et data talis circumſtantiæ inſubſiſtentia, numquid propterea falſa omnia, & non verum factum principale?

464 Et quoad id, quod de vxoribus Presbyteris a S. Ambroſio conceſſis ex Datio refert Gualuaneus Flamma, reſpondebit fortaſsè aliquis, non omnem fidem habendam quoad hoc Gualuaneo; Cum namque ipſe *cap.226.* hæc ex ſe nullo talis aſſertionis adducto Auctore ſcripſerit: *Conſtituit B. Barnabas ſucceſsorem inſtituere, & ordinati potuerunt vxores habere*; ſicut in hoc deceptus eſt; ità potuit & falsò *cap.396.* (dum iterum de S. Ambroſio idem affirmat) fortè ad ſui dicti corroborationem, aut ei fidem conciliandam, Datij Chronicon adducere. Sed eſtò fideliter ex Datio retulerit Flamma, non ne potuit id poſt S. Datium ab aliquo inter eius opera immiſceri? Sequitur quidem ea à Sancto Datio non ſcripta, ſicut & de alijs inferius dicitur: non verò ab eo non ſcriptum Chronicon, & nimis leuis coniectura eſt, quin veritati, ipſa teſte experientia, repugnans, ex vno, vel altero errore, aut falſitate, maximè vbi de manuſcriptis antiquis agitur, velle ex toto opere Auctorem aliquem excludere. Neminem credo dicturum non ſcriptas hac eadem de cauſa à Gualuaneo Flamma, atque Bernardino Corio hiſtorias. Vndè cum rationes contrà S. Datij Chronicon non euincant, ſubſiſtit, & viget ex eo deſumpta probatio de hymni *Te Deum laudamus* Ambroſio, & Auguſtino Auctoribus.

## §. VIII.

### *An exiſtat hoc S. Datij Chronicon.*

465 ET abſolutè dicimus illud non reperiri. Sic relictis exteris Carolus à Baſilica Petri in *Fragment. Hiſtor. Mediol. §. fin. de nomine. Mediolani*. Saluator Vitalis in *Theatr. Triumphal. Mediol. ad ann. Mund.1960.n.2.* & Ioſephus Vicecomes de *Miſsæ ritib. lib.2. cap.18. pag.193.* Ille per hæc verba: *Vndè Corius hos verſus acceperit* (loquitur de quibuſdam carminibus, quos ex S. Datio de Mediolani nomine refert Corius) *neſcimus. S. Datij hiſtoriam credimus eum non vidiſse. Eam à grauibus Auctoribus nominatam varias per Vrbes, & Bibliothecas conquiſitam inuenire non potui-*

*tuimus: libellis autem quibuſdam hiſtoricis imperitè præpoſitum Datij nomen vidimus*. Alter verò ſic: *Chronicon Datij Archiepiſcopi Mediolani perquiſitum, nec inuentum*. Et Vicecomes: *Poſterior autem* (ſcilicet Gualuaneus Flamma, de quo ibi loquitur) *eo maiorem fidem, & auctoritatem meritus eſt, quod vetuſtiſſimos Datij annales citat, quorum memoria tantum manet, lux, & auctoritas ipſa varijs caſibus, atque temporum, & hominum licentia intercidit*. Et quod loquatur de S. Datij annalibus, licet non appoſito Sancti titulo, patet ex Indice, quem præmittit *verb. Datius*, vbi ſic: *Datij Mediolanenſis Archiepiſcopi annales fruſtrà noſtra ætas requirit. pag. 193.*

466 Et non ſolum huius S. Datij Chronicon non reperiri: ſed nec illud, quod alterius Datij voluit Puricellus, vt videbimus; ſic enim ipſemet Puricellus in *Præfat. ad Vit. S. Arialdi nu. 4.* teſtatur: *Alterum igitur intelligo Datium, qui paulò poſt Arialdi, & Herembaldi conatus Chronicum illud ſcripſit Mediolanenſe, quod vſque ad Gregorij Papæ VII. regimen protendebatur, & in præſenti non inuenitur*.

467 Commonendum tamen primò, in Bibliotheca Capituli Metropolitani Eccleſ. Mediol. duos reperiri codices Hiſtoriarum Landulphi ſenioris iuxta fidem laudati Puricelli *cit. Diſſertat. Nazarian. cap. 37. n. 8.* & *cap. 39. n. 13. & 21.* quorum ſaltem vni adnexæ ſunt Hiſtoriæ Arnulphi, & Landulphi iunioris ſcriptorum pariter Mediolanenſium. Sic idem Puricellus in *Vit. S. Arialdi lib. 1. cap. 2. n. 3.* dicens: *Eaſdem tamen depromam è manuſcripto præſertim, & pergameno Capituli Metropolitani Codice, quo libri quatuor Mediolanenſium hiſtoriarum Landulphi ſenioris continentur*. Et poſt aliqua: *In eodem tamen codice poſt prædictas Landulphi ſenioris hiſtorias quatuor libris comprehenſas exſcriptæ ſimiliter ſubſequuntur hiſtoriæ Arnulphi; deindè verò alterius Landulphi, quem paulò ante dicebam de Sancto Paulo*, qui dicitur Landulphus iunior, vt *ibid.* idem Puricellus: *Seniorem verò appellare illum ego ſoleo, vt eumdem ab altero diſtinguam Landulpho pariter Hiſtoriographo Mediolanenſe, qui poſterior ætate fuit, quique diſertiſsimè ſe Landulphum de S. Paulo appellauit*; quod & adnotauerat *d. cap. 37. n. 8. Diſſert. Nazarian.*

468 Commonendum ſecundò, huic Landulphi codici hunc appoſitum fuiſſe recentiore tamen manu titulum, *Chronica Datij Archiepiſcopi Mediolani nuncupata*. Sic in reſponſionibus Antonij Mariæ Puſteriæ eiuſdem Capituli Metropolitani (non Bibliothecæ Ambroſianæ, vt in Danielis Papebrochij *Exegeſi de Epiſcop. Mediolanen. tom. 7. Maij n. 37.*) Bibliothecarij ad quæſita Io. Mabillonij ſuper veritate Datiani Chronici, quod in eadem Bibliotheca aſſeruari præſenſerat, prout in *Analect. tom. 1. pag. 5. ad 2. & 3.* ibi: *Non modò non eſſe eadem manu deſcriptum: verùm neque ab eodem Auctore; nam primam partem ſcripſit Landulphus ſenior; ſecundam Arnulphus; & tertiam Landulphus iunior omnes Mediolanenſes Hiſtorici. Titulus Chronicorum eſt recentior, iſque eſt huiuſmodi: Chronica Datij Archiepiſcopi Mediolani*

*nuncu-*

*nuncupata*. Quod fortè inſinuare voluit & à Baſilica Petri in illis verbis: *libellis quibuſdam hiſtoricis imperitè præpoſitum Datij nomen vidimus*. Sed reuerà Chronicon Datij non eſſe; & talem titulum illi codici ab imperito quidem, vt à Baſilica Petri loquitur, fuiſſe adiectum, qui cum Chronicon Datij non inueniret, & nomen Landulphi non fortaſsè obſeruauerit (per hæc, quæ habet *d. num.* 8. Puricellus: *Bina eorum exemplaria manuſcripta reperiuntur in Capituli Metropolitani Bibliotheca, è quibus vnum eſt, quod in fine libri quarti, & vltimi ſic denique habet: Explicit liber Hiſtoriarum Landulphi Hiſtoriographi, cum alioqui proprium eius nomen non ſatis in principio, vbi aliquatenus per litteram L. indicatur, diudicari poſſit*) putauit hanc, quem eſſe Landulphi ignorabat hiſtoriam, eam eſſe, quæ Datij circumferebatur.

469 Miror tamen hic, quomodò Puricellus, qui præfatas Landulphi hiſtorias perluſtrauit, de hoc Datij appoſito titulo nec verbum habuerit; quarè, ni ſuppoſita Caroli a Baſilica Petri verba obſtarent, locus eſſet dicendi non ſolum recentiori, ſed recentiſſima manu, hoc eſt poſt ipſum Puricellum illi Codici additum eiuſmodi titulum.

470 Vndequaquè tamen ſit Puricelli ſilentium, hæc ego præmonita volo, primò; ne quis ex ſuprapoſitis Metropolitani Capituli Bibliothecarij apud Mabillonium reſcriptis falsò opinetur, apud Auctores, vbi de Chronico Datij agitur, ex. gr. vbi *Te Deum laudamus* in Auguſtini baptiſmo ab ipſo vnà cum Ambroſio decantatum, aut alia huiuſmodi è Datij Chronico referunt, intelligi hunc Landulphi codicem, cum ea inſcriptione *Chronica Datij Archiepiſcopi Mediolani nuncupata*: ſed aliud opus hiſtoricum à Landulpho diſtinctum, a S. Datio ipſo conſcriptum; cum enim Datianum Chronicon non reperiatur, vt vidimus, & aliàs Hiſtoria Landulphi cum ea ſuppoſita inſcriptione *Chronica Datij &c.* adhuc exiſtat, iam facile eſt cognoſcere, dum de Datij Chronico locuti ſunt Scriptores, non de hac Landulphi Hiſtoria, ſed de alia Datij hiſtoria fuiſſe locutos.

471 Nec dicatur. Immò ex eo quod non inueniantur Datij Chronica, ex Landulphi Hiſtoria, tamquam Datij ſuppoſito Chronico dicendum eſſe deſumpta, quæ referuntur ex Datio; & ideò in hoc deceptos eſſe Scriptores, putantes è Datij, quod ex hiſtorijs erat Landulphi. Non inquam dicatur, quià (præterquamquod non apparet, à quo tempore facta ſit additio illius tituli, vti neceſſe eſſet, ad hoc vt verificari poſſet, ex his Landulphi hiſtorijs, tamquam ex Datij, Scriptores etiam antiquos ſuas relationes deſumere potuiſſe) non tenet conſequentia, cum poſſint reuera eſſe a S. Datio ipſo deſumpta, etſi hodiè non reperiantur eius hiſtoriæ; nec deſint exempla ſacra, & profana, ſententiarum, rerum, & actorum, quæ varijs in libris referuntur ex Auctoribus, quorum modò opera ipſa non extant, & ſcripta. Sed omnis remouetur difficultas ex Landulpho

pho

pho ipſo; Quidquid enim ſit, quod aliqua ex Datij Chronico deſumpta legantur in Gualuaneo Flamma, quæ, vt audio, non leguntur in Landulphi hiſtoria; quod diuerſitatis hiſtoriarum efficax eſset argumentum; à quo tamen producendo abſtineo, cum Landulphi hiſtoriam perluſtrare non potuerim. Quidquid inquam de hoc ſit; remouet difficultatem Landulphus, dum ipſe etiam adducit, & citat Datium, vt infrà *num.* 476. patet; hinc ſiquidem apparet præextitiſſe Datij hiſtorias, & alias eſſe à Landulphi hiſtorijs, vt clarè *d. cap.* 39. *num.* 21. admittit Puricellus (qui ideò vt §. *X.* dicitur, alium adinuenit Datium) & de qua diſtinctione iterum *num.* 487. Etſi ex Datio ipſo hauſit Landulphus, quarè non potuerunt idem & alij præſtare, ſeù ex Datio ipſo relationem hymni *Te Deum laudamus*, antequam deperderetur Chronicon, haurire? Non eſt ergò, cur dicantur de hoc codice Landulphi, & non de alia Datij hiſtoria locuti, qui ex Datio præfata retulerunt.

472 Secundò præmonita ea volo, vt cum auditur denegari Datij Chronicon, percipiat quiſque, ſaltem prudenter interpretetur, de hac Landulphi ſenioris hiſtoria cum eo ſuppoſito *Chronica Datij* titulo, quæ verè Datij non eſt, eſſe ſermonem: non verò denegari verum Datij Chronicon præextitiſſe (imprudenter enim ſatis, cum fundamento careat, id fieret) quod aliud à præfata Landulphi hiſtoria dicimus. Sed ex tali denegatione nullum rei noſtræ præiudicium.

## §. IX.

### *An extiterit S. Datij Chronicon.*

473 Sicuti certum eſt non reperiri, ità certum omninò eſt extitiſſe, cum pluries, & à pluribus priſcis Scriptoribus laudetur. Datium ſiquidem non ſolum allegat ex antiquioribus, qui Mediolanenſem Hiſtoriam ediderunt, Bernardinus Corius *lib.* 1. *Hiſtor. Mediol.* & de quo *num.* 465. ſed qui longè antè ipſum de eadem hiſtoria ſcripſerunt, nempè Gualuaneus Flamma, qui eodem teſte Puricello *d. Diſſertat. Nazarian. cap.* 109. *num.* 18. *& cap.* 114. *num.* 1. floruit de 1344.) in ſuo *Chronic. maior. M. S.* & in Bibliotheca Ambroſiana cuſtodito ad trigeſies Datij Chronicon laudat. Auctor item Chronici *Flos Florum*, qui pariter per eumdem Puricellum in *Vit. SS. Arialdi, & Herembaldi lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 1. circiter 1339. ſcripſit, eodem Datij Chronico vtitur. Quin Landulphus ſenior in ſuis hiſtorijs, qui (vt vult idem Puricellus in *d. Diſſertat. cap.* 37. *num.* 8. *& cap.* 39. *num.* 13. & in *Vit. S. Arialdi d. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 3. ſcribebat circiter ann. 1080. clariſſimè, & non ſemel Datium allegat, vt *num.* 476. Inſuper in quo-

quodam Proceſſu de 1291. formato idem Chronicon citatur, vt videre eſt apud eumdem Puricellum *d. cap. 39. num. 15.* Et item in alio codice perantiquo caractere M. S. in eadem Ambroſiana Bibliotheca ſub *litt. A. nu. 98.* idem Datij Chronicon, vt infrà *num.* 180. adducitur. Quarè à tot antiquis Scriptoribus laudatum Datij Chronicon extitiſſe peruicacis tantummodò eſſet denegare. Nihil officiente eiuſdem deperditione, cum nouum non ſit, plures libros, de quorum aliquandò exiſtentia nullum eſt dubium, temporum iniuria deperditos nunc deſiderari, vt videre eſt, & non ſemel apud Bibliothecarum Auctores, & eos, qui de Eccleſiaſticorum Scriptorum operibus mentionem fecerunt.

## §. X.

### *An alius à S. Datio Chronici auctor Datius.*

474 DAtiani Chronici neceſſitatem ex his, quæ dicta ſunt, cognoſcens Io: Petrus Puricellus, illud admiſit: Sed alium ſpeculatus eſt Datium S. Datio Archiepiſcopo Mediolanenſe longè poſteriorem, quem de 1080. circiter de Mediolanenſ. Antiquitatib. ſcripſiſſe dicit; & hunc *cit. cap. 39. num.* 10. & in *Præfat. ad Vit. S. Arialdi nu. 4.* facit dicti Chronici auctorem; cui ſubſcribit Petrus Paulus Boſca in *Martyrolog. Mediol. ad diem 5. Maij.* Probat verò Puricellus primò *d. cap. 39. n. 13. & 14.* quia Chronica Datij pertingunt ad tempora Gregorij Papæ VII. qui de ann. 1073. electus Pontifex de 1085. deceſſit. Et quod pertingant, ex eo deducit, quod in Chronico *Flos Florum fol. 133. pag. 1.* citentur Chronica Datij quoad geſta ſub eo Pontifice. Item Gualuaneus Flamma *cap. 789.* ex eiſdem Datij Chronicis præfati Gregorij electionem, carcerationemque deſcribat, nec amplius ſubſequentibus capitulis nominetur Datius. Vndè infert, Datij Chronicon non eſſe S. Datij Archiepiſcopi, qui de 552. vel 555. è viuis exceſſit vel 553. vt tenet, & eruditiſſimè probat V. C. Henricus Noris *Diſſert. Hiſtor. de Quint. Synod. cap. 6.*

475 Secundò *eod. nu.* 14. quia laudatus Gualuaneus Flamma apertiſſimè Datium Chronici auctorem à S. Datio Archiepiſcopo diſtinguit *cap.* 468. Sed quia fundamentum diſtinctionis non adducit, libet Flammæ verba referre, quæ ſunt: *Chriſti anno VXXXVIII. eminente in Vrbe Roma B. Vigilio Papa, Imperatore Iuſtiniano legislatore in Conſtantinopolin Beatus Datius Archiepiſcopus Mediolani ſedit annis XXII. Iſto tempore apud Conſtantinopolim Sexta Synodus Vniuerſalis celebrata fuit; Ad quam, cum cauſa tuendæ fidei pergeret B. Datius, peruenit Corinthum ad quoddam hoſpitium, vbi Dæmones rugientes habitabant, & hoſpitium inhabitabile reddiderunt. Sed ad ingreſſum*

B. Da-

*B. Datij Archiepiſcopi omnes Dæmones fugerunt. Cum autem perueniſſet Conſtantinopolim condemnatus eſt Theodorus, qui negabat B. Virginem eſſe Matrem Dei. Hæc Chronica Datij, & Gregorius in Dialogo.* Et ex his vult Puricellus apertiſſimè à Flamma Datium Chronici auctorem à S. Datio Archiepiſcopo diſtinctum. Quod diſtinctionis argumentum iam propoſuerat in *Monument. Baſilic. Ambroſian. num.* 198. eamdem diſtinctionem inter præfatos Datios deducens, ex eo quod idem Flamma *cap.* 235. ex Chronico Datij referat legationem, quam Arnulphus Archiepiſcopus Conſtantinopolim nomine Othonis Tertij de 1002. ſuſceperat. Sed hæc ſecunda obſeruatio, cum nihil ſpeciale contineat, niſi quod in Datij Chronico legantur aliqua S. Datio Archiepiſcopo poſteriora, coincidunt cum primo argumento.

476 Tertiò, quia nec à Gualuaneo Flamma, nec ab Auctore Chronici *Flos Florum*, nec in *cit. Proceſſu* Datius, qui ab ipſis adducitur, vel Sancti, vel Archiepiſcopi titulo inſcribitur; quo fit, vt Auctor Chronici ſit alius à S. Datio. Et ſi repetatur, in Hiſtoria Landulphi ſenioris *lib.* 1. (de qua iam *num.* 467. & 468.) trium Capitulorum titulos cum præfata ſpecificatione reperiri; nempe ſecundum ſic: *Expoſitio Ordinum S. Ambroſij edita à S. memoriæ Datio Epiſcopo Mediolanenſi*; duodecimum ſic: *De Chriſmon S. Ambroſij ſecundum Datium Archiepiſcopum Mediolani*; & tertiumdecimum ità: *De Crucis antiphona ſecundum Datium Epiſcopum Mediolani*. Reſpondet *d. nu.* 13. ſe exiſtimare, hoc additamentum *Antiſtitis noſtri Datij* fuiſſe adſcriptum non ab ipſo Landulpho, ſed ab aliquo potius Amanuenſi, *qui póſt longa temporum ſpatia eas ipſius hiſtorias exſcripſerit, ignarus, quale cæteroqui fuerit Chronicon Datij, quantoque tempore res geſtas comprehenderit, cum aliòqui non alium fortaſsè Datium alicuius litteraturæ, ac famæ cognouiſſet, quam Sanctum illum Antiſtitem; à quo etiam fortaſsè conſcriptum aliquod fuiſſe opus hiſtoricum, ſiuè relationes aliquandò legiſſet, vel audiuiſſet, vt propterea tanto facilius ei adſcribere potuerit earum narrationem rerum, quæ ad S. Ambroſij tempora pertinebant.* Hæc Puricellus, alterum inferens extitiſſe Datium, qui de 1080. circiter Chronica ſcripſerit.

477 An verò per hæc alter hic Datius probetur, iudicent eruditi. Mihi ſaltem videtur, quod non, cum, vt opponit Raynaud. *d. Erotem.* 10. *n.* 189. quis fuerit, non oſtendat, nec, addo ego, ab alio vllo hoc afferatur: quin potius è contra, vbi Datij Hiſtoria, vel Annales ab aliquibus allegantur, de S. Datij Hiſtoria, & Annalibus interpretati ſunt Carolus à Baſilica Petri, & Vicecomes, vt *num.* 465. vidimus; quo benè perſpicitur, alterum Datium, vt qui in rerum natura non fuerit, illis omninò incognitum.

478 Nec intentum euincit ex his, quæ adducit primò; quod ſcilicet Datianum Chronicon à ſupradictis allegatum Gregorij VII. tempora pertin-

gat, quæ S. Datio, qui de 552. vel 555. eſſe deſijt, longè poſteriora ſunt; quia facilè reſpondetur (ſicut & argumento ab Arnulphi legatione de 1002. deſumpto, & omnibus alijs, quæ S. Datio poſteriora ex Datij Chronico adducunt Flamma, & Chronici *Flos Florum* Auctor) hinc ad ſummum probari ea, quæ S. Datij Archiepiſcopi tempora ſubſequuntur, fuiſſe addita eiuſdem S. Datij Chronico, quæ ideò Datiani Chronici nomen retinuerunt; nunquam verò probari, hunc alterum Datium extitiſſe. Nouum fortè erit, quod opuſcula aliqua ex aliorum additionibus, eodem primi Auctoris retento nomine creuerint? Videantur quæ de hymnis ex S. Ambroſij nomine Ambroſianorum appellatione nuncupatis dicta ſunt *num.*448. etſi non omnes a S. Ambroſio compoſiti. Ritus ipſi Mediolanenſis Eccleſiæ Ambroſiani ad huc vocantur, etſi non omnes à S. Ambroſio, vt Ioſeph Vicecomes de *Miſs. Ritib. lib.*2. *cap.* 12. obſeruat; ſed & à ſubſequentibus Archiepiſcopis quamplures vel additi, vel exornati. Et, vt cætera taceam, Calepinum exhibeo, cuius operis augmentum non eſt qui non videat non mutato Calepini nomine. Sed audiatur Labbeus de *Scriptorib. Eccleſ. tom.* 1. *verb. Iuſtinus. pag. m.* 669. *Illi verò accidit* (de Iuſtini Martyris operibus loquitur) *quod huiuſmodi libris ſolet euenire, vt ab Amanuenſibus, aut viris etiam eruditis, ſed ætate poſterioribus, multa conſimilia hinc indè collecta inſerantur.* Et quot huiuſmodi exempla? Longior nimis eſſem, ſi omnia huiuſmodi referre vellem, Et cur non idem S. Datij Chronico potuit accidiſſe?

479 Neque ex ſecunda probatione, quia non apparet ſuppoſita Gualuanei Flammæ inter vtroſque Datios diſtinctio. Vel enim eam prætendit Puricellus ex eo, quod ibi narrentur acta per S. Datium Mediolanen. Epiſcopum, vel ex Beati titulo, qui ibi legitur, cum non ſit credibile, S. Datium de ſe ſcribentem, Beati honorem ſibi arrogare voluiſſe; & ideò non eiuſdem S. Datij Chronicon fuiſſe, ſed alterius Datij non Epiſcopi, qui Datij Epiſcopi & cum Beati appellatione acta deſcripſerit? Si primum; & quarè non potuit de ſe, quod ſibi acciderat adnotare, & ſcribere S. Datius? Et quot de ſe ipſis alij Sancti ſcripſerunt, & de ipſis in hiſtorijs retulerunt Hiſtorici? Solus qui eos non legerit, id negare poterit. Si ſecundum; Et quomodò probatur, Beati denominationem ex Chronico Datij deſumptam: non verò à Gualuaneo Flamma in tranſcribenda ex Chronico hiſtoria ſuperadditam fuiſſe? Hoc mihi videtur certiſſimum, cum mihi conſtet per Gualuaneum Fammam ibi ſaltem non verba Chronici, ſed ſenſum tantummodò deſumptum; in fine ſiquidem addit: *Hæc Chronica Datij, & Gregorius in Dialogo;* Et tamen verba Gregorij non ſunt, quæ in Flamma leguntur, vt patet conferenti cum S. Gregorio *Dialog. lib.* 3. *cap.* 4. Et ideò ſenſus eſt, ea eſſe ex S. Gregorio excerpta. Idem reſpectu Chronici dicendum, ſeù ea non eſſe verba Chronici, ſed ſenſum extractum è Datij

Chro-

Chronico. Et cum verba Gualuanei Flammæ non ſint verba Chronici, neque dici poteſt titulus Beati ex eodem Chronico deſumptus.

480 Vel, & fortè verius: Duo ibi à Flamma de S. Datio narrantur; & quod illi accidit cum Dæmonibus in eo apud Corinthum hoſpitio, & eius ad ſynodum Conſtantinopolitanam acceſſus, à qua condemnatus Theodorus &c. quorum vnum tantum, nempè cum Dęmone altercationem refert S. Gregorius; cętera non. Et cum Gualuaneus citet Chronicum Datij, & S. Gregorium, ſignum eſt, quod ab vtroque aliquid ſumpſerit; à S. inquam Gregorio, quod ipſe de S. Datio refert, nempè ea, quæ egit cum Dæmonibus; & à S. Datio, quæ S. Gregorius ibi non habet, nempè eius acceſſum ad Synodum (& cur non potuit hoc deſcribere S. Datius?) & Theodori damnationem. Et hoc poſito, quod fundamentum remanet diſtinguendi Datium auctorem Chronici à S. Datio ipſo? Extat inſuper in Bibliotheca Ambroſiana Catalogus Epiſcoporum Mediolanenſium M.S. perantiquus ſub *litt. A. num. 98. verb. Datius*, in quo hæc leguntur: *Hic Datius, vt narrat Chronica ſua, dum Conſtantinopolim iret, Corinthum venit &c. vtſupr.* In quibus duo adnotanda; & hoc factum expulſionis Dæmonum narrari de Datio Archiepiſcopo ſinè Beati titulo, & vtique in *Chronica ſua*. Vndè videtur neceſſariò inferendum, à S. Datio ea de ſe ſcripta in ſua Chronica, & Beati titulum à Flamma ſuperadditum; adeòque funditus corruere fundamentum diſtinguendi à S. Datio Epiſcopo Chronici Datiani Auctorem.

481 Nec item ex tertia, quod ſcilicet nec Sanctus, nec Epiſcopus à laudatis Scriptoribus nuncupetur Chronici Auctor Datius; quià negatiuum argumentum eſt, ſiuè nullius roboris; & fortaſsè non addita Sancti, vel Epiſcopi inſcriptio, quia non habita pro neceſſaria; aut quià non omnia in eo Chronico contenta, ſcilicet poſt S. Datium, vt diximus ſuperaddita, ipſi reuera tribuenda, licet ſub eodem Datiano nomine ob continuationem cum S. Datij Chronico comprehenſa. Etiam Bernardinus Corius *part. 1. Hiſt. Mediol.* Datium adducit nullo Epiſcopi, aut Sancti elogio adiecto; & tamen loquitur de S. Datio Mediolanenſium Antiſtite; quod in Carolo à Baſilica Petri obſeruauimus *num. 465*. Vndè ex tituli Sancti, aut Epiſcopi deficientia nulla vis argumento. Et pro verificando, illud Chronicon S. Datij fuiſſe ſatis eſt, quod Landulphus, qui de 1080. ſeù per 300. annos antè Gualuaneum Flammam ſcribebat, in primo ſuarum Hiſtoriarum libro prædictis tribus capitibus ex Datij Chronico excerptis, *Datij Mediolanenſis Epiſcopi* titulum inſcripſerit, vt vidimus. Et illud quod Puricellus reponit, hæc eſſe Amanuenſis additamenta, qui poſt longa temporum ſpatia eas hiſtorias exſcribens S. Datio narrationes illas adſcripſerit, & videtur gratis dictum, cum deficiente eo Datij Chronico non poſſit per collationem cum illo hæc Amanuenſis additio verificari; & item ſubſiſtere

non poteſt, tum quia nihil in illis tribus capitibus, quod S. Datium vel dedeceat, vel illi repugnet; tum quia eadem capita ſub eodem Datij Epiſcopi titulo leguntur in altero Codice antiquo *ſub num. 999.* in Biblioth. Capituli Metropolitan. Mediol. aſſeruato, cui hæc inſcriptio *Liber Yſloriógſſus. I. ſuper Archiepiſcopum, ac Clerum, & Laicos Mediolanenſium*; nempè *lib. 1. fol. 3. pag. 2.* ſic: *Expoſitio Ordinum S. Ambroſij edita à S. memoriæ Datio Epiſcopo*. Item *fol. 8. pag. 2.* ità: *De Chriſmon S. Ambroſij à Datio Epiſcopo Mediolani*. Item *fol. 9. pag. 2.* pariter *de Crucis Antiphona à Datio*. Vndè non ex illius Amanuenſis arbitrio, de quo Puricellus, ſed ex rei veritate ab ipſo Landulpho S. Datio dignoſcuntur adſcripta, & à S. Datio excerpta; Et tum etiam, quia hoc Puricelli ſuppoſitum omninò nullum eſt. Et ſic oſtendo.

482 Codex Landulphi, in quo ea tria capita S. Datio Epiſcopo adſcripta leguntur, & quo vſus eſt ipſe Puricellus, eſt codex manuſcriptus in Charta pergamena in Bibliotheca eiuſd. Capituli Metropolitani aſſeruatus. Sic ipſe Puricellus in *Diſſertat. Nazarian. cap. 37. num. 8. & cap. 39. n. 13. & 21.* & in *Vit. S. Arialdi lib. 1. cap. 2. num. 3.* Quique Landulphus ſcribebat de 1080. circiter per eumd. Puricellum. *ibid.* & paulò poſt Datium illum à ſe excogitatum, quem *d. cap. 39. num. 10.* pariter de 1080. ſcripſiſſe vult. Codicem autem hunc Landulphi in Charta pergamena ſexcentum antiquitatis annos præſeferre conſtat ex relatione Antonij Mariæ Puſterlæ Bibliothecarij apud Mabillonium in *Analect. t. 1. pag. 4.* per hæc verba: *Ad primum quæſitum, reſponſum* (ſeù à d. Bibliothecario) *hoc Chronicum conſcriptum in pergamena eſſe annorum ſexcentorum, eiuſque notæ, qualem ætas illa ferebat Longobardorum dominatui proxima*; Et quod ibi ſermo ſit de Hiſtoria Landulphi ſequitur enarrare *pag. 5.* prout ſuprà *num. 468.* Si ergò Landulphus de 1080. ſcribebat, & codex hic Landulphi ſexcentum eſt ab hinc annis (ſeù ante annum 1675. quo Analecta illa impreſſa ſunt) conſcriptus, vtique conſcriptus eſt, vel ab ipſo Landulpho, vel ab alio eiſdem, vel valdè propè Landulphum temporibus. Quomodò ergò ſubſiſtere poſſunt, quæ profert Puricellus, Amanuenſem, ſcilicet, poſt longa tempora Landulphi hiſtorias exſcribentem ea capita S. Datio adſcripſiſſe? Etſi Datius à Puricello excogitatus de 1080. ſcribebat, & Landulphi codex eſt, vt ex eius ſexcentenaria antiquitate vidimus, eiſdem temporibus, vel valdè propè conſcriptus, quomodò Amanuenſis Landulpho, & huic Datio contemporaneus potuit huius Datij notitiam non habere, vt audito Datio, quæ ſcribebat S. Datio qui per 500. annos, & vltrà deceſſerat, affigeret?

483 Nullatenus ergò probatur hic alter Datius; & cum apud alios ex his, quos videre potuerim (vno excepto Philippo Picinello in *Athæneo Litterator. Mediolanen. verb. Datius Chroniſta pag. 161.* cuius tamen aſſertio vim non facit, cum ex ore Puricelli, quem ibi citat, loquatur) vlla nec eius,

nec temporis, quo, & quod vixerit, nec quis fuerit, mentio legatur, ſuppoſitus mihi videtur. Vndè quod Datij Chronicon laudatum vidimus, & quod indè extitiſſe dicere cogimur, S. Datij Archiepiſcopi fuiſſe, non eſt cur negemus: quin reuera eſſe ſi non poſitiuè, & euidenter, probabiliſſimè ſaltem colligere poſſumus.

## §. XI.

### *Probatur iterùm S. Datius Chronici auctor.*

484 SAnctum Datium Mediolanenſem Epiſcopum hiſtorias ſcripſiſſe nullum dubium; de eo enim Paulus Diaconus (qui teſte Trithemio de *Scriptor. Eccleſ.* de 780. claruit) *hiſtoriar. lib. 16. in Biblioth. PP. tom. 13.* ſic habet: *Tanta ſiquidem per vniuerſum Mundum eo anno, maximèque apud Liguriam fames excreuerat, vt ſicut vir Beatiſſimus Datius Mediolanenſis Antiſtes retulit, pleræque Matres infelicium natorum comederent membra.* Quod & præſtat Anaſtaſius Bibliothecarius (qui per Labbeum de *Scriptor. Eccleſ. tom. 1. verb. Anaſtaſius Biblioth.* vſque ad 886. vixit) *in Vit. Pontific. in S. Siluerio*, dicens: *Eodem tempore tanta fames fuit per vniuerſum mundum, vt Datius Epiſcopus Ciuitatis Mediolanenſis relatione ſua hoc euidenter narrauerit, quod in partibus Liguriæ &c.* De qua pariter fame loquentes Ioannes Olaus in *Hiſtor. Gothor. lib. 11. cap. 23.* Erycius Puteanus *Hiſtor. Inſubr. in Comment. pag. 84. num. 9.* Antonius Sabellicus *Ennead. 8. lib. 3.* Sigonius de *Imper. Occident. lib. 18.* Gaſpar Bugatus in ſua *Hiſtor. vniuerſ. lib. 2. pag. 121.* Datium Mediolani Epiſcopum adducunt auctorem: *Scribit Datius Mediolanenſis Antiſtes.* Ex quo liquidò conſtat, opus aliquod hiſtoricum ab eo compoſitum; & quarè non Chronicon?

485 Adducit Puricellus *d. cap. 39. num. 11.* Ioannem Bollandum *tom. 1. Act. Sanctor. in Vit. S. Datij ad 14. Ianuar. §. 1. num. 3.* de hiſce Datij ſcriptis ſic loquentem: *Poſſint tamen hæ relationes videri fortaſſis Epiſtolicæ narrationes*, quaſi Bollandus non ſentiat Chronicon ab eo formatum. Sed hanc Bollandi mentem fuiſſe non credo, cum talis aſſertionis non appareat fundamentum; vel ſaltem ex eo, quod Paulus Diaconus, & Anaſtaſius Bibliothecarius his verbis *refert, relatione ſua* vſi fuerint, non ſequitur, S. Datij ſcripta epiſtolicas narrationes fuiſſe, & non hiſtorias, aut Chronicon; nihil enim in libris, dum allegantur Auctores, his loquendi modis frequentius *refert Plinius; ex relatione Barony*, & ſimilibus; nec tamen dicendum epiſtolicas narrationes, & non hiſtorias, aut Chronica ab ipſis conſcripta.

486 Et quidem ità plures de S. Datio ſcribentes habeo, ſeù ſpecifican-

tes ea, quæ cum Olao, Sigonio, & alijs à S. Datio conſcripta diximus; hiſtorias, vel annales fuiſſe. Et in primis (quorum non ſpernenda authoritas) Catalogum Succeſſorum S. Barnabæ in Eccleſia Mediolanenſ. ex Bibliotheca Vaticana M.S. olim Cardinalis Syrleti à Ioan. de Deis, & poſteà ab Eugenio Cattaneo edit. *num.* 28. ibi: *Datius ſcripſit hiſtoriam ſui temporis, & vitas Prædeceſſorum ſuorum*. Et Acta Mediolanenſ. Eccleſiæ *part.* 6. *Tabell.* 1. *Archiepiſcopor. num.* 19. vbi de S. Datio ſic legitur: *Annalium libros ſcripſit*. Inſuper Erycium Puteanum *d. Commentar. pag.* 80. *num.* 5. Petrum Galeſinum in *not. ad Martyrolog. Tertiò Non. May. verb. Conuerſio S. Auguſtini*. Paulum Morigiam *Hiſt. Nobilit. Mediol. lib.* 1. *cap.* 9. & *lib.* 3. *cap.* 1. & *cap.* 6. & *Hiſtor. Mediol. lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 308. Ioannem Franciſcum Beſutium *Hiſtor. Pontifical. Mediolan. ad ann.* 539. Philippum Picinellum *loc. cit. verb. S. Datius*. Saluatorem Vitalem in *Theatr. Triumphal. Mediol. Cament.* 24. *pag.* 27. omnes ſuorum temporum annales, vel hiſtorias à S. Datio conſcriptas aſſerentes, & vlterius ſuorum Prædeceſſorum vitas, vt Morigia, Picinellus, & Vitalis, qui & Chronici meminit: *Vitaſque omnium Antiſtitum Chronicum*; & Ferdinandum Vghellum *tom.* 4. *Ital. ſacr. Mediolanen. Archiepiſ. nu.* 30. vbi præfatas relationes *Annalium* titulo nuncupat. Etſi hiſtorias, ſeù annales eum conſcripſiſſe habemus, quarè, repeto modo, Chronicon eſſe non potuerunt? Facienda ne vis in verbo? Sed & hoc admittit, qui pro pluribus ſufficit, Ioannes Mabillon, dum in *Tract. de Azymo cap.* 6. eos, qui S. Datij Chronicon non citatum euulgant redarguens, ſic præfatas relationes (de quibus Bollandus) Chronicon intelligit, & appellat: *Poſterius indè refellitur, quod Chronicon iſtud ſub nomine Datij citatum videatur tum apud Paulum Diaconum in Hiſtoria Miſcellæ lib. XVI. tum apud vulgatum Anaſtaſium de Geſt. Pontificum in Silverio Papa, vbi tempore huius Pontificis fames ingens ſeuijſſe memoratur ex relatione Datij Epiſcopi Mediolanenſis*.

487 Et ità mihi ſuadeo, ſeù opus hiſtoricum à S. Datio conſcriptum, & vtique ſub Chronici nomine. Et moueor primò ex tot Doctorum *ſupr. num.* 457. & in præſenti §. laudatorum ſenſu, quibus addendus Io: Gerardus Voſſius de *Hiſtoric. latin. lib.* 2. *cap.* 19. qui ſic: *Datius Chronici ſcriptor Epiſcopus Mediolanenſis*; credere enim nequeo, tot claros, eruditoſque viros ſine fundamento locutos. Secundò, quia Chronicon Datij extitiſſe non eſt, me iudice, dubium per ea, quæ *num.* 473. dicta ſunt; & cum non probetur alterum Datium reuera extitiſſe, niſi per deductiones, & valdè debiles, remanet illud S. Datij fuiſſe, modo tamen infrà explicando. Tertiò, quia cum tria capita ſupradicta, ſcilicet 2. 12. & 13. quæ in Landulphi ſenioris hiſtoria *lib.* 1. continentur, ſint penè ad verbum (ſic teſtatur Puricellus *cit. cap.* 39. *num.* 13.) è Datij Chronico exſcripta, & S. Datio Archiepiſcopo adſcripta, *in quorum titulis eadem Archiepiſcopo noſtro Datio adſcribuntur*,

benè

benè arguitur, & Datij Chronicon reuera aliud fuiſſe ab Hiſtoria Landulphi (cui modò inſcriptio *Chronica Datij*) & Landulphum ipſum habuiſſe illud Chronicon pro S. Datij Chronico; vndè ſuæ hiſtoriæ ea inſerens, eiſdem S. Datij Mediolanenſis Epiſcopi titulum appoſuit. Quartò quia Gualuaneus Flamma, qui toties Datij Chronico vtitur *cap. 229. ſui Chronic. maior.* vbi de S. Anatalone ex varijs ſcriptoribus (eorum verba referens) plura dicit, inter alia hæc ex Datio deſumpta addit: *Chronica Datij. Anataleon B. Barnabæ fideliſſimus, prout in Annalibus noſtris, &c.* clarè ſiquidem hinc apparet, eum Datium ſcripſiſſe Chronicon, qui & Annales; adeòque Chronicon illud eſſe S. Datij, quem annales ſcripſiſſe iam ſtabiliuimus. Quintò, quia cum in eo Epiſcoporum Mediolanenſium Catalogi *verb. Datius* codice M. S. & ſatis antiquo charactere, de quo *num.* 480. hæc leguntur: *Hic Datius, vt narrat Chronica ſua, &c.* non eſt dubium, quin ab antiquis ſcriptoribus habitus, adeòque & fuerit eius Chronici auctor S. Datius.

488 Colligo ergò S. Datij Chronicon reuerà extitiſſe; hoc tamen modo. A Sancto Datio quidem quoad ea ſui temporis reuera compoſitum; non nulla tamen ex ſubſequentibus ætatibus addita; complexum ſcilicet Datij Chronicon, & quæ à S. Datio conſcripta, & poſteriorum additamenta; & omnia ſub eodem Datij nomine, partim propriè, vt ab eo conſcripta, partim denominatiuè, quia illi adiuncta. Nec vereor, cum non deſint exempla, vt *num.* 478. dictum eſt: Quin hanc eamdem opinionem tenuerit prius & ipſe Puricellus in *Monument. Eccleſ. Ambroſian. nu.* 300. *pag.* 514. aſſerens S. Datij Chronicon conſiſtendum *intrà ea tempora, quorum ipſe hiſtoriam texere potuerit*; licet additionem ab altero eiuſdem nominis Datio factam velit: *Alterum poſteà Datium in poſteriora tempora proſecutum fuiſſe hiſtoriam, quam Sanctus ille nominis eiuſdem Archiepiſcopus incæpiſſet, ac fortaſsè in æuum quoque ſuum protraxiſſet.* Cuius tamen rei (cum diuinare hoc potius ſit, quam rem certam aſſerere) fides penes ipſum. Nec nobis curandum de eius nomine, qui S. Datij hiſtoriam proſecutus eſt, dummodò ſtet Chronicon, ſeù hiſtoriam ab eodem Archiepiſcopo, vſque ad ſua tempora fuiſſe contextam. Quod eſt, quod inquirimus, & ad rem noſtram ſufficit; ea enim ſemel admiſſa remouetur omnis dubietas, quoad eius relationem de Hymno *Te Deum laudamus*, cum ſit ex his, quæ vt potè ipſum antecedentia potuit per ſcripturam communicare poſteritati.

## §. XII.

### *Aliæ pro eodem coniecturæ.*

489 TRia adhuc dictis addenda. Primò, Sermo S. Ambroſij 92., qui eſt de *S. Auguſtini Baptiſmo*; ibi enim clarè legitur hymnus ab vtroque decantatus: *In quo vnà nobiſcum diuino inſtinctu hymnum cantauimus de Chriſti fide*; qui ſanè ſpernendus non eſt; nam etſi non S. Ambroſij fuiſſe concedatur (quod tamen non admitto tum ex dictis in *Quodlibet. Regular. n.61.* tum ex eo, quod mihi incredibile omninò ſit, Sanctum Ambroſium, qui de tot alijs ad populum Sermocinatus eſt, de Auguſtini baptiſmo, ob quem tota exultauit non Vrbs Mediolanenſis tantùm, ſed Eccleſia, non fuiſſe eidem populo allocutum) ex antiquitate tamen non leuem trahit auctoritatem; & argumentum non exiguum eſt ad probandam antiquam de hymni illius origine, & ab vtroque Sancto compoſiti opinionem.

490 Secundò, in quodam Pſalterio, ſeù Pſalmorum Dauidis codice litteris aureis M. S. & a Carolo Magno anno DCCLXXII. Adriano I. Summo Pontifici dono miſſo, qui poſtea ab eodem Adriano S. Vuillehado primo Eccleſiæ Bremenſis Epiſcopo de anno 788. donatus, in ead. Eccleſia ſæculorum octo, & vltrà ſpatio aſſeruatus, modò verò in Bibliotheca Cæſarea (teſte eruditiſſimo Lambecio *tom.2. Comment. ad eamd. Biblioth. lib. 2. cap.5. pag.294. poſt n.150.*) cuſtoditur, hymnum *Te Deum laudamus* ſub titulo hymni *Sanctorum Ambroſij & Auguſtini* reperiri. Sic enim Lambecius ipſe ibi: *Finito igitur ipſo Pſalterij Dauidici contextu, ſequitur deindè Appendix, qua continetur* I. *Canticum Iſaiæ Prophetæ: Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, &c.* II. *Canticum Hannæ: Exultauit cor meum in Domino, & exultatum eſt &c.* III. *Canticum Moyſis: Cantemus Domino; glorioſè enim &c.* IV. *Canticum Habacuc Prophetæ: Domine audiui auditionem tuam, & timui, &c.* V. *Canticum Moyſis: Audite cæli, quæ loquor, &c.* VI. *Hymnus trium puerorum: Benedicite omnia opera Domini &c.* VII. *Hymnus, quem Sanctus Ambroſius, & S. Auguſtinus inuicem condiderunt, Te Deum laudamus.* VIII. *Canticum Zachariæ Prophetæ: Benedictus Dominus Deus Iſrael, &c.* IX. *Canticum S. Mariæ: Magnificat anima mea Dominum, &c.* X. *Canticum Simeonis: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, &c.* XI. *Oratio Dominica: Pater noſter, &c.* XII. *Symbolum Sanctorum Apoſtolorum: Credo in Deum, &c.* XIII. *Fides S. Athanaſij Epiſcopi Alexandrini: Quicunque vult ſaluus eſſe, &c.* Hæc Lambecius, qui enarrare proſequitur, eum Codicem a Carolo Magno de 772. Adriano Papæ I. cauſa legationis, quàm ipſe Carolus Romam,

mam, vt ei recenter electo congratularetur, direxit, dono miſſum, per aliquot annos in Bibliotheca cubiculari eiuſdem Adriani permanſiſſe; ab eoque de 788. d. S. Vuillehado Eccleſiæ Bremenſis primo Epiſcopo donatũ, ibique per octo integra ſæcula, & amplius tamquam Reliquiam veneratum vſque ad defectionem illius Vrbis a fide, vt ex publicis ſcripturis, quas ibidem affert.

491 Et tertiò ab ipſo etiam Albino Flacco, ſiuè Alcuino, qui eiuſdem Caroli Magni Magiſter fuit, huius hymni auctores habitos Ambroſium, & Auguſtinum, iuxta fidem Ioannis Balei Angli *Centur. II. Scriptorum Britaniæ*; ibi enim Flacci Albini opuſcula enumerans, ſic habet: *Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolorum, & Canticum Ambroſij, & Auguſtini carmine edidit, cum alijs adhuc multis*, vt in *Collect. Teſt. de B. Alchuino Abbate* poſt eius Vitam in initio Operum eiuſdem Alchuini per Andream Quercetanum editorum *Lutet. Pariſ.* 1617.

492 Ex quibus; ſi illis temporibus hæc erat de præfati hymni auctoribus ſententia, iterum à S. Datio eam exiſtiſſe, & deſumptam eſſe conijcio; Cum namque putandum non ſit, ſine fundamento antiquis illis Caroli Magni, & Albini Flacci temporibus, & S. Datio proximioribus *Te Deum laudamus* hymnum SS. Ambroſij, & Auguſtini inſcriptum, & habitum fuiſſe, veriſimile mihi omninò eſt, quod tunc extiterit eius Chronicon, & ex eo tunc talis notitia deſumpta; prout & ſapientiſſimus Io. Mabillon *d. cap. 6. de Azimo*, ex hoc Caroli Magni Pſalterio ſufficienter ſic inſinuat: *Hinc apparet, perſuaſionem de Auctoribus iſtius Cantici* (ſcilicet Ambroſio, & Auguſtino) *non eſſe admodum nouam, & recentem: ſed aut ipſius Datij tempore, aut paulò poſt receptam*. Adeòque, vt rem concludam, ex his, & hucuſque dictis, ſufficienter verificatum S. Datij Chronicon, cum (præter adducta in *Quodlib. Regul. n.* 507.) in rebus antiquis, *de quibus vera, & certa ſcientia haberi non poteſt, ſufficiat veritati appropinquare*, vt ex Hugone de S. Vict. in *Elucidator. cap.* 18. & Liuio *lib.* 5. *Decad.* 1. contra curioſos *recentiores delicatioris ſtomachi, & palati, quam cæteri, qui vellent omnia lucidè comprobata, ac ſi forent Ectypa Codicis*, obſeruat Saluator Vitalis in *Theatr. Triumphal. Mediol. ad ann. Chriſt.* 34. *nu.* 4. *pag.* 201. Vndè ſequitur, nullum eſſe fundamentum denegandi a SS. Ambroſio, & Auguſtino compoſitum hymnum *Te Deum laudamus* iuxta allatam à S. Datio relationem.

## §. XIII.

### *Eiuſdem hymni Auctores confirmantur SS. Ambroſius, & Auguſtinus.*

493 CÆterum non ità initimur S. Datij Chronico, vt ipſo non ſubſiſtente excludantur Ambroſius, & Auguſtinus ab eius hymni compoſitione; vt enim cum Puricello adnotauimus *num.* 461. vana eſſet talis illatio. Quarè dato, & non conceſſo, quod S. Datij Chronicon chimericum ſit; & quod illud, quod Datij dicitur, non illius Sancti Epiſcoſpi, ſed alterius Datij fuerit: quin etiam, quod nullum aliud Datij Chronicon extiterit, quam quod modò Datij Chronici titulum portat, ſeù Hiſtoria Landulphi ſenioris eo ſuppoſito *Chronica Datij Archiepiſcopi nuncupata* titulo; cum tamen tam in Chronico, quod alterius Datij dicitur, quam in hac Landulphi hiſtoria eodem teſte Puricello *d. cap.* 39. *num.* 21. legantur, quæ de hymni *Te Deum laudamus* auctoribus Ambroſio, & Auguſtino ex S. Datio dedimus *num.* 455. hoc ſatis eſt, vt quam rationabiliter poſſint illi pro auctoribus haberi, cum ſupponendum ſit, id ex antiquis monumentis ab eo altero Datio, & Landulpho acceptum, prout idem Mabillonius *ibid. cap.* 3. per hæc verba: *Interim noto Chronicum iſtud, etſi recentioris ſit Auctoris* (ſeu poſt S. Datium) *non tamen continuò reicienda eſſe, quæcumque in eo leguntur, maximè ſingularia facta* (vt hoc de hymni *Te Deum laud.* origine) *quæ nonniſi ex antiquioribus monumentis accipere potuit ille quicumque eſt auctor*. Quod repetit & *cap.* 6.

494 Eſt inſuper adeò communis, & inueterata hæc opinio, vt ipſa ſufficiat etiam præciſo Datij Chronico. Et quoad antiquitatem liquet ex iam dictis *num.* 490. 491. quibus addi poteſt auctoritas tum Landulphi ſenioris, qui de 1080. ſcribebat, quandoquidem & ipſe *lib.* 1. *Hiſtoriar.* idem refert, vt modò diximus; tum Iacobi de Voragine, qui in *legend. Sanctor. cap.* 119. (vbi de S. Auguſtino) ſcribit: *In aliquibus autem libris antiquis titulus talis præponitur* (hymno ſcilicet T. D. L.) *Canticum ab Ambroſio, & Auguſtino compilatum*; Cum namque de 1290. obierit, longè antiquiorem eam ſententiam fuiſſe quiſque comprehendet; tum etiam aliorum antiquorum Scriptorum, de quibus mox. Quo verò ad communem ſenſum patet, cum non ſolum ſuprà laudati *num.* 457. Scriptores ex S. Datij Chronico eum hymnum illis attribuant: ſed abſolutè etiam eo Chronico non attento SS. Ambroſium, & Auguſtinum auctores cognoſcant, & fateantur alij quam plures.

495 Et vt à M. S. incipiamus, Landulphus ipſe ſenior, qui *loc. cit.* ea-

dem habet, quæ *num.* 455. poſita ſunt. Beroldus Scriptor Mediolanenſis, qui per Puricellum *d. Diſſert. Nazarian. cap.* 97. *num.* 1. floruit circiter ann. 1123. in cuius Codicis in Bibliotheca Capituli Metropolit. Mediol. aſſeruati principio legitur, & extenditur *Hymnus Sanctorum Confeſſorum Ambroſij, & Auguſtini de Fide Chriſtiana Te Deum laudamus*. Auctor libri antiqui inſcripti *Liber Yſtorógſſus. I. ſuper Arcniepiſcopum, ac Clerum, & Laicos Mediolanenſium*, de quo *ſupr. num.* 481. apud quem leguntur eadem, quæ *n.* 455. Gualuaneus Flamma in *Manipul. Florum cap.* 40. in Bibliotheca Ambraſiana. Auctor Chronici *Flos Florum fol.* 81. *pag.* 2. in ead. Bibliotheca. Auctor Catalogi Epiſcopor. Mediol. de quo iam ſupra *num.* 480. *verb. S. Ambroſius*, ibi: *Auguſtinum Manichæum conuertit, & baptizauit. Tunc Ambroſius Te Deum laudamus inquit, & Auguſtinus Te Dominum confitemur reſpondit; & ſic alternatim concinentes compoſuerunt*. Auctor etiam Catalogi alterius Archiepiſcoporum Mediol. in eadem Bibliotheca Ambroſiana, quem de 1438. ex vetuſtiſſimo Chronico tranſcribi fecit Michael Pizzolpaſſus, ſeù Auctor eius vetuſtiſſimi Chronici *verb. Ambroſius* ſic: *Ambroſius Te Deum laudamus incæpit, Auguſtinus Te Dominum confitemur reſpondit;* & iuxta Puricellum *d. cap.* 39. *num.* 18. Auctores omnes ſimilium Catalogorum M.S. antiquor. quos ipſe videre potuit in eadem Bibliotheca, idem ſentientes. Franciſcus item Pizzolpaſſus, qui de 1433. ad 1441. fuit Mediolanenſis Archiepiſcopus, in *Decret. de Reformat. Ambroſiani Officij M.S.* in Archiuio Monaſterij S. Ambroſij Mediolani, hæc habet: *In primis namque videmus in principio Pſalterij Ambroſiani deſcribi per ſingulas Eccleſias, & contineri illud glorioſum laudabile, & deuotiſſimum Canticum, ſeù Symbolum, quod incipit Te Deum laudamus. Opus quidem illius Sanctiſſimi Patris noſtri Ambroſij præexcellentiſſimi, & eloquentiſſimi Doctoris Eccleſiæ, ac glorioſi, ac excellentiſſimi etiam Eccleſiæ Doctoris Auguſtini in illo ſacratiſſimi ſui Baptiſmatis actu compoſitum, & alternis vicibus per illos Sanctos Patres decantatum*. De his quidem omnibus dici poteſt, quod cum Ioan. Mabillon paulò antè dictum eſt, ſeù certam fidem facere de præfati hymni auctoribus Ambroſio, & Auguſtino, cum *nonniſi ex vetuſtioribus monumentis id accipere potuerint*.

496 Quibus addendus Cardinalis Bona in memoria M.S. correctionum, quas Pſalterio Romano antiquo, quo nunc ſola Baſilica Vaticana vtitur, adhibendas adnotarat, cum adhuc eſſet Monachus, & quam per præfati D. Ciampini manus ab egregio, & ob ſuam eruditionem celebri viro Abb. Pallaggio obtinui, vbi ſic. *Corrigendi. Pag.* 27. *Quamuis hymnus Te Deum laudamus in Pſalterio M. S. Baſilicæ Vaticanæ nomen præferat S. Siſebuti, non eſt tamen recedendum ab antiqua traditione, quæ SS. Ambroſio, & Auguſtino ipſum tribuit, cum ſit communiter recepta; neque ſatis conſtat, quis fuerit ille S. Siſebutus. Ab alijs tribuitur S. Nicetio, à quibuſdam S. Abundio, vt obſeruo*

 *in*

*in meo tractatu de Diuina Pſalmodia cap.16.§.12.num.3. Delendum igitur nomen S. Siſebuti, & ſubſtituendum Sanctorum Ambroſij, & Auguſtini.*

497 Ex impreſſis verò Honorius Presbyter Auguſtodunenſis in *Specul. Eccleſ.* ſiue in *Sermon. de S. Auguſtino*. Radulphus Tungrenſ. de *Canon. obſeruant. propoſ.* 13. Iacobus de Voragin. *loc. cit.* Iodocus Clicthouæus in *Elucidator Eccleſ. part.2.in princip.* Guilelmus Durandus *lib.* 5. *Diuin. Offic. cap.*3. *num.*31. S. Antoninus Epiſcop. Florent. *Chronic. part.*2. *tit.*10.*cap.*8. §.1. Donatus Boſſius in *Chronic. Mediol.* Philippus Bergomenſ. in *Supplem. ſupplem. ad ann. Chriſt.*365. Bernardinus Corius *Hiſt. Mediol. ad ann.*387. M. Antonius Sabellicus *Ennead.*7. *lib.*9. Bernardus Zane Epiſcopus Spalaten. *Orat. habit. in Concil. Lateranen. V. fin. ſeſſ.* 1. Pamelius in *not. ad S. Cyprian. lib. de Mortalit. fin.* Paulus Morigia de *Nobilit. Mediol. lib.* 1.*cap.*12. *& Hiſtor. Mediol. lib.*2.*cap.*5. Philippus Ferrarius *Catalog. Sanctor.*28.*Auguſti.* Antonius Demochares aduerſ. Miſſoliturgic. *lib.*4.*cap.* 12.*pag.* 39. *litt.K.* Gregorius Valentianus in *Apparat ad Hymnod. SS.PP.* §. *quod Canticum.* Auctor Prolog. ad *Regul. S. P. Auguſt. poſt Turrecremat. & Smaragd. in Regul. S. Benedic. impreſſ. Colon. Agrip.* 1525. Cornelius a Lapid. in *Apocalypſ. cap.* 7.*verſ.* 12.*pag. m.* 151.*col.* 1. *litt. A.* Corolus a Baſilica Petri Epiſcopus Nouarienſis in *ſcriptis ab eo editis Nouariæ de* 1611.*pag.*178. Candidus Brognolus in *Alexiacon tom.*2.*diſp.*4.*num.*1000. Vincentius Tancredus de *Rèligion. tract.*3.*lib.*4. *diſp.*1.*num.* 9. Auguſtinus Cermellus de *Vit. S. Auguſtini cap.*43. Hieronymus Carellus *Doctrin. Sacr. Rit. Dialog.*31. Ioannes Baptiſta Villa in *Tract. ſept. Eccleſ. Mediol. in S. Ambroſ. pag.* 54. Carolus à Turre in *lib. Ritratt. di Milan. verb. Eccleſ. S. Auguſtini pag.* 183. Anacletus Siccus *Hymnod. Eccleſ. lib.*2.*cap.*5 Antonius Maria Campi *Hiſtor. Eccleſ. Placentiæ tom.* 1.*lib.*4.*ann.*388. Theophilus Raynaud *tom.*6. *in Sacr. Achatiſt. cap.*9.*pag.*516.*col.*1. Ferdinandus Vghellus *Ital. Sacr. tom.* 4.*col.*32. D. Ioſ. Hieronym. Semenzius in eleganti *Paraphras. Myſtic. d. Hymni*, Petrus Paulus Boſca in *d. Martyrolog. Mediol. Eccleſ. ad diem* 5. *Maij*. Et ne plures adducam ferè omnes ità ſentient non ſolum ex inueterata traditione Mediolanenſes, vt teſtatur Puricellus in *Monument. Baſilic. Ambroſian. nu.* 300. ſed exteri quoque, teſtibus Clicthouæo in *Elucidator. Eccleſ. lib.*2.*Cantic.* 1. Carello *loc. cit.* ibi; *Vndè ferè ab omnibus inſcribitur Canticum Sanctorum Auguſtini, & Ambroſij*; & ſignanter ipſa S. Mater Eccleſia *Te Deum laudamus* (ſic Bellarminus de *Scriptor. Eccleſ. verb. Ambroſius in not. ad tom.*5.) *in Diuinis officijs Ambroſij, & Auguſtini canticum vocat*, ſeù Romana, Ambroſiana, & Benedictina, cum in earum Breuiarijs vtrique Sancto adſcribatur. *Te Deum laudamus* (ſic Benedictus Hæftenus *Diſquiſ. Monaſt. lib.* 7. *tract.*6. *Diſq.* 8. *num.* 3.) *Ambroſio, & Auguſtino hic hymnus adſcribitur in Breuiario Romano, Ambroſiano, & Monaſtico, & alijs*, vt potè Prædicatorum, Humiliatorum, Carnotenſis Eccleſiæ in *Biblioth. Ambroſiana*, & Minorum,

vt

vt in eorum *Proceſſionali Romano impreſ. Venetijs de* 1513. inſtante F. Liberio Paderbornenſe eiuſd. Ordin. Minor. Quò circa (vt cum Puricello *d. nu.* 18. loquar) *non immeritò hæc ſententia credi poteſt Eccleſiaſticæ item traditionis teſtimonio comprobata*; adeòque nullatenus reijcienda, vt benè Lorinus in *Pſalm.* 27. *num.* 9. ſic: *Adeò receptæ traditioni propterea contradici non debet*; quem ſequuntur Hæftenus *loc. cit.* Cardin. Bona *cit. cap.* 16. §. 12. & Dominicus Magrius in *Not. Vocabul. Eccleſ. verb. Te Deum &c.* Quod certè ſi perpendiſſent aliqui, non tam faciliter ex ſolo licet ob tenuiſſimas rationes ſuſpecto S. Datij Chronico, SS. Ambroſium, & Auguſtinum præfati hymni auctores denegaſſent.

## §. XIV.

### *Tentzelij ſatisfit rationibus.*

498 EX dictis tandem apparet, quam gratis *loc. ſupr. num.* 13. hæc ſcripſerit Tentzelius: *Cæterum eamdem conſuetudinem hodiernam* (de cantu alternato loquitur) *ſeruat hymnus noſter Te Deum laudamus, quando multis in locis per duos choros decantari ſolet. Vndè forſan occaſionem arripuerunt nonnulli Ambroſio, & Auguſtino eum adſcribendi, cum Mabillonius pag.* 389. 390. *probatum dederit, Auguſtinum alternatim canendi morem in Africanam etiam Eccleſiam introduxiſſe.* Et iterum *num.* 14. vbi nimis liberè fabulam appellat hanc opinionem. *Sed quoniam intereſt fabularum etiam originem noſſe, operam dabimus, vt eam coniecturis aſſequamur. Conſtabat inter omnes, Ambroſium Græcos imitatum in cantu antiphonario, & hymnis Eccleſiaſticis; quarè nonnulli deprehendentes hymni noſtri* (Te Deum laudamus) *cum Græcis conformitatem, nec auctorem certè ſcientes, Ambroſio conuenientiſſimè adſcribi poſſe cenſuerunt; accedente in primis modo canendi, ad quem in Eccleſia mutatis vicibus, & verſibus, hoc ſymbolum alternatim decantare conſueuerunt, vt Prætorius commonuit. Fortaſsè etiam confirmati ſunt fabulæ artifices, quando apud Auguſtinum honorificam hymnorum Ambroſianorum mentionem repererunt, noſtrumque* (Te Deum &c.) *neutro indignum eſſe ſtatuerunt.*

499 Apparet, inquam, ex hucuſque dictis non exhis leuiuſculis, quæ meditatur Tentzelius SS. Ambroſio, & Auguſtino inſcriptum *Te Deum laudamus*. Sed quem Auctorem ipſe adducit? Quale huius inuentionis inditium? Quinam præfati artifices? A quo ea, quæ ſcribit, illi reuelata? Nunquid ſolus hymnus *Te Deum &c.* diſtinctis choris canitur, vel num omnia, quæ ſic cantantur, S. Ambroſio dantur, vt ideò ipſi alternati cantus in Occidentali Eccleſia auctori, debuiſſet ille hymnus attribui? Et ſi ex eo, quod in Mediolanenſem Eccleſiam cantum alternatum (de qua

re

re ſeq. Diſquiſit.) S. Ambroſius induxerit, illi dicit adſcriptum *Te Deum laudamus*, qui alternatè canitur, cur non potius adſcriptus alicui ex Orientalis Eccleſiæ Patribus, apud quos primò cantus reciprocatio inualuerat, attenta præſertim eiuſdem cum d. Eccleſiæ hymnis, quam ipſe iactat, conformitate? Cur Mediolani Ambroſio, & non Conſtantinopoli Chryſoſtomo, qui vt *n*.524.525.modo, quo & Ambroſius, hymnos cani inſtituit à Populo? Inſipienter nimis ex hoc antecedenti: *Ambroſius cantum alternatum in Mediolanenſem Eccleſiam induxit, & indè Auguſtinus in Africam tranſtulit*, deducta fuiſſet hæc conſequentia. *Ergo hymnus Te Deum laudamus, qui alternatim canitur, fuit ab illis compoſitus*. Sicut ex hoc conſimili: *Ambroſius Græcos imitatus hymnos cani inſtituit, & Auguſtinus eos laudauit*, hæc alia. *Ergo ab illis compoſitus Te Deum &c. qui cum Græcorum hymnis habet conformitatem*, quam tamen non habet, vt vidimus. Vndè tot ſapientibus, qui Ambroſium, & Auguſtinum eius hymni Auctores ſcripſerunt, vt nimis inofficioſa attendenda non eſt hæc Tentzelij ex remotiſſimis, diſparatis, & inueriſimilibus coniecturis, ne dicam fabuloſa, arbitraria excogitatio.

500 Vnum tamen eius, quod *ibid. num.* 12. proponit, ſupereſt ſub hac forma argumentum. *Quis ſibi perſuadeat, Auguſtinum in libris Confeſſionum, & Ambroſij hymnos, & eorum vim ad animos commouendos, & omnia præcipuè notatu digna in baptiſmo ſuo geſta commemorantem, id prætermiſſurum fuiſſe, quod à ſequiorum temporum Scriptoribus pro miraculo habetur, & baptiſmati ſuo ſplendorem, & Ambroſianorum canticorum efficaciæ plurimum ponderis addidiſſet? Quis hanc, ſiuè incuriam, ſiuè negligentiam Auguſtino tribueret, quod peculiare Diuinæ aſſiſtentiæ, ac bonitatis ergà ſe argumentum tam facilè memoria labi paſſus fuit, nec cæteris in Confeſſione ſua addidit; cuiuſmodi plurima in toto iſto opere recenſet, debitiſque laudibus proſequitur? Qui factum eſt, vt Poſsidius in vita Auguſtini miraculoſam hymni originem pariter conticuerit?*

501 Sed facilis eſt reſponſio. Ex negatiuo argumento nihil euinci. Vim aliquam haberet (tranſeat) ſi omnia vel ſui baptiſmi, vel ſuæ vitæ aut Auguſtinus ipſe in ſuis Confeſſionibus deſcripſiſſet, aut in eius vita Poſſidius, qui tamen nec omnia ſcire potuit, cum eius baptiſmo non interfuerit. Sed oh quot omiſſa! Negari nequit, in aliqua Eccleſia, aut in Fonte baptiſmi publico baptizatum Auguſtinum (ex quorum ignorantia non leuis apud Mediolanenſes controuerſia) & quidem a S. Ambroſio, & aliquo ſtatuto tempore, & aliquo aſſiſtente Patrino, & veſte etiam ſaltem candida, vt multis placet, indutum, coram matre Monica, copioſo adſtante populo, & tota Vrbe exultante; ac etiam in Fide confirmatum; & alia multa, vt de Fidei profeſſione, de pænitentia illi iniuncta, de pedum ablutione iuxtà morem Eccleſiæ Mediolanenſ. de quo Vicecomes de *Ritib. Baptiſm. lib.3.cap.*12. Andreas Sauſſay in *Panopl. Clerical. lib.*2. *cap.* 1. §. 5. Iacobus

Gretſe-

Gretſerus de *Pedilauio cap. 3. & 4.* Mendoza, & Gonzal. ad *Concil. Eliberitan. can.* 48. Cornel. à Lapid. in *Ioann. cap.* 13. *v.* 7. & de veſtium depoſitione, vt idem Vicecomes *ibid. lib. 4. cap.* 10. *& ſeq.* & de *Ritib. Confirmat. lib.* 1. *cap.* 15. & de alijs in baptiſmo vſitatis, & de quibus ſtrictim Ioannes Cabaſſutius in *Notit. Concil. ſæcul. II. diſſert.* 4. de quibus omnibus, nec verbum in Auguſtino, qui paucis ſyllabis *Confeſſ. lib. 9. cap.* 7. totam baptiſmi ſeriem complectitur dicens: *Et baptizati ſumus, & fugit à nobis ſollicitudo vitæ præteritæ.* Si per hæc verba intelligit Tentzelius *omnia præcipuè notatu digna in baptiſmo ſua geſta* ab Auguſtino commemorata; iam & de hymno *Te Deum &c.* mentionem in eiſdem verbis factam prætendere potero. Recordetur Tentzelius Auguſtinum *ibid. cap.* 8. dixiſſe: *Multa prætereo, quia multum feſtino;* & agnoſcet, non omnia ab Auguſtino deſcripta (vt ipſe non benè ſupponit) quæ de ſuo adnotari poterant baptiſmo; adeoque nec indè arguendum, non tunc temporis compoſitum *Te Deum laudamus,*

502 Tranſeat tandem huiuſmodi hymnum à ſequiorum temporum Scriptoribus plurimi factum; numquid propterea tunc commemorandus? Negatur; cum tunc tantummodò eo fine recitatus fuerit, vt Deo grates perſoluerentur, nullo habito ad futura reſpectu; licet ex poſt ſequentibus illum amplexa fuerit Eccleſia, & illi veneratio conciliata. Et huius hymni commemoratio parum aut ſplendoris Ambroſij canticis addidiſſet, aut ad extollendam in Auguſtinum Dei gratiam iuuaſſet; cum iam ex alijs hymnis æquè in Eccleſia receptis, ſatis æſtimata fuerint, & in dies æſtimentur Ambroſij cantica, & ſufficienter ab Auguſtino ipſo, prout *num.* 449. videre eſt, laudata; & ex ipſa Auguſtini & miris modis operata conuerſione, ab eodem in ſuis Confeſſionibus deſcripta, pro Dei miſericordiæ admiratione concilianda materia ſuppetat non parua, abſque eo quod ad huiuſmodi effectum hymni in baptiſmo decantati fuerit commemoratio neceſſaria, ſeu per Auguſtinum ipſum facienda.

Ab alijs abſtineo, quia hæc ſatis videntur pro hoc argumento; ſicut & prædicta omnia pro veritate, & in Sanctum Patrem deuotione de hoc hymno ſufficere. Et ideò

*TE DEVM LAVDAMVS.*

DIS-

# DISQUISITIO SECVNDA.

## De cantu à D. Ambroſio in Mediolanenſem Eccleſiam inducto.

*DIſquiſitioni huic viam aperit eruditiſſimus Ludouicus Thomaſſinus in ſuo nunquam ſatis laudato,* De Vet. & Nou. Eccleſiæ Diſciplina *opere. Cum namque, vbi ego & antiquam Mediolanenſis Eccleſiæ Pſalmodiam ad inſtar Alexandrinæ diù putaueram, ipſum* ibid. part. 1. lib. 2. cap. 73. *id incredibile aſſerentem comperiſſem, diſcendi ardor, & amor veritatis, ſi fortè tanti viri ſententiam amplecti daretur, rem mihi examine dignam ſuaſerunt.*

### §. I.

### *De quibus procedat dubitatio.*

503 SIc itaque ibid. *num.* 5. Thomaſſinus. Dubitari hic poteſt, an illud inſtituerit tum Ambroſius, vt qui Pſalmos antè tantum recitabant, canere iam inciperent? an vt alternis caneretur, & ab ipſo caneretur populo, cum antè vnus ceciniſſet Cantor, auſcultantibus cæteris, & orantibus, vel plures ceciniſſent cantores, non ſimul, ſed per vices? Auguſtini verba id màgis ſuadere videntur, inſtitutum tunc primò fuiſſe cantum ipſum: *Inſtitutum, vt canerentur hymni, & pſalmi*. Vix tamen adduci poſſum, vt credam in Eccleſia Latina annis penè quadringentis pſalmorum morem fuiſſe recitationem, cantum nullum, cum pſalmi ipſi cantica ſint, cum pſallere ſit canere, cum cantus, & pſallendi toties meminerit Paulus. Quod autem ait Auguſtinus, Ambroſium id inſtituiſſe ſecun-

dum morem Eccleſiarum Orientalium, de alterno ipſius populi cantu dicere videtur, quem paulò antè Diodorus, & Flauianus Antiochiæ inſtituerant. Neque enim tam multi anni interfluxere, vt eo temporis interuallo in ea re non potuerit Eccleſia Mediolanenſis ab Antiochena diſcrepare. Credibile autem nullo modo fuerit totis quadringentis annis, quos pſalmos Orientalis Eccleſia caneret; ab Occidentali eſſe dumtaxat recitatos. Paulinus Ambroſij vitæ Scriptor diſertè id inſtitutum docet ab Ambroſio, vt alternis caneretur. Hoc enim ſolum vox *Antiphonæ* & Græcis tunc, & Latinis ſonabat, ad quos è Græcis defluxit. Imò indicat Paulinus, eum morem ab Oriente profectum. Ità enim ille: *Hoc tempore primò Antiphonæ, Hymni, ac Vigiliæ in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cæperunt.* Hæc Thomaſſinus.

504 Et quidem certum eſt, aliquid circà cantum in Mediolanenſi Eccleſia à S. Ambroſio innouatum, vt ex his S. P. Auguſtini *lib. 9. Confeſſ. cap. 6. & 7.* verbis: *Quantum fleui in hymnis, & canticis tuis ſuauè ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabant indè affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & benè mihi erat cum eis. Non longè cæperat Mediolanenſis Eccleſia genus hoc conſolationis, & exhortationis celebrare magno ſtudio fratrum concinentium vocibus, & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multò amplius, cum Iuſtina Valentiniani Regis pueri mater hominem tuum Ambroſium perſequeretur hæreſis ſuæ cauſa, qua fuerat ſeducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in Eccleſia mori parata cum Epiſcopo ſuo ſeruo tuo. Tunc hymni, & pſalmi vt canerentur ſecundum morem Orientalium partium, ne populus mæroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt; & ex illo in hodiernum retentum multis iam, ac penè omnibus gregibus tuis, & per cætera Orbis imitantibus.* Sicut ex his Paulini in S. Ambroſ. Vit. *Hoc in tempore primum antiphonæ, hymni, ac vigiliæ in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cæperunt, cuius celebritatis deuotio vſque in hodiernum diem non ſolum in eadem Eccleſia, verùm per omnes penè Occidentis Prouincias manet.* Quid autem illud ſit: hoc opus, hic labor, cum varij varia ſcripſerint.

## §. II.

### *Prima ſententia de cantu alternato.*

505 ALternationem in cantu opinantur nonnulli à S. Ambroſio inductam; inter quos Polydor. Virgil. de *Rerum inuent. lib. 6. cap. 2.* Azor. *Inſtit. moral. tom. 1. lib.* 10. *cap. 7. q. 5.* Leſſius de *Iuſt. & Iur. lib. 2. cap. 27. num. 52.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 12. num.* 1. Nebridius à Mundelheim *Antiquar. Monaſt. epiſt. 65. fin.* Gauantus ad *Rubr. Breuiar. ſect. 5. cap. 8. nu. 15.* Anacletus Siccus de *Eccleſ. Hymnod. lib. 1. cap. 4.* Carolus Macignus de *Hor. Canon. cap. 59. num. 56.* Barboſ. ad *Cap. Dolentes, de Celebrat. Miſſar. num. 14.* Frances de *Cathedral. cap. 5. num. 188.* Stephanus à S. Gregorio, de *Vincul. Diuin. pietat. cap. 73. num.* 5. Nicolaus Baldellus *Theol. moral. tom. 2. lib. 2. diſp. 33. num.* 15. qui abſolutè cantus alternati in Occidentali Eccleſia auctorem faciunt S. Ambroſium.

506 Idem volunt, qui S. Ambroſium ritum canendi antiphonas à Græcis mutuatum fuiſſe ſcribunt, vt S. Iſidorus *lib. 1. de Eccl. offic. cap. 7.* ibi: *Antiphonas Græci primi compoſuerunt alternatim concinentibus, quaſi duo Seraphim, duoque teſtamenta inuicem ſibi conclamantia. Apud latinos autem primus beatiſſimus Ambroſius Antiphonas conſtituit, Græcorum exemplum imitatus.* Sigebertus in *Chron. ad ann.* 387. qui pariter ſic: *Ambroſius Epiſcopus ritum antiphonas in Eccleſia canendi primus ad Latinos tranſtulit à Græcis: apud quos hic ritus iam dudum inoluerat ex inſtituto Ignatij Antiocheni Epiſcopi, & Apoſtolorum diſcipuli, qui per viſionem in cælum raptus vidit, & audiuit quando Angeli per antiphonarum reciprocationem hymnos Sanctæ Trinitati canebant;* Quos ſequuntur Turrecremata in *Regul. S. Benedict. tract. 66.* Radulphus Tungrenſis *lib. de Canon. obſeruant. propoſ.* 12. Io: Stephanus Durant. de *Ritib. Eccleſ. lib. 3. cap. 17. nu.* 4. Antonius Demochares aduerſus Miſſoliturg. *lib. 4. cap. 12. pag. 39. E.* Thomas Valdenſis *tom. 3. tit. 2. cap. 20. num. 5.* Bellarminus *tom. 2. de Bon. oper. in partic. lib.* 1. *cap.* 14. *§. porrò vſum.* Iacobus Bayus in *Theatr. Scient. lib. 4. cap.* 12. *§. Antiphona.* Antonius Perez in *Regul. S. Benedic. ad cap. 9. num. 9.* Benedictus Hæftenus *Diſquiſit. Monaſt. lib. 7. tract. 4. diſq. 3.* Gisbertus Scheuichauius de *Eccleſiaſtic. Vit. & morib. lib.* 1. *cap. 55. §. de Antiphonis.* Petrus Halloix *Not. in cap. 5. Vit. S. Ignatij.* Dominicus Magrius in *Notitia Vocabul. Eccleſ. verb. Antiphona*; Bernardus Biſſus in *Hierurg. litt. P. num. 251. §. 20.* tenentque Iacobus Clicthoueus de *Antiphon.* & Michael Timoteus in *QQ. de Diuin. Offic. tract. 2. q. 23.* ſicut qui eumdem S. Ambroſium *canendi modum per antiphonas* inſtituiſſe declarant, vt Marcellus Francolinus de *Hor. Canonic. cap. 3. num.* 8. & Cardinal

Bona

Bona de *Diuin. Pſalmod. cap. 16. §. 9.*

507 Id autem deducunt aliqui ex eo, quod Paulinus in Vit. S. Ambroſij ſcripſerit, vt vidimus: *Hoc tempore primùm antiphonæ in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt*; ex quo poſteà id eos omnes deſumpſiſſe puto, qui antiphonas a S. Ambroſio inſtitutas tradiderunt, vt præter mox adductos, Valafridus Strabo *lib. de Reb. Eccleſ. cap. 25*. Guilelmus Durandus in *Rational. Diuin. Offic. lib. 5. cap. 2. num. 26.* Smaragdus in *Regul. S. Benedict. cap. 9.* Gauantus *ead. ſect. 5. cap. 7. num. 2.* Io: Baptiſta Rubeus in *Nou. Rational. Diuin. Offic. lib. 3. cap. 7.* & alij. Antiphona namque, ſi Græca attendatur interpretatio, *Vocem reciprocam ſignificat*, vt Amalarius de *Eccleſ. Offic. lib. 4. cap. 7.* Bellarminus *eod. cap. 14.* Gauantus *ibid. num. 1.* ſcilicet *duobus choris alternatim pſallentibus*, vt Rabanus Maurus de *Inſtit. Cleric. lib. 1. cap. 33.* quibus addunt, *ordine commutato* Smaragdus *loc. cit. fin.* ſiuè *de vno ad vnum* Albinus Flaccus *lib. de Diuin. offic. tit. de celebrat. Miſſ.* & ex laudato S. Iſidoro *lib. 6. Ethymol. cap. 19.* Tungrenſis *cit. propoſ. 12.* Io: Stephanus Durant. *d. cap. 17. num. 1.* Francolinus *eod. cap. 3. num. 20.* Lorinus in *pſal. 67. ad verſ. 18. §. Millia lætantium*. Perez *loc. ſupr.* Rubeus *cit. cap. 7.* a quibus non diſſentiunt Azorius *eod. lib. 10. cap. 15. q. 5. §. Quæres quid.* Suarez *eod. lib. 4. cap. 12.* Hugo Menardus in *Concord. Regul. cap. 23. appendic. 5. in Not.* & Card. Bona *loc. ſupr.* quod ſcilicet ſit *vox contraſonans*, quod per cantum reciprocum, & alternatum parum diſſimilibus verbis explicant. Ex his inquam, quod ſcilicet S. Ambroſius antiphonas induxerit, & quod antiphonæ alternationem ſignificent, alternatum cantum ab eo in Eccleſiam Mediolanenſem inductum opinantur multi, & ſigillatim ipſe Thomaſſinus, vt ex eius ſuprà adductis verbis; Vbi & addit, indicare Paulinum, hunc morem ab Oriente profectum; quod tamen ego perpenſis Paulini verbis nunquam deducere potui.

508 Alij verò, & non pauci, id ex S. P. Auguſtino deducere conantur, qui Sanctum Ambroſium Orientalium morem in hoc imitatum ſcripſit: *Tunc hymni, & pſalmi vt canerentur ſecundum morem Orientalium partium, ne populus mæroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt*. Quod tamen in idem recidit, cum eatenus cantus alternatus ex Orientalium more inferri poſſit, quatenus, cum antiphonæ, quas alternationem importare, & à Græcis ad Mediolanenſem Eccleſiam translatas vidimus, a Græcis ipſis fuerint primùm inuentæ, vt S. Iſidorus *d. lib. 1. de offic. Eccleſ. cap. 7.* Alcuinus *loc. ſupr.* Rabanus Maurus *ibid. lib. 2. cap. 50.* his eiſdem verbis referunt: *Antiphonas Græci primùm compoſuerunt*; ſeù, vt mox iidem explicant, cantum alternum inſtituerint, *duobus choris alternatim concinentibus*, & præter Smaragdum ad *cit. cap. 9.* ibi, *quod genus pſallendi Græcos inueniſſe traditur*, admittunt Suarez *eod. cap. 12. num. 1. fin.* Rubeus *cit. cap. 7.* & ferè omnes ſupra laudati Scriptores. Cum, inquam, hic reciprocus cantus fuerit ab ipſis

inuentus, ſupponendum omninò apud Græcos ipſos talem cantum inualuiſſe, vt apertè teſtatur Socrates, & ij ferè omnes, de quibus infrà, vbi de S. Ignatio huiuſmodi cantus auctore; & quorum loco pro nunc vnus ſufficiat S. Baſilius *epiſt.63. ad Clericos Neoceſariens*; contra enim quoſdam, qui eum arguebant, eo quod ſit *vetus apud nos immutata canendi conſuetudo,* ſic habet: *De nocte ſiquidem Populus conſurgens antelucano tempore domum precationis petit: inque labore, & tribulatione, ac lachrymis indeſinentibus facta ad Deum confeſſione, tandem ab oratione ſurgentes ad pſalmodiam inſtituuntur. Et nunc quidem in duas partes diuiſi alternis ſuccinentes pſallunt; vtque ex eo ſimul eloquiorum Dei exercitationem, ac meditationem corroborant; & cordibus ſuis attentionem, & reiectis vanis cogitationibus, mentis ſoliditatem ſuppeditant. Deindè vni ex ipſis hoc muneris dato, vt quod canendum eſt, prior ordiatur: reliqui ſuccinunt; atque ità pſalmodiæ varietate, precibuſque ſubinde interſertis noctem ſuperant. Illuceſcente iam die pariter omnes velut ore vno, ac corde vno confeſſionis pſalmum Domino offerunt, ac ſuis quiſque verbis reſcipiſcentiam profitentur. Horumgratia ſi nos fugitis, fugietis ſimul & Egyptios, fugietis Lybiam vtramque, Thebæos, Palæſtinos, Arabes, Phænices, Syros, & qui ad Euphraten habitant, & vt ſemel dicam, omnes apud quos vigiliæ, ac preces communeſque pſalmodiæ in pretio ſunt.* Vndè, cum appareat, iam apud Orientales huiuſmodi reciprocum cantum inualuiſſe, Orientalium morem cum S. Ambroſium imitatum fuiſſe ſcribit Auguſtinus, de cantu alternato, locutum credunt ſe poſſe licitè Auguſtinum interpretari.

## §. III.

### *Secunda, de cantu populi, opinio.*

509 ALtera ſententia eorum eſt, qui ritum à S. Ambroſio in cantu inductum, in hoc conſiſtere ſpecialiter arbitrantur, quod non tam a Clero, quam plebe ipſa hymnos, & pſalmos alternatim decantari primus ibi inſtituerit. Et quidem quoad plebem ſic Valafridus Strabo *d. cap.25. Ambroſius Mediolanenſis (vt in libris Confeſſionum ſuarum B. Auguſtinus teſtatur) libros diuinæ laudationis populo componens perſecutionem Iuſtinæ Auguſtæ rerum nouitate leniuit. Quo in tempore, ſicut etiam in vita ipſius Ambroſij ſcribitur, antiphonæ, hymni, & vigiliæ in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt.* Bellarminus *d.lib.1.de oper.partic.cap.16.* ſuprà poſita Sancti Auguſtini verba *Tunc hymni &c.* explicans, ſic habet: *Fortaſsè loquitur Auguſtinus non de cantu abſolutè, ſed de cantu totius populi. Anteà ſiquidem pſalmum cantabat vnus tantum, audientibus cæteris. Vndè eſt illud Hieronymi epiſt. ad Ruſtic. Dicas pſalmum in ordine tuo. Fortaſsè etiam ſoli Clerici,*

*vt*

*vt nunc fieri videmus, canebant. Ambroſius autem ad leniendum mœrorem populi in perſecutione Iuſtinæ inſtituit, vt totus populus caneret.* Laurentius item à Beyerlinck in *Mag. Theatr. Vit. human. verb. Poeta. tit. Hymnographi,* ſic: *B. Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus hymnos inſtituit, qui adhuc Ambroſiani vocantur, vt à plebe Catholica in morem Orientalium decantarentur ad leuandum mœrorem, quem ex Arianorum inſidijs aſſiduè capiebat,* & iterum expreſsius *verb. Cantus tit. Vſus antiquus in Eccleſ.* ſic. *Auguſtinus illi* (Ambroſio) *adſcribit, quod iuxtà morem Orientalium Eccleſiarum vſum cantandi in officijs diuinis introduxerit in Eccleſia Mediolanenſi, nempè vt totus Populus concineret ad leniendum mœrorem, qui erat propter perſecutionem Iuſtinæ.* Idem docet Gauantus *ibid. ſect. 5. cap. 6. num. 2.* Valafridum ſecutus.

510 Sed quod difficultatem pati non videtur, eſt ipſa S. Ambroſij confeſſio tum in *pſalm. 1.* ibi: *Mulieres Apoſtolus in Eccleſia tacere iubet. Pſalmum etiam benè clamant. Quantum laboratur in Eccleſia, vt fiat ſilentium, cum lectiones leguntur! Si vnus loquitur, obſtrepunt vniuerſi: cum pſalmus, ipſe ſibi effector eſt ſilentij, omnes loquuntur, & nullus obſtrepit.* Quæ verba ſic in *Diſquiſit. de Curſu Gallicano num. 13.* intelligit eruditiſsimus Ioannes Mabillon quatenus *Cum Lector ſcripturas recitaret vix impetrari poterat ſilentium: cum verò Pſalmus cantaretur, obſtrepebat nemo, quoniam omnes cantu occupati erant.* Vndè de Mediolanenſis Eccleſiæ cantu tamquam certam hanc firmat ſententiam. *Quod populus, ideſt vterque ſexus pſalmos promiſcuè ſed alternis cantaret.* Tum in *Hexamer. lib. 3. cap. 5.* ibi: *Benè mari plerumque comparatur Eccleſia, quia primo egredientis populi agmine totis veſtibulis vndas vomit. Deindè in oratione totius plebis tamquam vndis refluentibus ſtridet cum reſponſorijs* (ſeù vt ibid. Mabillon, alterno cantu) *& antiphonis pſalmorum cantibus virorum, mulierum, virginum, paruulorum vndarum fragor reſultat;* ex quibus Thomas Valdenſis *eod. t. 3. tit. 2. cap. 17. fin.* plebis vtriuſque ſexus cantum colligit: *Ecce non ſolum conuentum Religioſorum, aut Clericorum cantus, ſed vtriuſque ſexus plebis vox in laudem Chriſti tempore conſtituto laxata;* ſicut & intelligit Thomaſſinus *loc. ſuprà* laudato, qui item ad idem probandum, ſeù ritum alternatè canendi vnà cum plebe, hæc alia eiuſdem S. Ambroſij *loc. ſupr. num. 444.* laudato verba adducit: *Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt. Quid enim potentius, quam confeſsio Trinitatis, quæ quotidiè totius populi ore celebratur?* Quibus nihil clarius pro cantu populi in Eccleſia à D. Ambroſio inducto.

511 Nec deeſt ipſius S. P. Auguſtini ſuffragium, quod ſcilicet huiuſmodi ritus fuerit *ſecundum morem Orientalium partium,* cum Papulum à primis Eccleſiæ ſæculis in Templis canere conſueuiſſe habeamus à Philone *lib. de Vit. contemplat.* ſeù de *ſupplic. Virtut.* ibi: *Vbi omnes conſurrexere duo Chori fiunt in medio cænaculo, alter virorum, alter fæminarum; cuique ſuus incentor præficitur. Deindè canunt hymnos in laudem Dei compoſitos, &c.* & à

Plinio

Plinio in *Epiſt. ad Traianum* apud Tertull. in *Apologet. ad verſ. Gentes cap. 2.* vbi de primorum Chriſtianorum cantu ſic: *Præter obſtinationem non ſacrificandi nihil aliud ſe de ſacris eorum comperiſſe, quam cœtus antelucanos ad canendum Chriſto, & Deo.* Item ex Baſilio, vtſupra vidimus, & ex alijs Patribus oſtendunt Baronius ad *ann. Chriſt. 60.* Spondanus in *epit. ad eumd. ann. n. 13.* Cardinalis Bona de *Pſalmod. lib. 1. cap. 1. §. 3. & 4.* Antonius Bellotte in *Obſeruat. ad Rit. Eccleſ. Laudunen. obſeru. 34. num. 19.* & fuſiſſimè Demochares *loc. ſupr. lib. 4. cap. 12.* & ſignanter ex ijs, quæ de SS. Athanaſio, & Chryſoſtomo ſcripſerunt Socrates, Theodoretus, & Caſſiodorus; & de Paulo Samoſateno Euſebius, & Ruffinus. Ob quæ omnia in eo firmi ſunt aliqui, hoc vnum à S. Ambroſio innouatum, cantum ſcilicet vnà cum populo alternatum.

## §. IV.

### *Tertia, & vera, de cantu modulato, ſententia.*

512 Tertia tandem opinio eorum eſt, qui modulatum cantum à S. Ambroſio primò in Mediolanenſem Eccleſiam inductum credunt, vt ex infra dicendis. Quæ autem præferenda, haud facile iudicium; Cum namque in primis Eccleſiæ ſæculis non vna fuerit non ſolum Diuinorum officiorum regula, determinataque forma, ſed varia, varijs in locis obſeruata, vt ſpecialiter notant Valafridus Strabo *eod. lib. de Reb. Eccl. cap. 22. & 25.* Guilelm. Durand. in *Proem. ad Rational. Diuin. Offic. num. 14. & ſeq.* Pius Rubeus in *Vit. D. Hieronymi controuerſ. 31.* Ioan. Mabillon in *Muſæo Italic. tom. 1. p. 2. Obſeruat. ad Rit. Ambroſian. num. 5.* pluribus verò exornant Ioſephus Vicecomes de *Miſſæ Ritib. lib. 2. ferè per tot.* & Chriſtianus Lupus in *Concil. tom. 5. ad Concilij 1. Romani ſub Gregorio VII. Decret. 4. per tot.* Sed nec vna canendi forma, quin varius in his, vel illis Regionibus pſallendi ritus, vt notauit S. P. Auguſtinus *Epiſt. 119. num. 18.* de varijs conſuetudinibus ſic loquens: *Sicut de hymnis, & pſalmis canendis, cum & ipſius Domini, & Apoſtolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta. De hac re tam vtili ad mouendum piè animum, & recordandum Diuinæ dilectionis affectum, varia conſuetudo eſt;* & etiam obſeruarunt Baronius ad *d. ann. 60.* & Spondanus *ibid. num. 14.* ibi: *Licet in vniuerſo Chriſtiano Orbe canendi in Eccleſia ſemper viguerit vſus, tamen non idem vbique ſeruatus canendi modus.* Cum inquam, varia fuerit apud varias nationes canendi conſuetudo, difficilè videtur ex certis principijs ſtabilire, quid ſpecificè adinuenerit S. Ambroſius.

513 Verior nihilominus vltima mihi ſemper opinio, vt potè certioribus

bus nixa fundamentis, vt videbimus. Nec obſcurè eam inſinuauit Radulphus Tungrenſis *loc. cit. propoſ.* 12. vbi de cantus Eccleſiaſtici origine, & progreſſu, ſic ad rem præſentem. *Ab initio Diuinum officium omnimodò conſtitutum erat in pſalmis abſque hoc quod aliqua cantarentur &c. Miſſæ autem in Eccleſia Dei primitus ſiebant cum lectionibus vtriuſque teſtamenti, & Euangelio abſque cantu; Ad quas Cæleſtinus Papa pſalmos, ſicut ad alia officia decantari iuſſit: Tamen ex hoc vniuerſaliter in Eccleſia Dei cantus non fuit introductus: ſed poſtmodum tempore Theodoſij iunioris, ſicut in vita B. Ambroſij legitur, in Eccleſia Mediolanenſi cantus, & hymni cæperunt frequentari; & tempore ſucceſſiuo à B. Ambroſio apud Latinos, & ad Miſſam, & ad alias horas Diuinas cantus publicus cum hymnis metricis eſt introductus.* Cum namque nequeat explicari Radulphus de Pſalmodia, quod ſcilicet antè S. Ambroſium non pſalleret Deo, ſeù officia Diuina non perſolueret, aut Miſſas non celebraret Mediolanenſis Eccleſia, vt benè probat Ioſephus Vicecomes de *Ritib. Miſſ. lib.2. cap.*12. per cantum vtique à S. Ambroſio inductum nihil aliud poteſt venire, niſi forma pſallendi, ſeù cantus modulatus in officijs, Miſſiſque celebrandis. Nec ex eo, quod Tungrenſis ſtatim ſubdat: *Vndè in Chronicis legitur, quod Ambroſius ritum Antiphonarum in Eccleſia canendarum primus à Græcis tranſtulit ad Latinos,* inferendum, eius ſenſum fuiſſe, quod S. Ambroſius introduxerit ritum canendi alternatim; pro hoc enim ſatis fuiſſet dicere, introductum à S. Ambroſio *ritum Antiphonarum*, cum ex antiphonæ ſignificatione talem alternationem importari ſupponatur; nec opus fuiſſet addere *canendarum*: Quin ex hac additione benè infertur, quod cantus ipſe à S. Ambroſio ex Tungrenſis mente fuerit inductus.

514 Conſentit apertè Nauarrus de *Orat cap.*17. *num.* 30. & 42. dum pro huiuſmodi inſtituto S. Ambroſium ſic laudat. *Decimum quartum corollarium, religioſam fuiſſe inſtitutionem B. Ambroſij, vt in Eccleſia Mediolanenſi canerentur Diuina officia; Cantus enim eſt occaſio, & præparatio ad magis, & melius orationi vacandum*; vbi apertè loquitur de cantu modulato, tum ex his, quæ *ibid. vtroq. num.* proſequitur; tum ex eo quod Diuina officia antè S. Ambroſium, vt dictum eſt, perſoluebantur; vndè eſt, quod de ſola forma cantus poſſit eſſe ſermo. Deducit item ex Rabano Mauro Laurentius Beyerlink. *loc. ſupr. Verb. Cantus. Tit. Vſus antiquus in Eccleſijs*, dicens: *Sanctum verò Ambroſium in Occidentalibus Eccleſijs hymnorum melodiam introduxiſſe, videtur inſinuare Rabanus Maurus.* Et in Statutis Synodalibus Hildeſemenſibus *cap.* 11. apud Cornelium Schultingium in *Bibliothec. Eccleſ. tom.*1. *part.*1. *cap.*5. *princ.* ſic quoad formam, & ordinationem rerum Eccleſiaſticarum poſt Conſtantini Magni conuerſionem legitur: *Nam D. Hieronymus Diuinum officium ordinauit, Ambroſius hymnos, & cantum ſuperaddidit. Pachomius, Baſilius, & Auguſtinus & alij Regulas addiderunt.*

## §. V.

### *Probatur ex S. P. Auguſtino tripliciter.*

515 SEd certiora promamus; & cum à nullo melius quam ab occulato teſte poſſit veritas erui, conſulendus eſt Auguſtinus *loc.cit.*, & illi ſtandū, qui non tamquā audita ab alijs, ſed a ſe ipſo conſpecta hęc deponit. Primò: Hymnos ab Ambroſio inuentos; licet enim non apertè id dicat Auguſtinus, cum eodem modo loquatur de Hymnis, & pſalmis, quos certum eſt non ab Ambroſio inuentos, nec eorū vſum in Eccleſiam Mediolanenſem ab eodem inductum, ſed videatur loqui de cantu hymnorum, & pſalmorum iuxta morem Orientalium: *Tunc hymni, & pſalmi vt canerentur ſecundum morem Orientalium partium inſtitutum eſt*; certum eſt tamen, a S. Ambroſio eſſe primò in Mediolanenſi Eccleſia adinuentos, vt ex verbis Paulini in *eius vit. Hoc tempore primùm antiphonæ, hymni, &c. celebrari cæperunt*; & aſſentiuntur quam plures, vt *num.* 448. Secundò: Adinuentum cantum hymnorum, & pſalmorum. Tertiò: Secundum morem Orientalium partium. Quartò: Ad ſolamen plebis. Quintò: Ob perſecutionem Arianorum. Et Sextò: Hunc hymnos, & pſalmos canendi ritum in cæteras Occidentis Eccleſias difuſum. Ex quibus omnibus cantum Eccleſiaſticum per notulas, ſeù vocis variatione modulatum a S. Ambroſio in dictam Eccleſiam primò inuectum ſatis clarè habemus.

516 Et quidem ex primò, ſeù ab hymnis, cum hymnus ſit ex S. P. Auguſtino in *Pſalm.* 72. laus Dei cum cantico; quod adeò verum putant quam plures, vt hinc, ſeù ab hymnis, & quem Chriſtus Dominus in cæna cecinit, *& hymno dicto Matth.* 26. & de quibus Paulus in *Epiſt. ad Epheſ.* 5., & *ad Coloſſ.* 3. & quos à primis Chriſtianis celebratos referunt Philo *lib. de Vit. Contemplat.* Euſebius de *Eccl.Hiſt.lib.* 2. *cap.* 17. Nicephorus item *Hiſt. Eccleſ.lib.* 2. *cap.* 16. argumentum deſument ad probandum cantum in Dei Eccleſia ab eius origine viguiſſe; & vt ſemel dicam, ferè omnes, qui de hac materia ſcribunt. Pro quo etiam facit, quod modulatio videatur cum hymnis omninò connexa, adeovt pro hymnis non illos ſolos habendos eſſe, *qui metris, vel rhythmis*, (ſcribit Valafridus Strabo. *d. lib. de Reb. Eccl. cap.* 25.) *decurrunt, quales compoſuerunt Ambroſius, Hilarius, & Beda Anglorum Pater, & Prudentius Hiſpaniarum Scholaſticus, & alij multi: verum etiam cæteras laudationes, quæ verbis conuenientibus, & ſonis dulcibus proferuntur. Vndè & liber Pſalmorum apud Hebræos liber Hymnorum vocatur.* Et ſic poſito, quod S. Ambroſius fuerit hymnorum inuentor, ſequitur, quod fuerit & modulationis, ſcilicet cantus.

517 Ve-

517 Verùm, cum nos iam in *Quodlibet. Regular. à num. 434. & ſeq.* dixerimus, aliud eſſe cantum, aliud modulationem cantus; & vtique verificari hymnos decantari, ſi alta voce, & abſque notis, ſeu vocis variatione, ſed parili tono celebrentur, vt non ſolum in Eccleſia Alexandrina, ſed & in primitiua Eccleſia obſeruatum videtur *num.* 37., & ex Angeli cantu deducitur *num.* 41. Quidquid ſit de hoc; Hymnos ſaltem à S. Ambroſio ſpecialiter compoſitos ſuauitatis harmoniam continuiſſe, & modulatim decantandos docet idem Valafridus *ibid.* dum concinnitatem in eis conſiderans ſubdit: *Porrò hymni metrici, ac rhythmici in Ambroſianis officijs dicuntur, quos etiam aliqui in Miſſarum ſolemnijs propter compunctionis gratiam, quæ ex dulcedine concinna augetur, interdum aſſumere conſueuerunt.* Quod ad rem præſentem ſufficit.

518 Audio reſponſionem; nouam ſcilicet cantus materiam ſubminiſtraſſe S. Ambroſium nouitate hymnorum: non verò cantum ipſum. Sed ecce iam ex ſecundo capite argumentum. *Tunc hymni, & pſalmi vt canerentur inſtitutum eſt*, ait Auguſtinus; (ſuper quæ de *Veter. Monachat. lib.* 4. *cap.* 4. §. 7. *n.* 93. ſic reflectit Franciſcus Biuarius: *Vide quæſo nullum aſſignare diſcrimen inter pſalmorum, & hymnorum cantum*) ſeu hymnorum æquè, ac pſalmorum cantum ab Ambroſio inductum; & cum ſubminiſtratos ab Ambroſio pſalmos ſit nullatenus admittendum, vtpotè iam anteà recitari conſuetos; ſed reuera ab eo inductam pſalmos canendi formam; quarè non idem & de hymnis? Ita reuera, prout clariſſimè infra.

519 Et quià iterum præuideo fortè quem reſponſurum, incæpiſſe tunc diſciplinam canendi non ſimpliciter, ſed per alternationem ad morem Orientalium partium, de quo *ſuprà num.* 506. 508. Ergò, infero (& eſt ex tertio capite argumentum) incæpit tunc diſciplina hymnos, pſalmoſque canendi modulatè. Nulla ſiquidem difficultas, quod Ambroſij temporibus cantus modulatus in tota Orientali Eccleſia obſeruaretur; pro cuius rei euidentia vnus mihi nunc (nam & ex alijs conſtabit infra) ſufficit teſtis Baſilius, qui *Epiſt.* 63. *ad Clericos Neoceſarienſ.* qui eum vexabant, ſic: *Si quandoque cauſam indicti iſtius, & irreconciliabilis belli rogantur, pſalmos cauſantur, & modum melodiæ, quo ſit vetus apud nos immutata canendi conſuetudo*; quem morem poſt nonnulla in omnibus illis Eccleſijs vſitatum fatetur: *Ad id verò, quod propter pſalmodias accuſamur, quarè potiſſimum ſimpliciores perterrefaciunt, qui nos traducunt, hoc habeo quod dicam, quod videlicet, qui iam obtinuerunt ritus omnibus Eccleſijs Dei concordes ſunt, & conſoni*; & proſequitur eadem de cauſa fugiendos, *vt ſupr. num.* 508. vidimus, *Ægyptios, Thebæos, Palæſtinos, Arabes, Libicos, Phœnicas, & Syros*; Signum haud obſcurum, quod & idem & apud eos canendi mos vigeret. Quare cum conſtet, Orientalem Eccleſiam S. Ambroſij temporibus, & ante modulatum cantum frequentaſſe, hic ille eſt omninò, quem S. Ambroſium in ſua

Nn Me-

Mediolanenſi ſecundum morem Orientalium partium inſtituiſſe ſcripſit Auguſtinus.

520 Ità hunc Auguſtini locum interpretantur Decreta Concilij Treuerenſ. II. de 1549. *Tit. de Cultu Diuin.* apud Binnium *tom.* 4. ibi. *Neque enim Eccleſiaſticæ melodiæ ſua deeſt energia; Id quod Auguſtinus teſtatur, referens Ambroſium Mediolani cantum inſtituiſſe Eccleſiaſticum ſecundum morem Eccleſiæ Orientalium, eumque cultum celebrari cæptum magno ſtudio Fratrum hymnos, & pſalmos canentium*. Et Iacobus Pamelius in *not. ad lib. Apolog. Tertull. cap.* 39. *n.* 520. per hæc verba: *D. Ambroſij apud Mediolanum, quò ex partibus Orientalibus hymnorum, & pſalmorum cantum translatum eſſe ipſe D. Auguſtinus Confeſſ. lib.* 9. *cap.* 6. & 7. *narrat*; loquitur namque de cantu pſalmorum, & hymnorum in Eccleſia nunc vſitato, qui melodicus eſt. Sed adhuc clarius Franciſcus Biuarius *loc. ſupr. n.* 94. dicens: *Quod verò ab Orientalibus Ambroſium accepiſſe eo loci ſcribit Auguſtinus, muſicæ Eccleſiaſticæ ratio eſt, videlicet, vt viua voce, & armonia ſingulari laudes Deo Chriſti fideles in Eccleſia canerent*. At de hoc iterum infrà.

## §. VI.

### *Aliæ ex eod. S. P. Auguſtino probationes.*

521 QVartum fundamentum eſt, quià hymnos, & pſalmos canere inſtituit ad plebis mærorem ſubleuandum; *nè populus mæroris tædio contabeſceret*. Quis enim ignorat, quam potens ſit ad triſtitiam è cordibus remouendam melodicus cantus? *Cantus* (ſic Philo de *Vict. offer.*) *paſſiones animi excantat, vt quidquid in nobis diſſonat, in concentum quemdam redigendo, reprimendoque immodicos affectus certis modulis componat.* Et iuxtà S. Iuſtinum Martyrem *q.* 107. *omnium rerum, quæ in vita triſtes, & luctuoſæ accidunt pijs affert medicinam*. Et per S. Iſidorum *lib.* 3. *ſent. cap.* 7. *triſtia corda conſolatur*. Sed mirabiliter S. Io: Chryſoſtomus in Pſal. 41. id ità deſcribit in infantibus qui *ab vberibus pendentes, ſi fleant, & affligentur, ea ratione ſopiantur*; in nutricibus, quæ *puerilia eis carmina decantantes ſupercilia eorum ità ſopiunt*; in viatoribus, agricolis, & nautis, & mulieribus; quando enim, dum reſpectiuè itinerantur, vuas calcant, remos impellunt, & texunt, ex more canunt, *hoc faciunt & mulieres, & viatores, & agricolæ, & nautæ laborem, qui ex opere faciendo ſuſcipitur, cantu conſolari volentes, vtpotè quod anima, ſi carmina, & canticum audierit, moleſtia, & difficilia ſit facilius toleratura*. Vndè fortè prodijt hoc Amalarij de *Eccleſ. offic. lib.* 3. *cap.* 11. aſſertum: *Cantor eſt quaſi bubulus, qui iubilat bobus, vt hilarius aratrum trahant*. De quo & videndus Polydorus Virgilius de Re-

*rum Inuent. lib.* 1. *cap.* 14. Et hac de cauſa *Ipſe quoque Rex Dauid primus delegauit, qui pſalmos in templo Domini modulata voce cantantes animos populi ſublimitate, & ſuauitate vocis, qua dicebantur, oblectarent, & ad amorem Diuini cultus amplius accenderentur*, vt ſcribit Albinus Flaccus de *Diuin. offic. tit. de Eccleſiaſt. Ordin. fin.*

522 Quod mirum videri non debet, quia vbi, vt notat Nauarrus *loc. ſup. cap.* 17. *n.* 42. *omne vniſonum faſtidit, fatigat, & prouocat ſomnum, adimit attentionem, & delectationem ei, qui cantat, dicit, vel audit*, cantus è contrà Eccleſiaſticus *valet* (vt ſcribit Iacobus Bayus *Inſtit. Relig. Chriſtian. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 2.) *ad generandam animi lætitiam*; hoc eſt varietate vocis hilaritatem, cum, vt *lib. confeſs.* 10. *cap.* 33. Auguſtinus, & ex illo S. Iſidorus de *Eccl. offic. lib.* 1. *cap.* 5. & Rabanus Maurus de *Inſtit. Cleric. lib.* 2. *cap.* 48. tradunt, *omnes affectus noſtri pro ſonorum diuerſitate, vel nouitate neſcio qua occulta familiaritate excitantur magis, cum ſuaui, & artificioſa voce cantantur*; ſeù vt S. Thomas. 2. 2. *q.* 1. *art.* 2. ex Philoſ. in 8. *Phyſic.* & Boetio in *Prolog. Muſicæ* loquitur, *ſecundum diuerſas melodias ſonorum animi hominum diuerſimodè diſponuntur*. De qua re videndi Macignus de *Hor. Canonic. cap.* 59. *à nu.* 23. *& ſeq.* Anacletus Siccus de *Eccleſ. Hymnod. lib.* 2. *cap.* 11. & Card. Bona de *Diuina pſalmod. cap.* 17. §. 1. *per tot.*

523 Ex quibus iam ſatis dignoſcitur, dum S. Ambroſius ad populum à mærore ſubleuandum quid innouauerit; hoc vtique cantum ipſum melodicum fuiſſe; vtpotè pro tali fine aptiſſimum, quin vnicum medium; prout concludit idem Biuarius *ibid. n.* 95. *fin.* dicens: *Ab Orientalibus igitur muſicum pſalmorum concentum ad ſuam Eccleſiam tranſtulit Ambroſius, ea præſertim neceſſitate motus, ne populus mæroris tædio contabeſceret, qui nimirum de perſecuto Paſtore ſuo preſſius triſtabatur.* Et ità etiam explicant Auguſtinum non inferioris notæ Scriptores, dum ſuppoſito in Orientalibus Eccleſijs modulato cantu, & ad triſtitiam mulcendam apto, dicunt, de hoc locutum Auguſtinum, dum *ſecundum morem Orientalium partium* ad mæſti populi conſolationem in Mediolanenſem Eccleſiam hymnos canendi morem à S. Ambroſio ſcripſit inſtitutum. Baronius in primis ad ann. Chriſti 60. per hæc verba: *Verùm in Oriente, vndè etiam Mediolanenſis Eccleſia ſub Ambroſio Eccleſiaſtici formam cantus accepit, ſuauiori vocum concentu, qui audientium animos licet triſtes erigere, atque mulcere poſſet, hymnos, pſalmoſque concini ſolitos eſſe idem qui ſuprà Auguſtinus affirmat.* Idem eiſdem penè verbis in *Epit. d. ann.* 60. *num.* 74. Spondanus. Nebridius pariter à Mundelheim in *Antiqu. Monaſt. epiſt.* 72., & Franciſcus Carrier. in *Digeſt. Fi[illegible]n in Cathol. de Cant. Eccleſ. pag.* 607. *col.* 2. Sic: *In Oriente cantabatur ſuauiori [illegible] cum concentu, qui audientium animos quantumlibet triſtes mulcere poſſet [illegible] formam S. Ambroſius in Eccleſiam ſuam introduxit, quæ mirificè etiam [illegible] guſtini animum permulſit.* Et Dominicus Magrius in *Notit. Vocab.* [illegible]

*verb. Cantuſ.* ibi: *Addit Auguſtinus Mediolanenſem Eccleſiam ſub S. Ambroſio à Græca accepiſſe morem canendi ſuauem, & mollem.*

524 Venit quinto loco hymnorum concinendorum cauſa, perſecutio ſcilicet Arianorum vna cum Iuſtina Imperatrice. *Annus erat &c.* vt ex Auguſtino *loc. ſupr.* Vbi idem mihi videor obſeruare in S. Ambroſio, quod de Sanctis Ephrem, & Ioanne Chryſoſtomo legitur, ſeù tam ipſum, quam iſtos hymnos populis ſuis contra Hæreticorum errores compoſuiſſe. De S. Ephrem iam habetur *ſuprà num. 39.* de S. verò Io: Chryſoſtomo ex Socrate *lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 8.* Sozomen. *lib. 8. cap. 8.* Nicephor. *lib. 13. cap. pariter* 8. referunt Demochares *cit. lib. 4. cap. 12. pag. 37.* Francolinus de *Tempor. Hor. Canonic. cap. 2. nu.* 18. Baronius ad *ann. Chriſt.* 400. Spondanus in *Epit. ibid.* Cornelius Schultingius *loc. ſupr. cap. 23. & cap. 35.* Caramuel *Theolog. Regul. n.* 1141. & Thomaſſinus *d. lib. 2. cap. 72. num. 6. fin.* quod ſcilicet, cum Ariani hymnos, & antiphonas ex ſuo dogmate compoſitas infrà portas Ciuitatis Conſtantineapolitanæ, & per porticus congregati decantarent, & hoc maxima noctis parte facientes, diluculo eoſdem cantantes per mediam Ciuitatem egreſſi portam ad ſuam Eccleſiam concurrerent; Cumque hoc crebrò quaſi ad vituperationem Orthodoxorum facere non ceſſarent, B. Chryſoſtomus, ne ſimplices huiuſmodi cantibus retraherentur, inſtituit ſuum populum, vt & ipſi nocturnis occuparentur hymnis, quatenus & illorum obſcuraretur opus, & fidelium profeſſio firmaretur.

525 Idem, inquam, vel ſaltem quid valdè conſimile in vtriſque obſeruo, cum talem artem in ſuis hymnis adhibuerit & Ambroſius, vt in fine à populo ad Arianorum confuſionem ſancta laudaretur Trinitas, vt ex eius verbis *num.* 444. & 449. adductis, prout obſeruarunt Gisbertus Scheuichauius de *Eccleſiaſtic. Vit. & Morib. lib. 1. cap.* 88. & Thomaſſinus *d. nu. 6.* vbi poſt enarratam ex Sozomeno nunc explicatam Chryſoſtomi hiſtoriam, ſic ſuum de Ambroſio fert iudicium: *Dicemus proximo capite, vt Ambroſius Mediolani non multum abſimili occaſione eumdem morem* (ſcilicet hymnos canendi) *inuexerit; vndè is tandem in Occidentem omnem permanauit.* Et poſita conſimili hymnos inſtituendi, & per plebem canendi occaſione; cum iam citra omne dubium admittatur, hymnos a SS. Ephrem, & Chryſoſtomo compoſitos fuiſſe, vt modulatè cum cantilenis perſoluerentur, vt de S. Ephrem clarè, & ſatis ſupra *d. n. 39.* & de S Chryſoſtomo, tùm ...pia Arianis oppoſuit non tantum hymnos, ſed & conſimilem eorum ...tui, qui modulatus erat, canendi formam, vt *loc. cit. cap. 23.* Schul...ius, *inter eumdum ea modulatione vtebantur ſingulari quadam pietatis ſpe...Ne itaque ſimplices &c. ſimilia ipſemet* (Chryſoſtomus) *inſtituit, & ... cum maiori magnificentia;* Sed clarius Nicephorus *d. lib. 13. cap. 8.* ...*oncinnè canebant, ſcilicet Ariani: ſed etiam Ioannes, ne aliqui ex Eccle-*

*ſia*

*ſia ſua eius generis cantibus demulſi ab illis ſeducerentur, ad eumdem modum contrà illos pſalmodiam ſuam inſtituit*; tùm quià eumdem, hoc eſt modulatum pſallendi modum tunc à Chryſoſtomo inductum ſubindè cuſtodiuit, & obſeruauit Eccleſia Conſtantinopolitana, eodem teſte Nicephoro *ibid.* per hæc verba: *Catholica autem Eccleſia à principio eiuſdem pſalmodiæ, hymnorumque canendorum indè ſumpto ad hunc vſque diem conſuetudinem eam retinet, & ſacris cantilenis operatur*. Mihi videtur idem omninò de S. Ambroſio concludendum, quod ſcilicet non ſolum rem, ſeù hymnos à populo contra Arianorum errores, & in eorum perſecutione canendos compoſuerit; ſed & pſalmodiæ ritum, ſeù modulatam eos canendi formam induxerit; vt pariter ſentit Carolus à Baſilica Petri Epiſcopus Nouarienſ. in *Tract. M. S. de Ritib. Eccleſ. Mediolan.* in Bibliothec. Ambroſian. *litt. A. Codic.* 88. *tit. de hymnis, & cantu*, ſic de S. Ambroſio vnà cum Populo in Eccleſia Portiana commorante ſcribens: *Interim etiam Catholicam de Trinitate veritatem contrà Arianos confiterentur, hymnos compoſuit S. Antiſtes, & Orientalium Eccleſiarum conſuetudinem imitatus muſicis modis à Populo curauit decantari*; & vt nouiſſimè etiam concludit Iacobus Pignatellus in *Conſult. Canon. tom.* 4. *conſ.* 41. poſt verba *ſupr. n.* 39. data ſic ſcribens: *Et hoc ipſum non multò poſt Flauianus Antiochiæ Conſtantinopoli Chryſoſtomus, & Ambroſius Mediolani fecerunt, muſicos canendi modos contrà cantiones hæreticorum admittere, & vſurpare coacti*.

526 Aliam addo coniecturam, quia talis concinendi forma ad confirmandos in tribulatione animos vnicè apta; cantus enim Eccleſiaſticus, vt S. Iuſtinus Martyr. *d. q.* 107. ſcribit, *pietatis decertatores generoſos, & fortes per conſtantiam in rebus aduerſis efficit*; tolerantiam generat, vt cum Chryſoſtomo iam vidimus *n.* 521. & contra hoſtes viſibiles mirè protegit, vt ad illa *Cantic.* 7. verba: *Quid videbis in ſulamite niſi Choros caſtrorum?* Sic de *Eccleſiaſt. hymnod. lib.* 1. *cap.* 13. Anacletus Siccus: *Vbi non ſine myſterio vniuntur duæ ferè ex diametro oppoſitæ qualitates; Chori ſcilicet, & Caſtra; Quid enim commune, diceret quiſpiam, habere poſſunt chori muſicorum cantantium cum caſtris exercituum? Chorus equidem recipit ſonos, concentus, & melodias ſuaues: caſtra verò tumultus, clamores, ſtrepituſque terribiles; Quomodò itaque iſta conciliari, & vniri poſſunt abſque diſſonantia? Huic difficultati facilimè occurretur, ſi dicamus in noſtris Choris Eccleſiaſticis poſitam eſſe hanc vnionem; hymnorum enim cantus, dum maiori expletur ſuauitate* (loquitur de cantu modulato) *tum vocis, tum animi, bellum grauiſſimum vrget contrà tartareas poteſtates nobis ſemper infenſas, & contra hoſtium viſibilium impetum in Eccleſiam, & fideles irruentium. Preces itaque Eccleſiæ, quæ cantu explentur canendo pugnant, & pugnando canunt, & arma ſunt ad quamlibet defenſionem opportuna*. Quibus iterum moueor ad aſſerendum huiuſmodi cum cantilenis, ſeù notulis modulatum cantum tunc à S. Ambroſio ad fidelium cor-

robationem inſtitutum ; vt ad rem præſentem aſſerit & Io: Baptiſta Rubeus in *Nou. Rational. Diuin. offic. lib. 3. cap.* 5. vbi de hymnorum harmonico cantu diſcurrens, hæc habet : *Etiam D. Ambroſius fecit multos hymnos ex his, qui cantantur in Eccleſia in perſecutione Arianorum, quos fideles cantabant per totam noctem; & ità in tali cantu delectati, & conſolati tolerabilius patiebantur, immò contemnebant Arianorum perſecutiones.*

527 Et ne repetatur, compoſitos ab Ambroſio hymnos tamquam materiam cantus, non verò ipſam pſallendi diſciplinam ab eo inductam, en clariſſima claſſicorum ſcriptorum teſtimonia, qui ipſam canendi formam ab Ambroſio recognoſcunt, Thomas Valdenſis *tom. 3. de Sacramental. tit. 2. cap. 19. num. 4.* dicens: *Idcircò videns hominum voces, & volens Chriſtus ſuis laudibus coaptare, in hanc Occidentalem Eccleſiam per ſeruum ſuum Ambroſium cantum intulit regularem in hymnis & pſalmis ſecundum Orientis exemplum, ſicut ait 9. lib. Confeſs. Auguſtinus*; & poſt enarrata eadem S. P. Auguſtini verba, quæ ſunt eadem ac ſuprà poſita de Arianorum perſecutione, & hymnorum ad populi conſolationem inſtitutione, ità ſubdit: *Tunc incæpit ibi eſſe diſciplina cantandi, & hymnorum carmina faciendi.* Alter eſt Ioſephus Vicecomes *tom. 3. de antiq. Miſſ. ritib. lib. 1. cap. 31.* ſub hoc titulo. *Mediolani quando, quaue occaſione cœperint Cantores adhiberi in Miſſa, alijſque Eccleſiaſtici Ordinis officijs?* vbi ſic rem, & caput exorditur. *Cum hæc pleriſque in Regionibus ità habuerint; tamèn Mediolani nonniſi B. Ambroſij tempore, ideſt anno redempti Orbis circiter CCCLXXXX. in Miſſa, cæteriſque Eccleſiaſtici Ordinis officijs cantorum vſus cæpit; cuius originem demonſtrabo;* Et proſequitur enarrare, quod breuibus verbis ex Auguſtino de populo ob Arianorum perſecutionem cum ſuo Prælato in templo excubante, hymnorumque inſtitutione audiuimus; quibus expletis addit. *Hoc relato reſponſo hoſtium audaciſſimi templum obſidione cinxerunt: Catholici verò Pontifexque vnà facto agmine intus pro ſe, ſuiſque capitibus vim parabant extremam. Et ne diuturnæ obſidionis eos tæderet, hymnis, & cantu Dei laudes ſunt proſecuti. Hanc ego inſtituendi in Eccleſia Mediolonenſi cantus cauſam, Originemue B. Auguſtinum, Sanctum Paulinum* (quem tamen non Nolanum, ſed alium alij & melius volunt) *Nolæ Epiſcopum, & Valafridum Strabonem ſecutus, in medium attuli*, eorum verba referens; Auguſtini quidem, & Paulini vt ſuprà *num.* 504. Valafridi verò ex *cit. lib. de Reb. Eccleſ. cap.* 25. pariter vt ſuprà *num.* 509. Si namque tunc incæpit canendi diſciplina, neceſſe eſt, quod ab Ambroſio, vt dicebam, incæperit, & antè ipſum pſalmodia plana tantum obſeruaretur.

528 Suffragantur item opinioni ſuprà *num.* 520. laudati ſcriptores, ex quorum mente vidimus ſub Ambroſio Mediolanenſem Eccleſiam ab Orientali canendi formam accepiſſe; & nouiſſimè eruditionum Eccleſiaſticarum Magiſter Io: Mabillonius in ſuo Muſeo Italico *tom. 1. p. 2. in obſeruat.*

*ſeruat. ad Rit. Ambroſian.* §. 4. vbi cum adduxiſſet Ioſephi Vicecomitis *lib. 2. de Miſſ. Rit. cap.* 12. circà Ambroſiana officia opinionem, ſcilicet *Miſſæ ordinem à S. Barnaba Apoſtolo, pſallendi autem regulam à Miroclete Archiepiſcopo Mediolani inſtitutam fuiſſe*, non ei aſſentitur quoad ſecundam partem, per hæc verba: *De pſallendi norma repugnat Paulinus in lib. de Ambroſij vita, vbi tempore Iuſtinæ perſecutionis primò antiphonæ, hymni, &c. & ad ſtipulatur iiſdem ferè verbis Auguſtinus lib. 9. Confeſſ. cap. 7.* Eatenus enim non admittit pſallendi normam a S. Miroclete inſtitutam, quatenus ex Paulini, & Auguſtini verbis conſtat fuiſſe a S. Ambroſio inductam. Vndè iterum *ibid.* §. 6. ſic: *Quippè antè Ambroſium ideſt ab exordio naſcentis Eccleſiæ certis diebus, & horis Fideles conueniebant in Eccleſiam ad audiendas lectiones, & pſalmos recitandos: ſed hæc recitatio apud Mediolanenſes abſque cantu fiebat antè Ambroſium, qui tamen fortaſsè illius ordinis diſciplinam certis legibus adſtrinxit.* Et quidem adeò rem declarant iam conſiderata Auguſtini verba, & ſignanter *Tunc hymni & pſalmi, vt canerentur, inſtitutum eſt*, vt nec Thomaſſinus ipſe inficietur, vt videre eſt *ſup. num.* 503. dum dixit, *Auguſtini verba id magis ſuadere videntur, inſtitutum tunc primò fuiſſe cantum ipſum.*

## §. VII.

### *Idem iterum ex eod. S. P. euincitur.*

529 PRodeat nunc ſextum fundamentum, ſeù ritus ab Ambroſio primò in Mediolanenſi Eccleſia inſtituti in alias Occidentis Eccleſias dilatatio: *Et ex illo in hodiernum diem retentum multis iam, ac penè omnibus gregibus tuis, & per cæteras partes Orbis imitantibus*; & Paulinus: *Cuius celebritatis deuotio vſque in hodiernum diem non ſolum in eadem Eccleſia; verum per omnes penè Occidentis Prouincias manet.* Nam & hunc ritum, ipſam iam inſinuatam pſallendi normam eſſe elicio. Primò, quia conſtat ritum concinendi hymnos ab Ambroſio inductum in omnes alias Eccleſias deriuaſſe, vt ex S. Iſidoro, Rabano Mauro, Genebrardo, Guilelmo Durando, Io: Caramuele, & Benedicto Hæfteno (vt alios, qui adduci poſſent, omittam) iam vidimus *num.* 448. & 453. Quod vtique intelligendum eſt non tam de hymnis ipſis, quam de modo eos concinendi, cum ex diuerſitate metri diuerſam ſibi vindicent cantilenam. Secundò, quia ex Radulpho Tungrenſi, vt pariter dictum eſt *num.* 513. habemus, quod, vbi cantus antè Ambroſium *non erat vniuerſaliter in Eccleſiam Dei introductus; poſtmodum tempore Theodoſij iunioris, prout in Vita S. Ambroſij legitur, in Eccleſia Mediolanenſi cantus, & hymni cæperunt frequentari; Et tempore ſucceſſiuo à B. Ambroſio apud Latinos, & ad Miſſam, & ad alias horas diuinas cantus*

*publi-*

*publicus cum hymnis metricis eſt introductus*. Quo apertè dignoſcitur, ipſam canendi formam, de qua Tungrenſis, in alias indè Eccleſias deriuaſſe.

530 Sed ad quid hæc, cum res ipſa ità demonſtrat, ſeù cum cantus harmonicus, hoc eſt cum notulis ad concinnitatem compoſitus ſit ſubindè ab alijs Eccleſijs communiter receptus; nec ſatis ſuaderi poſſit, quod antè Ambroſium in Latina Eccleſia obſeruaretur, loquendo ſemper de cantu cum notulis modulato? Quod adeò mihi probabile, ne certum dicam, vt ſubdere non verear, & ipſam Romanam Eccleſiam pſallendi formam tunc à Mediolanenſi hauſiſſe; vt non obſcuris verbis affirmat Chriſtianus Lupus in *Concil.* dum vbi *part. 2. in Schol. ad Can. Trullen. 75. pag. mihi* 1013. ex ſupradictis Paulini, & Auguſtini verbis id ſolum veriſimile putauerat: *Quibus verbis quidam exiſtimant morem Mediolano Romam quoque migraſſe. Eſt admodum veriſimile*; ſubindè *part.5. in Not. ad Decret. IV. primi Concil. Roman. ſub Gregor. VII. pag. mihi* 51. abſolutè aſſeuerauit, dicens. *Certum Romanæ Eccleſiæ nobiliores ritus eſſe à S. Petro Apoſtolo datos, non ab alijs Eccleſijs mutuatos. Quod tamen hymnorum vnà cum pſalmis canendorum ritum ab Orientali Eccleſia acceperint & S. Ambroſius, & ipſa Roma, teſtatur in Confeſſionum libris S. Auguſtinus*. Senſus enim eſt, quod Romana Eccleſia ab Orientali acceperit per S. Ambroſium, qui primò ſecundum ritum Orientalium canendi formam in ſua inſtituerat Eccleſia, vt dictum eſt, & ſatis explicatum ex Auguſtino.

531 Hanc tamen differentiam ſubnecto, quod vbi cantus Orientalis, & Mediolanenſis Eccleſiæ ſuauiorem reddit concentum, & ſigillatim vbi Mediolanenſis eleuatior eſt; & ſuauitatem, & vocem in ſuo cantu quadam grauitate mitigauerit Romana; prout quoad concentum Baronius ad *d. ann.* 60. & eiſdem Baronij verbis Nebridius a Mundelheim *loc. cit. epiſt.* 72. & Carrier. *loc ſup.* vbi de Orientali, & Alexandrina loquuntur Eccleſia: *Romana Eccleſia mediam ſecuta viam nec ſimplicitatem Alexandrinam, nec Orientalis Eccleſiæ ſuauiori concentu compoſitos numeros in omnibus amplexata, ſic temperauit vtrumque, vt miram quamdam cum ſuauitate adiunxerit grauitatem*. Et quoad vocis moderationem ex Radulpho Tungrenſi *ead. propoſ.* 12. ibi: *Officium enim Ambroſianum ad Nocturnos, & Matutinas, atque Veſperas, laudes, nec non ad Miſſam habet ſolemnem, & fortem cantum, omninò alium* (intellige fortiorem) *à Romano, quem hodierna die ſonora, & forti voce ſeruant Clerici Ciuitatis, & Diœceſis Mediolanenſis. Et exindè apud Romanos B. Gregorius, & Vitalianus Papa cantum Romanum receperunt, qui per eos, ſeù per alios ſub tenore, & tono, qui hodiè cantatur, extitit magis planè dulcoratus, & ordinatus*. Quæ quidem differentia nullatenus impedit, quin a Mediolanenſi Eccleſia cantum modulatum receperit Romana, cùm ipſa non obſtante adhuc ſubſiſtat, quod ex ea fuerit concentum, licet non in omnibus,

bus, *amplexata*, vt benè Baronius; & *exindè apud Romanos cantum Romanum receperunt*, vt notat Tungrenſis. Quod ad rem ſatis eſt.

532 Ex quibus, patet Baronium ipſum, vbi *ibid.* dixit: *Non ſic Romana Eccleſia ab Orientali Eccleſia mutuata eſt modum pſallendi, cum iam ab ipſo inſtitutæ Sedis exordio pſalmorum cantus in eadem coaluiſſet Eccleſia*, de cantu ſimplici intelligendum, quod ſcilicet à ſui origine plana, & ſimplici pſalmodia vſa fuerit, ne (omiſſis alijs, quibus hoc probari poteſt, rationibus) contrarius ſibi videatur; cum quoad concentum, ſeù harmonicè canendi ritum ſubdiderit, Eccleſiam Romanam Orientalium ſuauitatem, licet non in omnibus numeris, fuiſſe amplexatam; Vndè verborum: *Non ſic Romana Eccleſia, &c.* ſenſus eſt, non quod mutuata non fuerit, licet non in omnibus, ſed quod non ſit mutuata eodem modo, quo ſub Ambroſio mutuata eſt Eccleſia Mediolanenſis, quæ totum ritum melodicè canendi Orientalium recepit iuxta ipſum Baronium, vt vidimus.

533 In Orientali itaque Eccleſia cantus hic incæpit. Indè in Mediolanenſem Ambroſius induxit. Ad Romanam tranſijt, moderatior tamen; & poſteà ad alias Occidentis Eccleſias eſt feliciter deuolutus, vt enarrare proſequitur Tungrenſis *ibid.* ſtatim ſubdens: *Romanus iſte Antiphonarius* (ſic vocat canendi diſciplinam, de qua immediatè loquutus fuerat, ſicut & intelligit Amalarius in *Prolog. ad lib. de Ordin. Antiphonarij*) *deindè in Franciam tempore Pipini per Stephanum Papam delatus fuit, vt dicit Valafridus* (ſcilicet *cit. cap. 25.*) *& tempore Caroli Magni in Allemania publicatus.* Sicut & etiam in Angliam, vt refert Thomas Valdenſis *d. tit. 2. cap. 19.* vbi ad rem noſtram hæc eius verba *num. 5.* conſideranda: *Quod autem iam dixerat Auguſtinus, quod penè omnes greges Chriſti cæperunt habere tunc pſallendi regulas, refert mea, qui Anglus ſum, dicere qualiter in Eccleſiam Anglicanam emerſit.* Et ſtatim modum, quo illa Eccleſia cantum ſuſcepit, ex Beda deſcribit. Conſideranda inquam, quià mirificè Auguſtini dictum, *multis iam, ac penè omnibus gregibus tuis, & per cæteras partes Orbis imitantibus*, intelligendum oſtendunt de cantu per vocis inflexiones ad concinnitatem compoſito; & cantum hunc ab Ambroſio inductum ad alias Eccleſias promanaſſe.

534 Nec ad huius rei veritatem puto requiri, quod omninò eadem, & cum eiſdem modulis norma Mediolanenſis Eccleſiæ fuerit ad alias Eccleſias abſque alteratione delata; cum non ſit meo iudicio, qui ad id ſatis eſſe non admittat, quod inibi primò modulationis, ſeù cantus forma incæperit, licet ad alias cum aliqua variatione efluxerit, vt pluribus inductionibus ſuaderi poſſet. Præterquam quod & ipſum cantum Ambroſianum apud alias Eccleſias vſitatum habemus ex eo, quod de Carolo Magno ſcribit in eius Vit. Guaguinus apud Dimocharem *d. lib 4. cap. 12. pag. mihi 40. col. 2.* ibi: *Cum verò de rebus Diuinis, & VARIO CANENDI GENERE Sa-*

ſacerdotes diſceptare audiſſet, propterea quod Ambroſianum illo tempore, atque Gregorianum morem promiſcuè Clerus obſeruabat, obtinuit, vt Gregoriano reliquus Orbis, Ambroſiano Mediolanenſis Eccleſia vteretur. Et adeò certum eſt, vt propterea fuerit iuxtà Leonis Oſtienſis in Chronic. Caſſinen. lib.2. cap.97. fidem, & teſtatur Ioannes Mabillon Muſei Italici tom.2. part.1. pag. CXXVIII. num.2. Caſſinenſibus prohibitus per Stephanum Papam IX. qui (vt in not. ad Cap. 100. d. Chronic. num. 1222. obſeruat Angelus de Nuce) de 1058. obijt. *Tunc etiam & Ambroſianum cantum in Eccleſia iſta cantari penitus interdixit*; quod actum non fuiſſet, ni ſupponeretur inibi antea vſitatus; Quæ ſatis ſunt, vt & ipſe Ambroſianus cantus dicatur ad alias Eccleſias diffuſus. Sed eſtò non idem omninò vbique obſeruatus, ſufficit ad rem, quod Mediolani cantus incæperit, & indè ſuum, licet cum aliqua varietate, aliæ deſumpſerint Eccleſiæ, vt ex Caroli a Baſilica Petri *loc. cit.* obſeruatione non obſcurè deducitur; ſic enim ipſe: *Quod autem Auguſtinus, & Paulinus, item & alij ritum hunc hymnorum, pſalmorumque canendorum ab Eccleſia Mediolanenſi in alias quoque occidentales Eccleſias manauiſſe enarrant; ità accipiendum eſt, vt ad id tempus tamen aliquam cantus Eccleſiaſtici rationem habuerint, ſed ſimpliciorem* (ſeù vt pluries obſeruatum eſt, ſine nota) *Græci enim modi paulò videntur fuiſſe liberiores; nam alioqui cantus* (hoc eſt ſimplicis) *originem ad Apoſtolos in occidentali quoque Eccleſia ex certis auctoribus referre magni negotij non eſt. Cantus verò, de quo hic agimus* (ſeù quem Auguſtinus, & Paulinus Mediolano ad alias dicunt effuſum Eccleſias) *ſine dubio ille eſt, quem firmum dicimus; hunc enim, quo pleraque nunc Eccleſiæ vtuntur, artificioſo vocum concentu, tantaque, mollitie veteres non admiſerunt. At licet aliæ Eccleſiæ firmum illud canendi genus à Mediolanenſi acceperint, diuerſum tamen cantum ſecutæ ſunt, ſicut hodiè quoque percipitur*; quibus innuitur cantum cum notis, etſi non eodem modò ſeruetur nunc in alijs Eccleſijs ſicuti Mediolani vigebat, aut viget, reuerà tamen illum eſſe, qui iuxtà S. Auguſtinum, & Paulinum eſt Mediolano ad alias diffuſus Eccleſias.

535 Cum ergò omnia ſupradicta Auguſtini verba. 1. de hymnorum inſtitutione. 2. eorumdem, & pſalmorum cantu. 3. ad morem Orientalium partium. 4. ob populi ſolamen, 5. cauſa perſecutionis Arianæ, & 6. etiam hæc vltima de extenſione per Orbem *per cæteras, partes Orbis*, de cantu, vt ſuprà explicatum eſt, modulato verificentur, non video quid amplius exigatur, vt poſſit firmiter affirmari, ab Ambroſio pſallendi formam tunc primò in Mediolanenſi Eccleſia adinuentam.

§. VIII.

## §. VIII.

### *Aliud, & efficacius ex eod. S. P. argumentum.*

536 SEd iam tandem euidentiori, adeòque efficaciori vtamur argumento. Ait idem Auguſtinus *ibid.* ad ſuaues Mediolanenſis Eccleſiæ cantus ſe ſæpius intrinſecè commotum fleuiſſe: *Quantum fleui in hymnis, & canticis tuis ſuauè ſonantis Eccleſię tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat indè affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & benè, mihi erat cum illis.* Et rurſus *lib.*10. *Confeſſ. cap.* 33. *Verumtamen cum reminiſcor lachrymas meas, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ in primordijs recuperatæ fidei meæ.* (Vbi corrigendus videtur Marcellus Francolinus *loc. ſupr. cap.*3. *num.* 12. dum putat id accidiſſe Auguſtino eo tempore, quo Cathecumenus erat, cum reuerà hæc euenerint poſt eius baptiſmum, vt ſatis ſignificant verba *recuperatæ fidei meæ*, & intelligere videtur Valdenſis *d. tit.* 2. *cap.*18. *num.*14. & expreſsè Franciſcus Biuarius *eod.* §. 7. *num.* 93. Caracciolus in *Synopſ. Rit. vet. Relig. part.*1. *not. ad cap.*1. §.13. & Ioannes Mabillon. *Diſquiſit. de Curſu Gallican. num.*14.) Dubium autem nullum eſſe poteſt, quin cantus, qui eum ad huiuſmodi lachrymas ſæpè excitauerat, fuerit cantus ad ſuauitatem artificiosè inſtructus, ſeù ob notularum varietatem modulatus, vt clarè eius verba tum ſupraposita *in hymnis & canticis ſuauè ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus*, tum *cit. lib.*10. *cap.*33. *In primordijs recuperatæ fidei meę. Et nunc ipſe commoueor non cantu, ſed rebus quæ cantantur, quum liquida voce, & conuenientiſſima modulatione cantantur, magnam inſtituti huius vtilitatem rurſus agnoſco. Ità fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum ſalubritatis, magiſque adducor, non quidem irretractabilem ſententiam proferens, cantandi conſuetudinem approbare in Eccleſia, vt per oblectamenta aurium animus in affectum pietatis aſſurgat*; Vndè Io: Mabillon. *d. Diſquiſit. num.*13. ſic: *Denique cantum* (Mediolanenſis ſcilicet Eccleſiæ) *cum ſuauiuocum modulatione coniunctum fuiſſe idem* (Auguſtinus) *teſtatur in lib.*10. *Confeſſ. cap.* 33. Et ità interpretantur omnes, qui de cantu Eccleſiaſtico ſcribunt, dum ad eius in Eccleſiaſticis Officijs conuenientiam probandam, has Auguſtini ad canentis Eccleſiæ concentum lachymas, & hunc eius de cantus eiuſdem comprobatione ſenſum adducunt in exemplum; & ità concorditer, vt vanum cenſeam, quem nominatim allegare.

537 Ergò, infero modò, & euidenter; Ritus, quem circà cantum in Mediolanenſem Eccleſiam induxit Ambroſius, fuit ſpecialiter cantus harmonicus, ſeu, quem iuxtà varietatem notularum modulatum, & Eccle-

ſiaſticum vocamus. Et patet conſequentia, quia cantus ille melodicus, ob cuius ſuauitatem commotus lachrymas fundebat, vt dictum eſt, Auguſtinus, paulò antè ſub Ambroſio cœperat, vt ipſemet Auguſtinus *lib. 9. cap.* 7. immediatè proſequitur: *Non longè cœperat Mediolanenſis Eccleſia genus hoc conſolationis, & exhortationis celebrare magno ſtudio fratrum concinentium vocibus, & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multò amplius, cum Iuſtina &c. Tunc hymni, & pſalmi vt canerentur ſecundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt.* Cum ergò per annum antecedenter ea forma modulatè canendi, quam genus conſolationis vocat Auguſtinus, vt notat Biuarius *cit. cap.* 4. *§.* 7. *num.* 94. *fin.* occaſione perſecutionis Arianorum in Mediolanenſi Eccleſia cœperit, quis mihi ſuadere velit, non tunc primò ab Ambroſio inſtitutam?

538 Vidit vim argumenti Baronius, & propterea ad *ann.* 387. idem & ipſe affirmauit: *Haud enim pridem eiuſmodi hymnodiam cœpiſſe in Eccleſia Mediolanenſi S. Auguſtinus, qui eam audiebat, & ipſius concentu magnopere demulcebatur animo, teſtatur his verbis: Quantum fleui*, cum reliquis quæ ſequuntur. Quod & ſenſiſſe videtur S. Thomas, dum 2. 2. *q.* 1. *art.* 2. ex his Auguſtini verbis cantum Eccleſiaſticum infert ab Ambroſio inſtitutum; ibi: *Sed contrà eſt, quod B. Ambroſius in Eccleſia Mediolanenſi cantus inſtituit, vt refert Auguſtinus lib. 9. Confeſs.* Et poſtremò confirmauit Io: Baptiſta Ruſca in M. S. *de Cantu Eccleſiaſtic.* in Biblioth. Ambroſian. *cap.* 46. dum ad eadem verba, *Quantum fleui &c. Cum reminiſcor lachrymarum &c.* ſic: *Ita ille* (ideſt Auguſtinus) *de cantu Mediolanenſis Eccleſiæ, quem S. Ambroſius eius Epiſcopus inſtituerat.* Quorum ſententia mihi ſatis pro hoc argumento.

## §. IX.

### *Examen primæ ſententiæ, vbi fuſè de antiphona.*

539 ALias modò opiniones perpendamus. Et quoad primam de cantus alternatione parum mihi videtur ſubſiſtens; obſtat enim primò, quod cantus alternatus etiam in Latina Eccleſia videtur Ambroſio antiquior. Vndè Bellarminus de *Bon. oper. in partic. lib.* 1. *cap.* 14. *verſ. fin.* cum dixiſſet ex S. Iſidoro, S. Ambroſium apud Latinos huiuſmodi cantum primò introduxiſſe, ſic Iſidorum explicat: *Sed hoc de ſolo Officio Eccleſiaſtico accipiendum videtur. Nam in Sacrificio Miſſæ pſalmum alternatim canendum tradit Cœleſtinus Papa, vt in eius vita legimus;* & poſteà ſubdit: *Abſolutè autem vſum alternatim canendi pſalmos apud Latinos antiquiſſimum eſſe perſpicuum eſt ex Tertulliano, qui lib. 2. ad Vxorem extremo*

dicit,

*dicit*, *Pſalmum inter duos ſonare*. Quod non eneruatur per hoc, quod Io: Stephanus Durant. de *Rit. Eccl. Cathol. lib. 3. cap.* 17. *n.* 5., & Theophylus Raynaud *tom. 7. in Prælud.* 2. *ad tract. de O. Paraſceuaſt. nu. 6.* ſcripſerint, intelligendum Tertullianum, vel de priuata pſalmodia, vel de pſalmodia alternata vnius pſalmi ex vna parte, & alterius ex altera, quia verba Tertulliani, quæ ſunt: *In Eccleſia Dei pariter in anguſtijs, in refrigerijs neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri grauis eſt. Liberè æger viſitatur, indigens ſuſtentatur, eleemoſinæ ſine tormento, ſacrificia ſine ſcrupolo, quotidiana diligentia ſine impedimento; ſonant inter duos pſalmi, & hymni, & mutuò prouocant, quis melius Deo ſuo canat*, apertè, & proprius explicantur de publica recitatione in Eccleſia Dei, ſicut & ſacrificia, quæ & tunc publicè fiebant, & de reciprocatione eiuſdem pſalmi, & hymni potius quam diuerſorum, vt interpretatur Card. Bona de *Diuin. pſalmod. cap.* 16. *num.* 2. Et ſignanter in Eccleſia Mediolanenſi, cum alternatæ pſalmodiæ inibi auctorem S. Caium tertium Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopum velint præter Io: Franciſcum Beſutium in *Hiſt. Pontifical. Mediolanen. §.* 4. Ioſephus Ripamontius, & Placidus Pucinellus, vt dicitur *nu.* 572. Quo ſtante non poteſt dici S. Ambroſius alternati cantus auctor.

540 Obſtat ſecundò, quod nullum ſit, vel adduci poſſit fundamentum certum ſtabiliendi, in quo conſiſtat alternatio cantus, quam à S. Ambroſio inductam volunt; an in hoc, quod populus alternatim cum Clero, an mulieres alternatim cum viris; an vnus chorus Cleri reciprocè cum altero eiuſdem Ordinis choro canerent; an eumdem pſalmum repeterent, vel vnum vni, alterum alij, vel an verſiculos alternarent. Pro nullo enim ex his apparet ſpecialis ratio. Quo fit, quod neque probari queat, inductam ab ipſo cantus alternationem; quin quod maius ſit fundamentum dicendi totum populum ſimul concinuiſſe, non verò alternatim, ob verba Auguſtini *magno ſtudio fratrum concinentium*, quæ ſimultaneum cantum exprimunt.

541 Corruunt inſuper fundamenta; & quidem primum ſumptum ex ſuppoſita S. P. Auguſtini auctoritate, qua ad huiuſmodi in pſallendo reciprocationem a S. Ambroſio procedere probandum vtuntur Io: Stephanus Durant. *d. cap.* 17. *nu.* 4. Francolin. *eod. cap.* 3. *nu.* 8. Macignus *cit. cap.* 59. *num.* 56. Suarez de *Relig. t.* 2. *lib.* 4. *cap.* 12. *nu.* 1. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *col.* 1197. Gauantus *Sect.* 5. *cap.* 8. *n.* 16. Anacletus Siccus *loc. ſupr. lib.* 1. *cap.* 4. Theophyl. Raynaud. *eod. loc. prælud.* 1. *nu.* 5. Dominicus Magrius in *ead. Not. Vocab. Eccl. verb. Antiphona*, Thomaſſinus *d. p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 37. *nu.* 4. Scheuicauius de *Eccleſiaſtic. vita, & morib. lib.* 1. *cap.* 55. Baldellus *Theol. Moral. t.* 2. *lib.* 3. *diſp.* 33. *num.* 15. dum omnes, & etiam alij, huius rei teſtem vocant Auguſtinum. Pace namque tantorum virorum, quorum calceamenta ſoluere non ſum dignus, non video, vbi hoc dixerit Augu-

ſti-

ſtinus. Lego quidem *ſecundum morem Orientalium partium*: Sed de cantus alternatione nullum indè inditium. Etſi dicatur, talem canendi formam in Orientalibus Eccleſijs vſitatam. Benè: ſed hoc non dixit Auguſtinus; & aliud eſt Auguſtinum hoc dicere, & aliud ità Auguſtini mentem interpretari: Quin nec ſic aſſeueranter interpretanda; cum namque in eadem Eccleſia Orientali æquè vigeret, vt oſtenſum eſt, cantus modulatus, nulla maior ratio, cur de cantus alternatione, non verò de eiuſdem modulatione ſint accipienda eius verba. De hac autem nos ea intelligenda dicimus, quia talis interpretatio magis cohæret, & concordat cum alijs eiuſdem verbis, quæ, vt vidimus, non niſi de cantu modulato poſſunt verificari.

542 Corruit & ſecundum deſumptum à ratione antiphonarum, quas S. Ambroſium inſtituiſſe ex Paulino certiſſimum eſt; quia (omiſſo quod non ſufficienter conſtet, quid ibi Paulinus intellexerit pro antiphona, cum *nomen antiphonæ generaliter de pluribus dicatur*, vt ſcribit Tungrenſis *cit. propoſ. 12. litt. G.*) cantus alternationem argumentari ex vocis *antiphonæ* ſignificato, eſt rem ſecundum corticem conſiderare, vt notat Theophilus Raynaud. *loc. cit. prælud. 1. n. 1. & prælud. 2. num. 2.* Neque, ſalua reuerentia tot inſignibus viris debita, probare poſſum, quod componere antiphonas, vel dicere, ſit alternatum cantum inſtituere, vel alternatè canere. Non nego, quod canere antiphonatim, vel canere per antiphonas poſſit importare cantum alternum, vt & Bellarminus ſcribit *loc. ſupr. cap.* 14. quia his loquendi modis quid plus videtur ſignificari, quam antiphonam canere, vel dicere. Sed non ità loquutus eſt Paulinus de Ambroſio, de cuius ſenſu ſic in *cit. Tract. de Ritib. Eccleſ. Mediolan.* Carolus à Baſilica Petri: *Aut potius dicemus Paulinum id intellexiſſe, quod ab antiquis temporibus Eccleſia antiphonæ verbo intellexit, hoc eſt verſiculos, quos diuerſi Chori canentes repetunt; nam veriſimile eſt Paulinum ad Græcum ſermonem* (ſeu ſignificatum) *minimè reſpexiſſe; quem etiam latinè aliter expoſuiſſet, ſi id voluiſſet ſignificare, quod Socrates*, ideſt, ſi per antiphonam intellexiſſet alternationem, de qua Socrates. Antiphona ergò ſecundum rem accepta eam ſententiam ſignificat, *quæ toti pſalmo præmittitur, & in pſalmi clauſula iteratur, non iam alternatim, ſed coniunctim omnibus concinentibus*, per Raynaud. *ibid.* Vndè Antonius Perez in Regul. S. Benedicti *cap. 9. num.* 10. ſic præfatam explicationem excludit: *Sed certè cum nihil minus, quam antiphonæ alternatim à duobus choris cantentur, quià hoc proprium tantum eſt pſalmorum, hymnorum, & ſimilium: non verò antiphonarum, quæ ſimul, & alternatim ab vniuerſo choro cantantur, neſcio quale hoc ethymon Antiphonarum ſit.*

543 Addunt alij non ſolum ſententiam, quæ pſalmo præmittitur, & poſt illum ab omnibus repetitur, ab antiphona ſignificari, verùm & melodiam, ſeù formam cantus in pſallendo pſalmo obſeruandam. Sic enim

*lib.*

*lib.* 4. *de Eccleſ. Offic. cap.* 7. Amalarius: *Antiphona dicitur vox reciproca; incboatur ab vno vnius chori, & ad eius ſymphoniam pſalmus cantatur per duos choros. Ipſa enim, antiphona coniunguntur duo chori.* Et ex parte conſentit Tungrenſis *ead. propoſ.* 12. dicens: *Omnis autem cantus Eccleſiaſticus conſiſtit in antiphonis, ſuper quas pſalmi canuntur.* Sed quo ad omnia Guilelmus Durand. in *Rational. Diuin. Offic. lib.* 5. *cap.* 2. *à num.* 26. *& ſeq.* ſic ſcribens: *Dicuntur autem antiphonæ reſpectu ad pſalmodiam, cui reſpondent. Rectè igitur ſecundum eius tonum pſalmodia pſalmi informatur; Incboatur quoque ab vno vnius chori, & finitur à pluribus vtriuſque chori.* Item Io: Stephanus Durant. *eod. lib.* 3. *cap.* 17. *fin.* Francolinus *cit. cap.* 3. *num.* 21. Bellarmin. *d. cap.* 14. §. *Antiphonæ.* Azorius *eod. lib.* 10. *cap.* 15. Suarez *loc. ſupr. cap.* 2. *n.* 18. Macignus de *Hor. Canonic. cap.* 33. Gauantus *ſect.* 5. *cap.* 7. *num.* 1. Hæſtenus in *Diſquiſit. Monaſt. lib.* 7. *tract.* 4. *diſq.* 3. Cardinal Bona de *Diuin. Pſalmod. cap.* 16. *num.* 1. Theophilus Raynaud. *ibid. prælud.* 2. *num.* 1. *&* 3. Ioann. Caramuel. *Theol. Regul. nu.* 1135. Tancredus de *Relig. t.* 3. *tract.* 3. *lib.* 4. *diſp.* 1. *num.* 13. Iacobus Bayus de *Inſtit. Chriſtian. Relig. lib.* 4. *cap.* 12. §. *Antiphona*; tenetque Iacobus Marchant in *Virga Aron. tract.* 3. *lect.* 17. *tit. de Reſponſor. & antiphon.* Io: Baptiſta Rubeus in *nou. Rational. Diuin. offic. lib.* 3. *cap.* 7. & Antonius Perez *loc. ſupr.* cuius ſolum verba refero: *Sententias illas, quæ pſalmos antecedunt, & cantica, vſu vocari antiphonas, non quia alternatim à diuerſis choris cantentur: ſed quia ſunt claues, & indices, ad quorum modulationem, ac ſonum ſequens canticum, pſalmuſue alternatim cantatur. Tonus enim totius pſalmi ex tono antiphonæ ſumitur.*

544 Vbi etiam ad omnem ſcrupulum remouendum, non prætereundum, quod vbi dicitur, antiphonam vocis reciprocationem, ſiuè ſonum reciprocum, aut contraſonantem ſignificare, non exigi ad huiuſmodi ſenſus veritatem, quod antiphona alternationem inter Choros importet, ſed æquè bene haberi ſonum reciprocum per hoc, quod antiphona in fine pſalmi repetatur, vt ex ſuprapoſitis Amalarij verbis colligit Gauantus *ibid.* dicens: *Amalarius vocem reciprocam interpretatur, quia incboatur ab vno vnius chori, & ad eius ſymphoniam cantatur pſalmus per duos choros, ipſaque antiphona coniunguntur ſimul duo chori.* Sed clarius Hæſtenus *loc. cit.* ſic eumdem Amalarium explicans: *Dicitur ergò antiphona, ideſt vox ex aduerſo reſpondens, non quod chorus choro reſpondeat, ſed quod ipſa ſententia, vel breuis gnome, quæ pſalmo præcinendo præponitur, & integrò poſt pſalmum decantatur, quaſi ex aduerſo pſalmis reſpondeat.*

545 Ex quibus ſic prælibatis apparet, ex antiphonis ab Ambroſio inductis non tutè deduci cantus alternationem; non quidem ex primo antiphonæ ſenſu, quod ſcilicet ſit ſententia, quæ pſalmo præponitur, vt patet, & quod magis congruit Paulini verbis: *Hoc in tempore primùm antiphonæ, hymni in Mediolanenſi Eccleſia celebrari cæperunt*; ſignificant namque

que potius res, quæ decantari cæperunt, quam modum in eis concinendis obſeruatum. Neque ex ſecundo, quia potius hinc infertur inſtitutus ab Ambroſio melodiæ modus in pſalmorum recitatione retinendus; Licet enim pſalmi ſub ea antiphona decantandi alternatim dicantur, id prouenit ex ſpeciali inſtituto modi pſalmos verſiculariter canendi, non verò ex ratione antiphonæ; quæ per ſe propriè ſignificat ſententiam cum tono in pſalmorum decantatione ſeruando, vt vidimus.

546 Nec dicatur, rem nunc quidem ità ſe habere, quod antiphona iuxtà modò datas explicationes accipiatur, non ſic tamen antiquitus, quo tempore alternationem propriè ſignificabat. Quia ſenſus, quem illi nunc damus, nouus non eſt, ſed vetuſtus, vt inſinuat Raynaud *ibid. prælud.* 1. *nu.* 1. dum data antiphonæ ex vocis ſignificatione de cantus alternatione intelligentia, ſeù explicatione, alteram, quam nuper dedimus de *ſententia pſalmo præpoſita &c.* prolaturus, præfatur dicens: *Nunc autem, ac etiam olim*, ſignificans hunc ſenſum antiquum. Sed expreſsè Suarez *d. cap.* 2. *num.* 18. ſic: *Quam verò ſit antiquus hic vſus antiphonæ ſub hoc ſenſu* (ſeù quod ſit ſententia pſalmo præpoſita ad cuius tonum &c.) *nec ipſe Amalarius dicit, nec ab alijs adnotatur, Inuenio tamen illius mentionem antè mille centum annos in Concilio Agathenſi cap.* 30. Quin & ipſe S. Benedictus in ſua antiqua Regula *cap.* 9. in illis verbis: *Deindè ſex pſalmi cum antiphonis*; dum *cap.* 11. ea per hæc alia verba ſic explicat, *idest modulatis, vt ſuprà diſpoſuimus, ſex pſalmis*, intelligens vtique nomine antiphonæ modulationem, ſeù, vt cum Bernardo Caſſinate explicat ad *d. cap.* 11. Edmundus Martene, *ad antiphonæ tonum decantatis*. Et cur ergò non hoc, & tam antiquo ſenſu accipiendæ antiphonæ à S. Ambroſio iuxtà Paulinum inuentæ?

547 At quid vlterior mora? En clarè rem ex ipſa Mediolanenſi Eccleſia, in qua pariter antiphonæ ſunt ſententiæ illæ, quæ pſalmos præcedunt; vndè Io: Baptiſta Rubeus *cit. cap.* 7. ſic de Ambroſianis antiphonis: *Antiphona in ſingulis horis ex inſtitutione B. Ambroſij dicuntur autem antiphonæ reſpectu ad pſalmodiam, cui reſpondent*. Sed & antè illum (& quo res clarè aperitur) ita in libello, cui titulus, *Speculum Matutinale Officij iuxtà morem B. Ambroſij*, vnà cum Breuiario Ambroſiano opera Petri Caſolæ de 1490. impreſſo, in Bibliotheca Ambroſiana *Codic.* 506. & Theodoro II. Mediolani Archiepiſcopo adſcripto: *Antiphona dicitur reciproca; ab ea enim pſalmus incipit, & in eamdem deſinit. Antiphona inchoatur ab vno vnius chori, & ad eius ſymphoniam pſalmus decantatur per duos choros. In vna ergò antiphona duo chori coniunguntur*. Et iterum in fine libelli: *Poſt hæc omnia Presbyter antè Altare incipit pſalmum præcedente ſalutatione, quem directum nuncupamus, & ſine antiphona canimus; idcircò etiam directum appellatur, quia neque ſecundum antiphonam tonus modulatur, neque verſiculatim choris alternantibus*; per quæ habemus in Eccleſia Mediolanenſi antiphonam eſſe

ſen-

ſententiam illam, ad cuius tonum modulandus eſt pſalmus, quando cantatur; facit namque magnam fidem huius antiqui libelli auctoritas, cum de ritibus Eccleſiæ Mediolanenſis ſpecialiter agat.

548 Licet enim dubitari poſſit, an reuera à præfato Theodoro compoſitus huiuſmodi libellus, eo quod in ipſo citetur Amalarius, qui iuxtà Bellarminum de Scriptoribus Eccleſ. *verb. Amalarius*, de 830. florebat, & de 820. ſcribebat iuxtà Melchiorem Hittorpium in *præfat. ad Volum. Scriptor. de Cathol. Eccleſ. offic, vbi de Amalario*; cum alias ipſe Theodorus antè 760. migrauerit; quapropter non eum præfati libellum auctorem opinatur Ioan. Petrus Puricellus in *Diſſertat. Nazarian. cap. 39. num. 24.* Cum tamen hic Theodorus, vt ſcribit Ioannes de Deis in *Succeſſorib. S. Barnabæ num.* 44. Ambroſianas cæremonias reparauerit: *Cæremoniæ à B. Ambroſio in Eccleſia Mediolanenſi ordinatæ, vel Paſtorum incuria deſierant, vel licentia Clericorum inoleuerant, vel denique non intellectæ cum intermitterentur, ipſe egregius rituum Ambroſianorum interpres* (Theodorus) *omnibus maturè conſideratis, ad priſtinum ſtatum omnia redegit*. Seù, vt in Tabella Archiepiſcoporum Mediolanenſium inter *Acta Mediolanen. Eccleſ. Tabell. 1. nu. 45.* notat Petrus Galeſinus *Matutini officij myſteria cæremoniaſque more Ambroſiano ſolemnes libro ſingulari enucleatè conſcripſerit*; vt & vlterius inſinuant Gualuaneus Flamma in *Manipul. Flor. cap. 115* & in *lib. de Archiepiſc. Mediol. ſub ann. 1339.* Petrus Caſola in *princip. eiuſd. libelli*. S. Carolus Borromeus in *Epiſt. ad Cler. Mediol. in Breuiar. Ambroſ. de 1582.* Franciſcus Beſutius in *Hiſt. Pontif. num. 45.* & alij apud eumdem Puricellum *ibid. num. 23.* non ſufficientem video rationem pro illi hoc non adſcribendo libello: ſed potius hinc fieri libertatem aſſerendi, quod ab aliquo poſteriore fuerit Amalarij auctoritas immixta. At etiam conceſſo, quod alter ſit eius libelli auctor, cum antiquus ille ſit, & paulò poſt Amalarium, & de ritibus Matutinalis officij iuxtà morem B. Ambroſij, non parum indè elucidatur, in Eccleſia Mediolanenſi, per antiphonam ſecundum originariam D. Ambroſij inſtitutionem, venire potius melodiam, & tonum in pſalmorum decantatione obſeruandum; adeòque & ex hoc capite ipſum fuiſſe, vt dicebamus, melodici cantus inſtitutorem.

549 Addi poteſt, quod antiphona ex ſui n[illegible]ra melodiam, hoc eſt cantum melodicum importat; *Eſt itaque antiphona quædam cantilena diuinis laudibus ad recreationem inſerta*, aiunt Guilelmus Durand. *d. cap. 2. num. 31.* & Ioannes Belethus in *Rational. cap. 25.* iuxtà quem, & antiquum ſenſum Amalarius in *Supplem. ad lib. 4. de Diuin. Offic.* apud Mabillon in *Analect. tom. 2. pag. 109.* [illegible] quens de S. Benedicti Regula *cap. 9.* ſcripſit: *Tertius autem pſalmus ſine modulatione antiphonæ in directo dicitur*; & poſt aliqua: *Inuitatorium æſtiuis diebus hebdomadalibus ſine modulatione antiphonæ ſolet dici*; ſentiens vtique idem eſſe modulatè canere, ac cum antiphona dicere,

ſeù ab antiphona modulationem importari.

550 Sed hoc melius ex ipſo S. Benedicto, qui non ſolum *loc. ſupr.* laudato ſed iterum, & pluries pro antiphona modulationem accepit; Et primò *d. cap. 9. eiuſd. Regul.* his in verbis: *Poſt hunc pſalmus nonageſimus quartus cum antiphona aut certè decantandus*, quæ apud Edmundum Martene in *Comment. ad d. cap. 9.* ſic explicant Bernardus Caſſinenſis *aut certè decantando ſupple in directum, & ſine antiphona*; Petrus Diaconus: *aut certè decantando ſine antiphona in directum*; & Paulus Auguſtinus à Ianua, ſiuè de Ferrarijs in *cap. 12.* obſeruans dictionem *de* interdum eſſe negatiuam, *vt idem ſit decantare, ac non cantare, ſed ſimpliciter ſine vocis modulatione recitare*. Deindè *cap. 12.* ibi. *Dicatur ſexageſimus ſextus pſalmus ſine antiphona in directum*, quæ pariter cum eodem Bernardo, & Boherio ſic interpretatur Martene: *Quid ſit dici ſine antiphona, exponit dicens, in directum, vt ibi nulla fiat certi toni modulatio*. Et clarius idem Paulus Auguſtinus per hæc verba. *Duæ igitur in Regula præſcribuntur pſallendi formæ. Prima cum antiphona, & hæc forma erat harmonica, nempè cum cantu, nam intonata antiphona, quæ erat tamquam clauis, & index toni, cæteri ad illius antiphonæ tonum pſalmum canebant. Alter modus eſt in directum, ſeù directaneè, & ſine antiphona, nempè ſine modulatione cantus. Cum enim in cantu harmonico vox modò flectatur, modò eleuetur, pſallere directaneè exaduerſo erit ſine flexione, ſed voce directa, & æquali in eadem linea*. Et tertiò *cap. 17.* ibi: *Si maior Congregatio fuerit, cum antiphonis: ſi verò minor, in directum pſallantur*, ideſt ſine antiphonis: *Veſpertina autem Synaxis quatuor pſalmis cum antiphonis terminetur. Completorium autem trium pſalmorum dictione terminetur, qui pſalmi directaneè ſine antiphona dicendi ſunt*. Super quibus ſic *Diſquiſit. Monaſt. lib. 7. tract. 4. diſq. 3.* Benedictus Hæftenus: *Voluit S. Benedictus per pſalmodiam cum antiphona deſignare eam officij Diuini partem, quæ fit cum nota, & melodico concentu: quod ipſe ſatis indicat; cum enim dixiſſet*, modulatis, vt ſuprà diximus, ſex pſalmis: *id ipſum paulò poſt exprimens dicit*: Poſt quas lectiones ſequantur ex ordine ſex alij pſalmi cum antiphonis, ſicut anteriores; *vndè manifeſtum eſt, cum antiphona pſallere, idem S. Benedicto eſſe, atque pſalmos modulari*. Et iterum: *Iam verò non erit difficile explicatu, quid ſit in directum pſallere, ſiuè directaneè, quod ipſe S. P. expoſuit ſine antiphona, hoc eſt ſine notis, modulatione, aut tono; ità vt æquali vocis tenore rectè omnia abſque aſcenſu, vel deſcenſu pronuntientur*. Quibus nihil aptius ad antiphonæ rationem dignoſcendam, importare ſcilicet modulationem; quæ ità illi propria videtur, vt propterea nunquam ſine modulatione canendas antiphonas ſcripſerit de *Antiq. Monachor. Rit. lib. 1. cap. 2.* idem Martene: *Porrò cum antiphonæ ſint quædam quaſi cantilenæ ad excitandam audientium deuotionem compoſitæ, non niſi cum nota, & ſuaui modulatione vocis debent cantari*.

551 Qua fortè de cauſa etiam liber, in quo deſcribitur norma modu-

landi

landi ſententias, quæ canuntur in choro, ab ipſa modulatione antiphonarius vocatur, vt deducitur ex Amalario in *Præfat. ad lib. Antiphonarij*, vbi de antiphonarijs, vt de libris ad cantum ſpectantibus loqui dignoſcitur; & ex Ioann. Diacono *lib. 2. Vit. S. Gregorij Papæ cap. 6.* vbi antiphonarium vocat librum ab eodem Sancto pro cantu Eccleſiaſtico compoſitum: *Propter Muſicæ dulcedinis compunctionem antiphonarium centonem Cantorum ſtudioſiſſimè, nimiſque viriliter compilauit, ſcholamque Cantorum, quæ hactenus in eiſdem inſtitutionibus in Sancta Romana Eccleſia modulatur, conſtituit.* Et admittere videtur Eccleſia Mediolanenſis, dum, prout *ſupr. num.* 547. in libello, ſeù ſpeculo Theodori legitur: *quia* (ſermo eſt de pſalmo, qui directus dicitur) *neque ſecundum antiphonam tonus modulatur*; Cum namque ſupponatur modulandus ad antiphonæ tonum pſalmus, nullum eſt dubium, quin & apud ipſam antiphona melodiam inuoluat.

552. Facit etiam ad hoc, quod legitur in Epiſtolis Pauli Sacerdotis, & Gebehardi Ratiſponens. ad Martinum Theſaurorum S. Ambroſij Custodem apud Mabillon. in *d. Muſeo Ital. tom. 1. part. 2. pag. 96. & 97.* & de 1024. vt idem Mabillon *ibid.* in obſeruationibus notat, conſcriptis; Et quidem in prima: *Impensè rogamus, vt transſcribi nobis faciatis Sacramentarium eiuſdem S. Ambroſij, cum antiphonario eius*. In tertia verò: *Verùm, quod interrogas, vtrum Antiphonarium cum notulis, vel ſine notulis habere velimus? nihil Ambroſianæ integritati nobis deeſſe volumus. Mitte ergo nobis Antiphonarium cum notulis &c.* Hinc ſiquidem etiam patet S. Ambroſij antiphonas notulas importare, & cum notulis ab ipſo fuiſſe compoſitas.

553 Ex quibus rurſus apparet per antiphonas, quas ab Ambroſio inſtitutas ſcripſit Paulinus, cantum ipſum melodicum, ſeù formam canendi cum notulis eſſe præcipuè intelligendam. Et ita verum videtur, quod etiamſi admittatur, antiphonas cantum alternatum importare, vel ipſas alternatè canendas; eo ipſo quod S. Ambroſius antiphonas inſtituit, neceſſe eſt, quod & modulationem, quæ antiphonæ principalior ratio eſt, inſtituerit; maximè ſpectato fine ſubleuandi populum a mærore; ad quem effectum, præciſa cantus melodia, parum, aut nihil conferre potuiſſet ſola cantus alternatio. Quapropter plures eorum, qui antiphonas ab Ambroſio in Mediolanenſi Eccleſia inuenta, dixerunt, contenti non fuerunt dicere, inſtitutum ab Ambroſio antiphonarum ritum: ſed de eis concinendis ſpecialem mentionem fecerunt, vt *num.* 506. Sigibertus: *Ambroſius ritum antiphonas in Eccleſia canendi.* Tungrenſis *num.* 513. *Ambroſius ritum antiphonarum in Eccleſia canendarum*; & Valdenſis *ibid. cap.* 20. *num.* 6. dum finem, & quomodo eas inſtituerit, indiuiduans, dicit: *Has enim* (ideſt antiphonas) *hymnis, & pſalmis immiſcuit, vt dulciſono carmine, & vario Dei domus effulgeret*; canendi inquam meminerunt, ad indicandum, in anti-

tiphonis ab Ambroſio inuentis melodiam primas partes habere; & meo iudicio, rectè, cum in verbis Auguſtini: *Quantum fleui in hymnis, & canticis tuis ſuauè ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus &c.* nullum alternati cantus inditium; ſicuti è contra magna modulati cantus expreſſio; & vt quid plus dicam, quin potius cum alternati cantus exclusione: *magno ſtudio fratrum concinentium vocibus, & cordibus*, cum concinere idem ſonet, ac vna ſimul canere.

## §. X.

### *Examen ſecundæ, vbi de Plebis cantu.*

554 ALtera pariter ſententia de cantu plebis in Eccleſia, ſuas etiam ipſa patitur difficultates. Licet enim hoc verum ſit, quod tunc populus in Eccleſia caneret, vt clarè aſſerit S. P. Auguſtinus: *magno ſtudio fratrum concinentium*; nihil tamen ibi in Auguſtino lego, ex quo poſſit erui, plebis cantum tunc incæpiſſe, & non antea vſitatum. De hymnorum, pſalmorumque cantu, quod tunc incæperit, apparet quidem: *Tunc hymni, & pſalmi, vt canerentur inſtitutum eſt*; ſeù tunc cantum ipſum melodicum incæpiſſe, vt iam oſtenſum eſt: Plebem verò tunc incæpiſſe concinere, ſeù in Eccleſia pſalmos, preceſque recitare, ex Auguſtino nullatenus elucet. Vndè non video, cur dici nequeat, plebem incæpiſſe tunc ſub Ambroſio canere cantu modulato, cum antea & ipſa planè pſallendo publicè oraret iuxtà ritum Eccleſiæ Latinæ, de quo Tertullianus *cap. 39. Apologetici: Coimus in cætum & congregationem, vt ad Deum quaſi manufacta precationibus ambiamus orantes. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro Miniſtris eorum, & poteſtatibus: pro ſtatu ſæculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Cogimur ad diuinarum litterarum commemorationem, &c.* & quam pluribus exornat, & de cætu in Eccleſijs explicat Pamelius in *d. cap. 39. à num. 499. & ſeq. & num.* 520. Quique ritus iam in Gallijs antè S. Ambroſium obſeruabatur, vt ex his S. Hilarij Pictauien. in *Pſal. 65.* verbis: *Audiat orantis populi conſiſtens quis extrà Eccleſiam vocem, ſpectet celebres hymnorum ſonitus &c.* argumentatur Bellarminus *d. lib. 1. de bon. oper. cap. 16.* dicens: *Certè teſtimonium ab Hilario adductum videtur omninò cogere, vt credamus in Gallia fuiſſe conſuetudinem, vt populus in Eccleſia caneret, etiam antè Ambroſij tempora.* Quo ſemper magis confirmatur ſtabilita concluſio, quod id, cuius primus auctor dicitur S. Ambroſius, fuerit cantus ipſe modulatus.

555 Sed omiſſo quod populus non caneret, & tunc ſolum cæperit, non apparet iuxta principia eiuſdem Thomaſſini, qui hanc ſententiam

tue-

tuetur, vt ex *ſupr. num.* 503. poſitis, & iterum *cap.* 73. *num.* 8. ibi: *Tunc* (loquitur de Iuſtinæ perſecutione) *certè, ne tædio, & mæſtitia animi plebs deficeret, cæptum eſt pſalmos cani, & à plebe cani*; non inquam apparet, quomodo de hoc plebis cantu verificari poſſint Auguſtini verba, *ſecundum morem Orientalium partium*, cum ipſe Thomaſſinus *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 71. *nu.* 4. 5. & 7. & *cap.* 72. *num.* 6. doceat, in Orientali Eccleſia per prima ſæcula populum non concinuiſſe; & quod longo tempore vnius tantum fuerit canere, aliorum verò, ſiuè Clericorum, ſiuè Laicorum audire; & Euſebij *lib.* 2. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 17. verba inſinuant: *Cum vnus quiſpiam modulatè, ac decenter pſalmum canere exortus fuerit, cæteri cum ſilentio auſcultantes, extremam dumtaxat hymnorum partem concinunt*. His enim ſuppoſitis non poteſt certè dici cantum plebis Mediolanenſi in Eccleſia ortum habuiſſe ab Orientali; tum quia ibi non vſitatus, tum quia cantus populi Mediolanenſis non in ſimplici, & finali reſponſione, ſed in ipſorum hymnorum recitatione conſiſtebat, cum ideò vt a plebe canerentur, eos a S. Ambroſio compoſitos ſufficienter habeamus ex dictis. Et cum non verificentur verba Auguſtini, nec dicendum, id, quod Ambroſius in ſua innouauit Eccleſia, fuiſſe permiſſionem factam Laicis in eadem canendi.

556 Scio eumdem Tomaſſinum *d. cap.* 72. *num.* 6. *fin.* ſentire, hunc ritum non canendi, aut pſallendi reſpectu plebis in Eccleſia, ad Diodori, & Flauiani, a quibus primò ex Theodoreto *Hiſt. Eccl. lib.* 2. *cap.* 24. alternatum pſalmorum cantum Antiochiæ inſtitutum refert, tempora ſolum perduraſſe. Sic ibi: *Conſtat enim donec iſtud Antiochiæ immutatum eſt, eos pſallere tantum in Eccleſia ſolitos, qui erant ex officio Cantores: Clericos autem cæteros non concinuiſſe, niſi ad finiendos pſalmos doxologin Gloria Patri, Amen, Alleluia. At præeunte Antiochenæ Eccleſiæ exemplo cæptum vbique illud eſt, vt populi ipſi pſalmos continerent*. Et huius moris nouitatem tantum temporis Ambroſium præceſſiſſe, quantum ſufficiens eſſe potuit, vt indè Ambroſius in ſuam Eccleſiam induceret, vt patet ex alijs eiuſd. Thomaſſini verbis *ſupr. num.* 503. Quo aperit ſibi viam ad ſoluendam obiectionem ex Auguſtini verbis, *Secundum morem Orientalium partium*, deſumptam.

557 Sed quomodò ſubſiſtere hoc poſſit non video, ſi verum ſit, quod *d. cap.* 71. *n.* 5. ſic ipſe habet ex Concil. Antioch. *can.* 15. 16. & 17. in margin. adductis. *Vetat Concilium Antiochenum* (puto Laodicenum, cum in Antiocheno apud Binnium huiuſmodi canones inuenire non potuerim; & alias in Laodiceno legantur) *ne quis in Eccleſia cantet, niſi legitimi conſtituti Cantores. Ergò nundum canebat in Eccleſia populus: imò ne cæteri quidem Clerici, & ſi vel maximè adeſſent*. Si namque per ipſum vſque ad dictum Laodicenum Concilium, quod iuxta nonnullos de 364. iuxta alios de 367. & ſecundum alios de 368. vt in Concil. per Labbeum editis *tom.* 1. & apud Vuolffgangium Gundlingium in *Canon. Concil. Laodicen. p.* 3. & 4. celebratum

tum eſt, in Eccleſia populus concinere non conſueuit, difficile ſatis eſt, quomodò ſubindè per Orientis Eccleſias ità ſit, quod caneret & populus, conſuetudo diffuſa, vt dici poſſit, D. Ambroſium, qui de 383. vt vult Francolinus *cit. cap. 3. à num.* 12. vel ſaltem circà, Mediolani plebem in Eccleſia canere faciebat, hunc ritum ſecundum morem Orientalium Eccleſiarum inſtituiſſe.

558 Dixi tamen, *ſi verum ſit*, vt ex Thomaſſino arguerem; nam aliàs potius contrarium, ſeù quod antè dictum Concilium pſalleret & Populus, ipſa ſatis indicat prohibitio; quandoquidem prohibiti non fuiſſent Laici canere, ni & ipſi pſallere conſueuiſſent, vt pariter præter Balſamonem ad *d. Can.* 15. ſentiunt Baronius ad *ann.* 60. *pag.* 576. *edit Roman.* ibi: *Illud autem non prætermittimus dicere de vſu priſtino, olim promiſcuè vnà cum Clericis in Eccleſia cantaſſe & populum, ſimulque Sacerdoti orationem danti, vel colligenti reſpondere conſueuiſſe. Verùm, quoniam indiſciplinatim canentium ſæpius accidebat, vt harmonicam illam Eccleſiaſticæ dignitati congruentem cantionem vocum incompoſito ſono corrumperent; idcircò neceſſariò Eccleſiaſticis inſtitutis prouiſum, vt præter illos ad hoc opus adſcriptos quis in Eccleſia pſalleret. Canon enim Laodiceni Concilij, &c.* & conſimilibus verbis Seuerinus Binnius in *not. ad d. Concil. Can.* 15. Antonius Bellotte in *not. ad Rit. Eccleſ. Laudunen. obſeruat.* 34 *pag.* 219. *num.* 20. & *obſeruat.* 111. *pag.* 737. *num.* 8. Item Card. Bona de *re Liturgic. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 19. Giſbertus Scheuicauius *d. lib.* 1. *cap.* 82. §. *& olim*. Carrier. *d. pag.* 607. & Dominicus Magr. *ibid. verb. Cantus*.

559 Dixi item ſuprà, *His ſuppoſitis* propter eamdem rationem. Nam quo ad rei veritatem non ita perſpicuum eſt, an plebs in Orientali Eccleſia ſaltem vniuerſaliter, & quoto tempore a publico cantu abſtinuerit, ſumpto cantu pro pſalmorum recitatione, aut quandò preciſè cæperit, ob multa ex adductis, & mox adducenda, quæ contrarium inſinuant. Nec ex eo quod Euſebius, vt ipſe fatetur, a Philone de Eſſenis, ſeù primis Eccleſiæ Alexandrinæ Chriſtianis loquente tranſcripſerit, apud ipſos *vnum concinuiſſe alijs audientibus*, ſatis hoc videtur, primò pro contrario vſu negando, cum in eadem Philonis Hiſtoria, quam Euſebius adducit, pariter legatur, eoſdem primos Alexandriæ Chriſtifideles tum viros, tum mulieres, quin in duas partes diuiſos conſueuiſſe hymnos in laudem Dei compoſitos publicè concinere, vt *ſupr. num.* 511. Non ſatis videtur ſecundò, vt de toto Oriente idem dicatur; aut, quod idem ritus vſque ad Euſebium in Oriente durauerit, cum de his nullum in Euſebio verbum. Hæc ſiquidem in eo ibi leguntur: *Et Commentarijs ſuis inſeruit* (ideſt Philo) *præſertim nocturnas magni feſti vigilias, & horum exercitia cum hymnis, qui apud nos dici ſolent, deſcribens, & quomodo vno cum rythmio pſallente reliqui cum ſilentio auſcultantes, extremam hymnorum partem vnà cum illo concinendo terminent*. Verum

aliud

aliud eſt, Philonem deſcribentem hymnos, qui & apud Cæſarienſes recitabantur, vt indicant, *qui apud nos dici ſolent*, dixerit in eis concinendis primos Alexandriæ Chriſticolas ſupradictum morem ſeruaſſe; & eſt quod Euſebius dicit; & aliud eſt, eumdem morem apud Cæſarienſes tempore Euſebij obſeruatum; quod Euſebius non habet. Et dato, quod & apud Cæſarienſes ità obſeruaretur, ſeù non caneret populus, nunquid ideò ità & in toto Oriente?

560 Multò minus perſpicuum eſt, quod vſque ad Diodorum, & Flauianum non aſſueuerit populus pſallere, & tunc ſolum huiuſmodi ritus apparuerit, cum hoc nihil minus dicat Theodoretus. Facit quidem eos alternati pſalmorum cantus auctores, & quod à plebe canerentur. Quod verò tunc incæperit plebs in Eccleſia concinere, non habetur ex Theodoreto: quin potius contrarium ex eo, quod plebem alternatim pſallere inſtituerint ipſi ſumpta occaſione à cantu Arianorum ſub Leontio, de quo ſic ipſe Theodoretus: *Cum pars eſſet Arianæ blaſphemiæ, ſummo ſtudio illum morbum celare nitebatur: quodque cerneret bifariam diuiſos Sacerdotes, & plebem, vnamque partem accommodare glorificatione Filij coniunctionem, Et: alteram propoſitionem PER, Filio: Spiritui autem IN applicare; Ipſe quidem ſilentio glorificationem memorabat, & tantum clauſulam IN SECVLA SECVLORVM, ſic pronuntiabat, vt ab adſtantibus exaudiri poſſet.* Cum namque iam populus cum Sacerdotibus caneret, non primò inſtitutus canere ſub Diodoro, & Flauiano.

561 Videtur item idem ſuaderi poſse ex damnatione Pauli Samoſateni facta à Concilijs Antiochenis primo de 266. & ſecundo de 272. iuxtà Seuerinum Binnium *tom. 1. Concilior.* eo quod ſublatis Dauidicis pſalmis alios à ſe compoſitos cani faceret per mulieres, *maximè quas ipſe prius ad canendum pro more inſtituerat*, vt ex Synodica d. Concilij ad Dionyſium Romanum Pontificem; ex more enim præter Clerum mulieres ceciniſſe liquet. Efficacius tamen ex eo, quod S. Ephrem, qui iuxtà Bellarminum de *Scriptoribus Eccleſ.* per 33. annos antè S. Ambroſium deceſſerat, iam hymnos, vt & *num. 39.* nos diximus, contrà Harmonij hæretici cantica à plebe, & modulatim canendos compoſuerit, & cani inſtituerit; vndè & ad alias Orientis Eccleſias benè poteſt dici delatus huiuſmodi ritus; ſicuti indè diffuſa modulati cantus norma, vt ex Nicephoro, Demochare, Biuario, & alijs dictum eſt *num. 39.*

562 Quapropter non inficior, ſufficiens hinc haberi fundamentum aſſerendi, potuiſſe Ambroſium iuxta morem Orientalium admittere ad canendum in Eccleſia populum. Sed ſubdere compellor. Et cur non æquè dicendum, quod vna cum cantu plebis ex Orientali Eccleſia pariter deſumpſerit & modum per eamdem plebem canendi modulatum? Vrgeo (quidquid ſit de vera origine cantus popularis; ſuppoſito tamen, quod re-

uera in Orientalibus Eccleſijs antè S. Ambroſium plebs quoque concineret, ità quod dici poſſit, hunc ritum ab illis à S. Ambroſio Mediolanum traductum) vel in ea Orientali Eccleſia canebat populus modulatè, vel non? Gratis dicetur quod non, cum iam conſtet ex dictis *num.* 519. Eccleſiæ Orientalis cantum ſuauem, & melodicum fuiſſe. Etſi talis. Ergò dum S. Ambroſius populum ſuum ad inſtar Orientalium Eccleſiarum canere inſtituit, modulatè canere inſtituit. Nec aliud dici poteſt, donec poſitiuè probetur, antè S. Ambroſium in Mediolanenſi Eccleſia huiuſmodi modulatum cantum præextitiſſe, in quo ſanè, & fortè fruſtrà inſudandum.

563 Non item verificantur iuxta hanc ſententiam alia eiuſdem S.P. Auguſtini verba, ritum ſcilicet ab Ambroſio de cantu populi inductum, in alias Regiones promanaſſe, cum nullus hoc ſcribat. Inductus ab illo apud multos legitur, vt vidimus, ritus hymnorum, antiphonarum, & alternati cantus; adeò vt hinc ad alias Regiones, & Eccleſias Occidentales ſit diffuſus: ſed neutiquam cum hac circumſtantia *per plebem*: quin potius huiuſmodi plebis cantus abolitus ſubindè fuit a Concilio, vt inſinuatum eſt, Laodicenſi *Can.* 15. & ſolis cantoribus reſeruatus, vt præter adductos, Vicecomes *tom. 3. de Antiq. Miſſ. ritib. cap.* 34. vbi & Laicos iam a tempore S. Io. Chryſoſtomi a cantu in Eccleſijs ceſſaſſe inſinuat; quod docet & Antonius Bellotte *loc. ſupr. obſeruat.* 111. *pag.* 733. *num.* 8. quo ſtante, vt dixi, nequeunt verificari Auguſtini verba: *Cuius celebritatis deuotio vſque in hodiernum diem non ſolum in eadem Eccleſia verum per omnes penè Occidentis Prouincias manet.*

564 Vndè omnibus perpenſis mihi videor poſſe tutè pronuntiare, cantum cum notulis modulatum ſub Ambroſio in Mediolanenſi Eccleſia incæpiſſe; cum hac tamen declaratione, quod negare non intendam, quod tam graues ſcripſere Authores, inductum ſcilicet ab Ambroſio cantum alternum (quod tamen ex Auguſtino non apparet) aut plebem ad pſallendum tunc admiſſam (quod neque perſpicuum eſt ex dictis) dummodo ipſa canendi formula, & diſciplina pariter dicatur ab ipſo inſtituta; cum hanc vnicè, & propriè importent Auguſtini verba; & vltra iam dicta, præciſo ſemel hoc cantu, non habeatur intenta plebis in Arianorum perſecutione à mærore conſolatio, per hoc quod plebs ad hymnos ſiuè alternatim, ſiuè non, planè tamen recitandos, fuerit admiſſa; maximè cum cantum modulatum præextitiſſe nullatenus probetur.

§. XI.

## §. XI.

### *Reſpondetur Thomaſſino. Vbi de alterni cantus origine.*

565 Remanent argumenta Thomaſſini; ſeu incredibile eſſe, *in Eccleſia Latina annis penè quadringentis pſalmorum morem fuiſſe recitationem, cantum nullum, cum pſalmi ipſi cantica ſint, cum pſallere ſit canere, cum cantus, & pſallendi toties meminerit Paulus, & pſalmos, quos* toto eo tempore *Orientalis Eccleſia caneret, ab Occidentali eſſe dumtaxat recitatos*. Et dico: me autem facilimè id credere; tum quia certum non eſt, quod ſemper in Eccleſia Orientali viguerit cantus modulatus, vt ſupponitur, cum contrarium ſatis probabile reddatur ex adductis à *n.* 37. *& ſeq.* & abſque præiudicio pſalmodiæ, cum tot & hodiè Religiones pſallant ſine nota, & cantu ad formam priſtinam Eccleſiæ; tum quia admiſſo in Orientali Eccleſia cantu, non apparet, quarè incredibile ſit, quod toto eo tempore vſitatus non fuerit in Latina. Plura poſſem adducere: Sed Radulphi Tungrenſ. *num.* 513. Nauarri *num.* 514. Beyerlin. *ibid.* Concilior. Hildeſemen. *ibid.* & Treuiren. *num.* 520. Pamelij *ibid.* Biuarij *ibid.* & *n.* 523. Baronij *ibid.* & *n.* 538. Valdenſis *nu.* 527. Vicecomitis *ibid.* Mabillonij *n.* 528. Lupi *nu.* 530. & S. Thomæ *n.* 538. iam laudatis auctoritatibus ſiſto; nam benè perpenſæ modulatum cantum non præextitiſſe antè S. Ambroſium, ſatis clarè ſignificant; & hoc ſolum addo. Cantus alternatus eſt in Eccleſiam Latinam inductus a S. Ambroſio, vt vult Thomaſſinus, cum tamen longè anteceſſerit eius vſus in Orientali. Et ſi hac forma canendi caruit antè Ambroſium Eccleſia Latina, quarè caruiſſe non potuit & cantu modulato?

566 Reſpondet Thomaſſinus *ibid. cap.* 72. *n.* 5. & loc. *ſupr. nu.* 503. poſito, non diù præceſſiſſe in Orientali Eccleſia cantum alternum, cum Diodorus, & Flauianus paulò antè illum Antiochiæ inſtituerint. Idem ſenſit Edmundus Martene de *Veter. Monach. ritib. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 44. ibi: *Primi autem in Eccleſia alternum pſalmorum cantum induxiſſe perhibentur Flauianus, & Theodorus* (Diodorus reponendum puto) *Monachi; nam quod de S. Ignatij viſione Angelorum alternis choris Deo concinentium narrat Socrates, non ſine fundamento mera tamquam fabula reiicitur*. Sed deſiderandam reliquit rationem, cur pro fabula habendum, quod ſcripſit Socrates de S. Ignatio, & non quod Theodoretus de Dioſcoro, & Flauiano.

567 Quare credibilius eſt antiquiorem eſſe reciproci cantus originem, ſeù quod reuera S. Ignatius ex viſione Angelorum antiphonatim, ſeù alternatim Deum laudantium alternatè in Eccleſia canendi ritum induxerit, vt

ſcribunt Socrates *Hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap.* 8. Caſſiodorus in *Hiſt. Tripart. lib.* 10. *cap.* 9. quem ſequuntur Amalarius de *Eccleſ. offic. lib.* 4. *cap.* 7. Valafridus Strabo de *Reb. Eccleſ. cap* 25. Rodulphus Tungrenſ. *cit. propoſ.* 12. tenentque Sigebertus in *Chron. ad ann.* 387. Nicephorus *lib.* 13. *cap.* 8. & poſt ipſos Guilelmus Durand. *ibid. lib.* 5. *cap.* 5. *nu.* 26. *&* 36. Demochares *cit. lib.* 4. *cap.* 12. Io. Stephanus Durant. *eod. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 3. Francolinus *d. cap.* 3. *n.* 1. *&* 11. Bellarmin. *loc. ſupr. cap.* 14. Azorius *lib.* 10. *cap.* 7. *q.* 5. Macignus de *Hor. Canon. cap.* 59. *nu.* 54. Suarez *d. lib.* 4. *cap.* 12. *n.* 1. Valdenſis *ibid. cap.* 18. *n.* 8. Cornelius Schultingius *loc. ſup. t.* 1. *part.* 1. *cap.* 20 Lorinus in *pſalm.* 67. *n.* 18. Petrus Halloix de *Scriptorib. Eccleſ. Orient. in Vit. S. Ignatij cap.* 5. *& in not.* Antonius Perez in *Regul. S. Bened. cap.* 9. *n.* 9. Petrus Creſpetius *Summ. Chriſtian. diſcipl. verb. cantus*, Gisbertus Scheuicauius *eod. lib.* 1. *cap.* 55. *§. de Antiphonis*. Bellotte *ibid, obſeruat.* 1. *n.* 11. *obſeruat.* 33. *n.* 2. *&* 3. & Ioann. Bapt. Rubeus *cit. lib.* 3. *cap.* 7. Barboſa *ad cap. Dolentes de celebrat. Miſſar. n.* 14. Frances de *Cathedral. cap.* 5. *n.* 188. Chriſtianus Lupus ad *Concil. Trullan. can.* 75. Card. Bona de *re Liturg. lib.* 2. *cap* 4. *num.* 1. & de *Diuin. pſalmod. cap.* 16. *§.* 9. & nunquam finirem, ſi omnes adducendi eſſent. Diodorus verò, & Flauianus aut collapſum reparauerint, vt explicant Bellarminus *d. cap.* 14. Nebridius à Mundelheim *Antiq. Monaſt. epiſt.* 65. Halloix in *not. ad d. cap* 5. *pag.* 399. *col.* 1. *fin. & col.* 2. *princ.* Bellotte *cit. num.* 3. & Gauantus *ſect.* 5. *cap.* 8. *nu.* 15. vbi & id eſſe de mente Theodoreti; aut, vbi S. Ignatius cantum alternatum inuenerat, ipſi ad pſalmos accommodauerint, quatenus ipſi eos alternatim cani primò fecerint,

568 Quod verius puto dictum; tum quia iam à temporibus S. Baſilij, vt notat & Ioannes Caramuel *Theolog. Regul. num.* 1141. & nos *num.* 508. vidimus, in toto ferè Oriente præualuerat alterni cantus conſuetudo; ex quo euidenter ſequitur, quod eiuſmodi cantus auctores minimè fuerint Diodorus, & Flauianus, cum teſte Theophilo Raynaud *loc. cit. prælud.* 1. *num.* 4. fuerint S. Baſilio aliquanto poſteriores. Vel, ſi alternationem aliquam adinuenerunt, ad pſalmorum reciprocationem dumtaxat eſſe reſtringendam. Tum etiam quia præciſè de hac loquitur Theodoretus: *Flauianus, & Diodorus &c. primi in duas partes diuiſi cætibus pſalmos accinentium instituerunt alternis Dauidicam melodiam decantare*; & de pſalmis ſpecificant Sigebertus in *Chron. ad ann.* 382. Francolinus *d. cap.* 3. *num.* 3. Macignus *cit. cap.* 59. *num.* 55. Caramuel. *d. nu.* 1141. Lorinus in *Præfat. ad tom.* 1. *pſalm. cap.* 14. adductis, præter Theodoretum, & Sigebertum, Suida, & Caſſiodoro. Et Cardinalis Bona de *Liturg. d. lib.* 2. *cap.* 4. ibi: *Quod tamen non abſolutè de quocumque alterno cantu* (ſeu quod prodierit a Diodoro, & Flauiano) *ſed de pſalmis Dauidicis alternatim canendis intelligendum eſſe ex verbis ipſius Theodoreti colligitur*; quod & habet de *Pſalmod. cap.* 16. *§.* 10. Licet Chriſtianus Lupus in *not. ad cit. Can.* 75. dicat alios ſentire, quod &

pſal-

pſalmorum alternatus cantus ſit S. Ignatio adſcribendus: Diodoro verò, & Flauiano ſolummodò reparatio; quod ſentire videntur etiam Durand. de *Diu. Offic. lib.* 1. *cap.* 1. Bellotte *dd. obſeruat.* 1. *num.* 11. & *obſeruat.* 33. *num.* 3. & Francolinus *cit. cap.* 3. *nu.* 26. Barboſa *eod. num.* 14. ac Frances *cit. n.* 188. dum Diodorum, & Flauianum ad hanc alternam pſalmodiam a S. Ignatio ſcribunt edoctos. Quo cantus alternationem ipſis longè antiquiorem eſſe, ſemper magis elucet, vt eos ſileam, qui hanc alternatæ pſalmodiæ conſuetudinem antè Flauianum, & Diodorum à Syris vſurpatam ex Nicetæ Theſauro Orthodoxæ Fidei *lib.* 5. *cap.* 30. ſcribunt, nempè Iacobum Gothofredum in *Not. ad Philoſtorgij Hiſt. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 13. & Henricum Valeſium, vt videre eſt apud Mabillon. de *Curſu Gallican. num.* 7. & Martene de *Vit. Monachor. Ritib. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 44. quin ad primos Chriſti fideles referunt ex Philone de *Vit. Contempl.* D. Dionyſio Areopag. *cap.* 3. *Eccleſ. Hierarch.* & S. Baſilio *epiſt.* 63. hoc eſt Ioannem Stephanum Durant. *eod. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 6. Iacobum Goar. in *celebr. opere Ritual. Græcorum. not.* in *Ordinem S. Miniſterij num.* 12. & *not. ad Miſſ. S. Io: Chryſoſt. num.* 63. Giſbertum Scheuicauium *cit. lib.* 1. *cap.* 82. §. *ſed & in primis*: immò ad ipſos Apoſtolos, ſcilicet Lorinum *d. cap.* 14. § *eſt autem probabile*. Creſpetium *loc. ſupr. verb. Cautus*. Cardinalem Bona. *Liturgic. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 15. Frances *d. cap.* 5. *num.* 190. Biuarium *ibid. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 29. *fin.* & (quod nec minus probabile eſt) à Seraphica *Iſaiæ* 6. viſione deſumptum volunt, nempè Baronium ad *d. ann.* 60. Spondanum in *Epit. ibid. num.* 14. Scheuicauium *cit. cap.* 82. §. 1. qua de cauſa illam forſan intermiſſam, a S. Ignatio Antiochiæ ſtabilitam ſcripſerunt Biuarius *ibid.* & Pius Rubeus in *Vit. S. Hieronym. controu.* 9. *num.* 4.

*569* Vndè, vt rem concludam, ſi antè S. Ambroſium inuiſus in Latina Eccleſia alternatus cantus iam in Orientali Eccleſia antiquiſsimus, quid mirum, quod æquè inuiſus fuerit & cantus modulatus? Idem dici poteſt de hymnis, quos antiquiſſimos in Oriente fuiſſe certiſſimum eſt, qui tamen in Latinam à S. Ambroſio inducti ſunt, vt communis ſcriptorum eſt ſenſus. Non ergò incredibile, quod ipſe primò modulatum cantum in Mediolanenſem Eccleſiam admiſerit, & tanto tempore ibi plana pſalmodia perdurauerit.

570 Fundamentum autem incredibilitatis ex eo *quod pſalmi* (quos in Eccleſia Latina diù antè S. Ambroſium vſitatos nemo dubitat) *cantica ſint*; quod *pſallere* ſit canere; *quod cantus, & pſallendi toties meminerit Paulus*, facilè diſſoluitur (vt Apoſtoli 1. *ad Chorinth.* 14. verba: *pſallam ſpiritu pſallam & mente*, per quæ cantus intelligi nequit, prætereaın) ex dictis *num.* 42. & 512. vbi cantum ipſum pro recitatione vſurpari vidimus ex doctrina clariſſimor. Baluzij, & Mabillonij, qui pluribus id locis ibi laudatis oſtendunt; quibus addendus Nicephorus *Hiſt. Eccleſ. lib.* 9. *cap.* 6. vbi mo-

dum, quo S. Athanaſius perſecutores, dum pſalmi decantârentur, effugit, deſcribens, habet: *Et manus iam militaris Eccleſiam per manipulos ordine ſuo occupauerat, quum ille precatione peracta pſalmodiam continuare iubet. Milites quieti tum erant, quod intempeſtiuum impetum in eum facere exiſtimarent, cum concentu vno carmina reſonarent. Atque intereà quod omnes vna porta egrederentur, Athanaſius in media pſalmos canentium turba tectus incolumis euadit;* cum tamen ex S. P. Auguſtino certò habeamus, Clerum Alexandrinum ſub Athanaſio ita pſallere conſueuiſſe, *vt pronuntianti vicinior eſſet, quam canenti.* Nec deeſt ipſius Thomaſſini teſtimonium; *ibid. cap.* 71. *num.* 4. dum accipit & ipſe per canere, recitare, dicens: *Vnum volebat tantùm Athanaſius cantorem, qui ſeù caneret, ſeù legeret, &c.* Vndè forſan & Caſſiodorus in *pſal.* 20. *verſ. vlt.* dixit, quod *cantare eſt verba Domini ore proferre*; quod & de pſalmos recitante, & maximè ſi alta voce, verificatur.

571 Nec refert, quod *pſalmi cantica ſint*, quia hoc non obſtante & Angelus Monachos eruditurus parili pronuntiatione eos decantauit; & non tantùm Monachi, ſed & Clerici diù recitarunt, vt vidimus *à nu.* 37. *ad* 41. etiam ex mente ipſius Thomaſſini, & de Diaconis teſtatur Claudius Eſpencæus in *Epiſt.* 1. *ad Timoth. lib* 1. *Digreſſ. cap.* 10. dum ſcripſit: *Pſalmos certè à Diaconis recitari, hoc eſt legi magis quam cantari conſuetos, nos anteà docuit Athanaſij exemplum*, aut quod *pſallere ſit canere*, tum ob eaſdem rationes, tum quia & pro recitare non rarò ſumitur. Vbi enim *Concil.* 6. *in Trull. can.* 75. legitur: *Et eos, qui in Eccleſijs ad pſallendum accedunt, volumus &c.* legit Zonara: *Qui ergò pſalmis in Eccleſia recitandis vacant*, pro *pſallere* intelligens *recitare*. Et clarè oſtendit Radulphus Tungrenſis *loc. cit. prop.* 8. dum ad Diuinum officium ſpectantia, ad tria capita reducens, dicit, *Primò de pſallendis, ſecundò de legendis, & tertiò de canendis videamus*; vbi pſallere à cantu diuidit, & Benedictus Hæftenus, qui *lib.* 7. *Diſq. Monaſt. tract.* 4. *diſq.* 3. duplicem ex S. P. Auguſtino pſallendi formam colligit, alteram per modulatam, & alteram per planam pſalmodiam: quin & Thomaſſinus ipſe pro *recitare* accipit *d. cap.* 71. *nu.* 11. dicens: *quod argumentum eſt idem inter fideles, maximè verò inter Clericos viguiſſe, vt priuatim pſallerent illas canonici penſi horas, &c.* Ad quid enim in priuata pſalmodia cantus? Addere plura poſſem: ſed hæc ſufficere mihi videntur; & quibus plenè reſpondetur ad id, quod de cantus, & pſallendi repetita a Paulo mentione dicebatur.

Quarè ex hucuſque dictis remota videtur illa incredibilitas, quod Latina Eccleſia diù cantu modulato caruerit, etſi illum Orientalis longe antè obſeruaſſet (quod tamen non admitto propter dicta *obſeruat.* 1. *ſect.* 4.) adeòque & ſemper firmatur concluſio, quod illum in Mediolanenſem Eccleſiam primò ex Orientali deduxerit S. Ambroſius,

## §. XII.

### *Aliæ obiectiones ſolutæ.*

572 SEd, ne quid ex eis, quæ obſtare poſſent, prætereamus, obſeruandus venit Ioſephus Ripamontius, qui modulati cantus Originem S. Caio tertio Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtiti tribuere videtur in *Hiſtor. Eccleſ. Mediol. part. 1. pag. 62.* de illo ſic ſcribens: *Fuit is primus ferè conditor ceremoniarum, & rituum, vndè ſacris rebus honoris, ac dignitatis aliquid interlucet. Nam & Odæo choros alternatè, & funebri cantu modulatis precibus exequias honeſtare, ſunt ipſius inſtituta.* Quem ſecutus eſt Placidus Pucinellus in *Zodiac. Eccleſ. Mediol. part. 1. in S. Caio. pag. 84.* his, licet vulgari idiomate, verbis: *Decreuit, vt locis in ſacris alternatim à Choro debitæ Deo laudes funderentur hymnis, pſalmis, & cantu: ritus aliquos, ceremoniaſque ſtatuit; muſicam diſtinctis choris inſtituit.* Quod antè eos Io: Franciſcus Beſutius in *Hiſtor. Pontific. Mediol. num. 3.* iam tradiderat: *Fuit primus Caius, qui à Clericis alternatim in Eccleſijs hymni pſalmique ad Dei honorem continuò canerentur, decreuit.*

573 Quo autem fundamento id ſcriptum (de parte modulatum cantum contingente loquor) non apparet; nec facilè id fieri potuiſſe crediderim tempore, quo Tirannorum rabies ex profeſſo Chriſtiano nomini inimica, eo inſignitos vel morti tradebat, vel ad necem perſequebatur, vt ex ipſo Ripamontio *ibid. pag. 52.* & Carolo Baſilica Petri *Hiſtor. Mediol. in S. Caio.* Nec video, quomodo hæc Eccleſiarum, vel locorum Sacrorum pluralitas, vt horum Scriptorum verba ſonant, ſupponi poſſit pro tempore, quo eadem perſecutionis cauſa nec ipſum Baptiſmum intra Vrbem ipſe S. Caius adminiſtrare tutò poterat, teſtibus Triſtano Calcho *Hiſtor. Mediol. p. 1. pag. 15.* ibi: *luſtrabat ſacra aqua, & perenni fonte, qui via Ticinenſi non longè à mænibus ortus nunc quoque perdurat, manſitque mos poſteris indè lauandi, quos in nomen Chriſtianum recipiebant, quo ad recepta intrà Vrbem Religione tutò alibi exercere ſacrum munus licuit*; Et Carolo Baſilica Petri *ibid. Ibi igitur S. Caius, & alij Baptiſmi Sacramentum adminiſtrauere, donec Religione propagata intrà Vrbem ſacrum munus licuit exercere.* Eo magis, ſi verum eſt, quod Triſtanus Calchus *ibid. pag. 17.* de S. Caſtritiano S. Caij ſucceſſore ſic ſcribit: *Qui ſtatim* (poſt electionem) *domum Philippi hortis imminentem à Caio ſibi traditam ſacrauit, ac primum orandi templum fecit.* Et licet aliquam antiquiorem Eccleſiam occultam ſaltem Mediolani antè S. Caium præextitiſſe non dubitem, nihilominus ea temporum conditio ex ſe ſatis huiuſmodi Scriptorum placitis, quoad muſicam præſertim repugnat, & contradicit,

cit. Præterquamquod eorum aſſertio, quod S. Caius hymnos cani decreuerit, nullam mihi quoad cantum fidem conciliat, cum certum ſit, hymnos à S. Ambroſio primò inſtitutos.

574 Nequeunt item hæc verificari de S. Caio, quia tempore S. Mirocletis, qui iuxtà Carolum à Baſilica Petri *loc. ſupr.* fuit ſextus poſt S. Caiū, & in ordine nonus Pontifex Mediolanenſes, non iam cantum, ſed recitationem in Eccleſia eadem vſitatam fuiſſe habetur ex Scriptoribus Mediolanenſibus. Beſutius namque *ibid.* §.7. ſic de S. Miroclete: *Apoſtolicas inſtitutiones imitatus deſignauit horas, quibus Clerici, & Sacerdotes in Eccleſiam ad pſallendum, & legendum conuenirent*. Ripamontius *ibid. lib. 2. pag. 126.* ſic: *Inter cætera ſanxit, & inſtituit, vt Clerici certas preces in certa templa recitatum irent*. Et Ioſephus Vicecomes de *Rit. Miſſ. lib. 2. cap. 12.* per hæc verba: *B. Mirocletem certam regulam ab Apoſtolicæ inſtitutionis vſu deriuatam præſcripſiſſe, qua Presbyteri, & Clerici ſtatis quibuſdam horis ad pſallendum, & legendum conuenirent*. Hæc namque poſterior conſuetudo indicat & talem fuiſſe temporibus infelicioribus ſub Caio.

575 Nec contrariam arbitror ipſius Ripamontij mentem, cum *eod. lib. 1. pag. 65.* de S. Ambroſio ſic ſcripſerit: *Ibique ſacros hymnos, & pſalmodiam vniuerſam ad Græci ritus conſuetudinem Diuinus Paſtor eſt modulatus*. Et iterum *lib. 4. pag. 259.* ſic: *Dum in hunc modum aduerſæ, & proſperæ res alternant, Ambroſius leniendo mærori popularium, & ſuo, ſacros hymnos ad Eccleſiæ Græcæ conſuetudinem eſt modulatus. Eo dein oblectamento diem nocti iungebat, & ipſo modos ineunte cæteri elatis in ſpatia certa vocibus æthera feriebant, ac iucundiſſimi laudabant Deum*. Si enim in Mediolanenſi Eccleſia modulatus cantus fuiſſet à S. Caio (qui per multos annos S. Ambroſium præceſſerat) inſtitutus, non iam ad Eccleſiæ Grecæ, ſed potius Mediolanenſis conſuetudinem modulatum Ambroſium dixiſſet Ripamontius.

576 Quarè vbi de S. Caio loquens ait, *modulatis precibus exequias honeſtare* eius inſtitutum eſſe, vel eſt elegantiæ ergò ſic locutus, vel intelligenda eſt modulatio lato modo pro aliquali inflexione vocis, qualis auditur & in pſalmodia earum Religionum, quæ cantum planum, & non modulatum ſeruant ad inſtar primitiuæ Eccleſiæ, & etiam Alexandrinæ ſub Athanaſio, qui *modico flexu vocis faciebat*, vt dictum eſt, *reſonare lectorem pſalmi, vt pronuntianti vicinior eſſet, quam canenti*: ex his namque & modicis inflexionibus aliqualis modulatio reſultat etiam præciſis notis.

577 Quo etiam ſenſu intelligendi pariter ſunt, qui aut de Mediolanenſis Eccleſiæ, aut primorum Chriſtianorum pſalmodia loquentes, modulationem fortaſsè inſinuaſſe videntur, qualis eſt modulatio, de qua Philo *cit. lib. de Vit. Contemplat.* apud Valdenſem *d. tit. 2. cap. 18. num. 9. Et vt vnus ex omnibus conſurgens in medium, pſalmum honeſtis modulis concinat*, & ſi quæ ſimilis apud alios locutio: non verò de modulatione rigoroſa ex can-

tu harmonico, & notis inſtructo; nam & Vdalricus apud Edmundum Martene de *Antiq. Monach. ritib. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 40. melodiam & in cantu plano, hoc eſt directo, & ſine notis agnoſcit, dicens: *Quamquam illorum hymnorum melodia, qui cantantur in Paſcha, itàſit plana, & in directum.*

578 Hinc tandem patet, quo ſenſu intelligendi ſint, qui S. Ambroſium in latina Eccleſia cantus inſtitutorem negare videntur; ſcilicet, non quatenus cantus modulationem, hoc eſt pſallendi formam ex notulis compoſitam importat, cum huius ipſe auctor reuerà extiterit, vt vidimus: ſed quatenus cantus modicam vocis inflexionem, & quæ pronuntianti vicinior ſit, quam canenti, ſignificat; cum hic canendi ritus S. Ambroſium præceſſerit, & vniuerſaliter obſeruaretur.

579 Ex quibus pariter ſoluitur obiectum, quod deſumitur ex Ioan. Mabillon de *Curſu Gallicano n.* 3. vbi ex cuiuſdam Anonymi de *Curſuum Eccleſiaſticorum origine* libello, in quo hæc de Curſu Ambroſiano, quem quarto loco enumerat Mabillon, leguntur: *Ambroſianus, ſeù Mediolanenſis, quem Beatus Ambroſius propter Hæreticorum Ordinem diſſimilem compoſuit*, quam, qui *in Italia anteà decantabatur*, hæc infertur illatio. *Ex quo Bellarmini ſententia confirmatur, aſſerentis contrà quorumdam aliorum opinationem, Ambroſium pſalmodiæ in Occidentalibus Eccleſijs primum inſtitutorem non fuiſſe, quod ex Auguſtini Confeſſionibus illi colligebant: Sed id tantum curaſſe, vt ſecundum morem Patrum Orientalium pſalmi, atque hymni à populo etiam canerentur; cum anteà à ſingulis ſinguli, vel certè à ſolis Clericis apud Italos recitati fuiſſent.* Soluitur, inquam, tum quia ex dictis apparet, non cantus alternationem, ſed modulationem; & ſi alternationem, cum modulatione tamen fuiſſe ab Ambroſio inſtitutam; Tum quià verum eſt cantus auctorem non fuiſſe Ambroſium, quatenus cantus pro ſimplici pſalmodia ſumitur; cum quo tamen ſtat, quod fuerit cantus auctor, quatenus modulationem importat. Et liquet ex ipſius Anonymi verbis; dum enim diſſimilem curſum, ac anteà decantaretur, ab Ambroſio dicit inductum, (quod verè dicit, cum ipſe fuerit auctor hymnorum, & antiphonarum, quorum anteà nulla mentio) innuere quidem etiam vult, ab eo inſtitutum modum canendi cum notulis modulatum, qui propriè, & vnicè vnà cum hymnis, & antiphonis fuit, vt probatum eſt, ob perſequentes Arianos inſtitutus; cum anteà plana pſalmodia obſeruaretur, vt pariter vidimus; non obſtantibus verbis *anteà decantabatur* cum ſumenda ſint pro *recitabantur*.

580 Et ne ſupr. *num.* 565. laudatos ſcriptores repetam, totam quæſtionem de modulato cantu a S. Ambroſio in Mediolanenſi Eccleſia primò inſtituto; & antè ipſum inibi inuiſo, & plana recitatione ſolummodò obſeruata; Mediolanenſium ſcriptorum auctoritatibus ſugillo. Primò ſcriptoris antiquæ Chronicæ omnium Archiepiſcoporum Mediolani M. S. *litt. A. Cod.* 98. aſſeruatæ in inſigni Bibliotheca Ambroſiana §. *Ambroſius*, vbi

ſic,

ſic. *Officium diuinum primò cantari fecit, quod prius in partibus Occidentis non fuerat decantatum*: ſed ſola plana recitatione perſolutum. Secundò Scriptoris alterius Chronicæ M. S. vetuſtiſſimæ repertæ apud quemdam nobilem de Lampugnano, de Legnano in Vit. S. Ambroſij apud Michaelem de Pizzolpaſſo in ead. Bibliotheca *litt. M. Codic.* 660. per hæc verba: *Cantari fecit hymnos, antiphonas, collectas, quas hodiè Eccleſia Romana cantat. Inuenit etiam ritum cantandi in Eccleſia.* Et tertiò Triſtani Calchi *ibid. lib.* 2. *pag.* 38. vbi ſic: *Sed Sacerdos domi ſe, & intrà Eccleſiam continebat: Iuxtà vigilabat pia plebs, cuſtodiebatque, ne qua vis ſancto Dei ſeruo inferretur. Tunc tactus memoria Orientalis Eccleſiæ Ambroſius, ad leuandum longioris moræ tædium, excitandoſque languentium animos, muſicos modos Eccleſiæ quoque ſuæ introduxit, meditatuſque hymnos, & antiphonas altiori voce, quæ ſubmiſſa aliàs dici ſolebant, cani iuſſit.* Non enim hinc parum iam probata aſſertio iuuatur.

LAVS DEO B.M.V. SEMPER VIRGINI
ATQVE BEATIS AMBROSIO,
ET AVGVSTINO.

1.009.611

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN-

# INDEX NOTABILIVM
## Iuxtà numeros Paragraphorum.


*ABBO Floriacenſis*, quid de *Te Deum laudamus* ſcripſerit. 430. quanti eius in hoc auctoritas. 433. & *ſeq.* quo anno obierit. 435. *S. Abundius*, illi adſcriptus *Te Deum laud.* 430. ſed falsò. 436.

*Actus communes* plures, & diuerſæ rationis. 156. frequentandi. 143. & *ſeq.* in eorum omnium obſeruantia perfectio religioſa. 144. bona indè prouenientia. 145. 146. non omittendi ob peculiares deuotiones. 147. & *ſeq.* illis vſque ad finem inſiſtendum. 151. & *ſeq.* V. *Celeritas*. *Licentia*. *Pœna*.

*Aetas* ad Diaconatum, & Presbyteratum olim requiſita. 422.

*Altare priuilegiatum*. Religioſorum quoad hoc priuilegia. 351. & *ſeq.* non ſunt reuocata. 354. quale apud hos pro quolibet Defuncto. 351. Poteſt à Prælato deputari. *ibid.* quale pro anima Religioſi. *ibid.* 352. 353. pro affinibus, & Benefactoribus. 353. præter quod, aliud poteſt à Sede Apoſtolica obtineri. 355. an duo eſſe poſſint eiuſdem qualitatis. *ibid.* quid pro diuerſitate ſufficiat. *ibid.* numerus Sacerdotum ad ea requiſitus quando debeat verificari. 356. an omnes eſſe debeant eiuſdem Conuentus. *ibid.* eo gaudent Generales, & Prouinciales. 357. an hoſpites. *ibid.* Miſſæ debent eſſe de *Requiem*. 358. diebus aliquibus exceptis. 359. quibus ſuppletur Miſſa de Sancto duplicis ritus. *ibid.* An obligationi ſatisfiat in alio altari cum calculo benedicto. 360.

*S. Ambroſius*, an ſolus auctor *Te Deum laudamus*. 443. & *ſeq.* hymnos compoſuit, & quos V. *Hymnus*. ſermonem habuit in baptiſmo S. Auguſtini. 489. A Iuſtina perſecutus. 504. 509. auctor cantus modulati in Eccleſia Mediolanen. 503. & *ſeq.* 513. & *ſeq. per tot.* ſpecialiter contrà Arianos. 504. 509. 525. & *ſeq.* an cantus alterni. 503. 505. 507. 539. & *ſeq.* antiphonarum. 503. ad 507. an quod caneret populus. 509. & *ſeq.*

*Antiphona* quid ſignificet: 503. 507. in Eccleſia Mediol. à S. Ambroſio inuenta. 503. 504. 506. antè ipſum à Græcis. 506. apud hos vndè orta. *ibid.* 508. de pluribus generaliter dicitur. 542. non importat alternationem. *ibid.* & ad ſummum qualem. 544. ſed ſententiam, quæ pſalmo præponitur. 542. & regulam melodiæ in pſalmo ſeruandam. 543. etiam iuxtà ſenſum antiquorum. 546. ſignanter Eccleſiæ Mediol. 547. quin modulationem ipſam. 549. & *ſeq.* 554.

*Antiphona B. V.* quæ poſt Miſſam conuentualem canenda. 112. an ritè canatur. 113. 114. Quæ non. 114. an ſemper genuflexo. 115. & *ſeq. Benedicta tu* cum tribus pſalmis, & lectionibus poſt Completorium in Ordine Eremitarum vndè orta. 123. *Salue Regina* in Oratione Serotina. 135. 136. cur. 140. per eam B. Virgo tuetur Religiones. *ibid.*

*Antiphonarius* vndè dictus, & quid ſignificet. 541.

*Antiqua* probantur ſufficienter veriſimilitudine. 492.

*Aqua benedicta* aſpergendi Religioſi in Oratione Serotina. 135. à quo. 136. & cur. 139. conſuetudo antiqua Monachorum. *ibid.*

*Ariani* S. Ambroſium perſecuti. 443. 504. eorum cauſa inſtitutus cantus melodices. 504. 509. 524. & *ſeq.*

*Arnulphus* Scriptor Mediolanenſis. 467. 468.

*S. Athanaſius* quali cantu vſus. 37. 570. quomodo euaſerit ab hoſtibus. 570.

*Attentio* eſt de ſubſtantia orationis. 25. 35. ad officium diuinum requiſita. 23. & *ſeq.* etiam in priuata recitatione. 32. non ſola exterior, ſed interior. 24. ſine qua non ſatisfit præcepto. 25. 26. an poſſit præcipi, & quomodò. 26. quomodò conſeruanda. 27. ſufficit virtualis, & in quo conſiſtat. 28. qualis eſſe debeat. 30.

*Auctor.* V. *Liber*,

*Aue Maria* forma ſalutationis religioſæ. 403. & *ſeq.*

*S. P. Auguſtinus* cantu Eccleſiæ ad lachrymas commotus. 44. 504. an antè, vel poſt baptiſmum. 536. quo ſenſu approbauerit cantum modulatum. 44. 45. qualis ab eo vſitatus. 45. Auctor Officij parui B. V. 230. item Defunctorum. 234. 235. Salutationis per *Deo gratias*. 123. 407. 408. an vera, quæ S. Datius de eius baptiſmo. 459. 463. an omnia eius accidentia ab ipſo Auguſtino deſcripta. 500. & *ſeq.* quæ in eo obſeruata. 501. V. *Confiteor*, *Fundatores*.

*Auguſtiniani* aliàs *Gratiani*, ſeù Religioſi de gratia, & cur. 123. eorum in B. V. deuotio. 230. ergà Benefactores defunctos gratitudo. 121. 127. 139. 238. in nomen *Ieſu Chriſti* reuerentia. 393. Salutationes per Deo gratias. 407. 408. Romanum ritum profitentur. 70. V. *Officia propria*. *Priuilegium*.

*Aurora* aliàs *Matuta* 9. quæ eius hora. 337. non vna ſemper eius duratio. 339.

*Axioma*. Fieri non poſſe dicitur, quod commodè fieri nequit. 56. Vbi eadem ratio, eadem & iuris diſpoſitio. 73. Quibus non conueniunt verba diſpoſitionis, nec ipſa conuenit diſpoſitio. 108. Par in parem non habet imperium. 170. Ignoranti non currit tempus. 187. Nemo ſine culpa ſuo iure priuandus. 187. Cum fueris Romæ Romano viuito more. 193. 327. 330. Incluſio vnius eſt excluſio alterius. 195. Qui ſentit commodum, debet & incommodum; & è contrà. 293.

B*Aptiſmus*; qui in eo antiqui ritus. 501. fons primus Mediolani, vbi. 573.

*Beatus*, in quo differat quoad cultum à Canonizato. 331. & *ſeq.* non poteſt vltrà conceſſionem extendi *ibid.* 332. de eo an poſſit, & à quibus Miſſa dici. 329. 330. nequit in Patronum aſſumi. 332. nec in publicis inuocari litanijs. 268. 332. an & priuatim. 269.

*Benedictio* danda à Prælato Religioſis antè cubitum. 140. eius vtilitates. *ibid.* per eam aliquid boni ſemper optatur. 405. 406. loco ſalutationis. V. *ſalutatio*. petenda in egreſſu è Monaſterio. 413. in regreſſu. *ibid.* iuxtà ritum antiquum Monachorum. *ibid.* & decret. Clem. VIII. *ibid.* genibus flexis. 416. quomodò danda à Prælato. 414. 417. eius vtilitas. 415. an per eam deleantur venialia. 140. 415. ab æqualibus non petenda. 418.

*Benedictio Menſæ*. 361. & *ſeq. per tot.* V. *Gentiles*. Per eam ſanctificantur cibi. 363. & quomodò 263. valet contrà Dæmones. *ibid.* 368. eius ritus antiquus apud Hebræos. 364. ſub qua formula. *ibid.* à Chriſto Domino obſeruatus.

tus.365. Ab Apoſtolis. 366. à priſcis Chriſtianis. *ibid.* à Monachis 367. *& ſeq.* quin ad omne quandoque ferculum. 368. 369. & ad Cochlear ipſum. 368. non tamen neceſſarius. 369. ſed ſufficit benedictio Menſæ. *ibid.* quæ præſcribitur Sacr. Canon. 370. & ſub qua obligatione Clericis. *ibid.* nullatenus omittenda à Religioſis. 371. an & à tardè accedentibus ad Menſam. 373. varia eius forma. 372. ſed præferenda, quæ in Breuiario Rom. *ibid.* à quo facienda. 374. quo ritu in obſignatione. *ibid.* quando mutanda. 375. deuotè perſoluenda. 376. nulla in Breuiario pro collatione in ieiunijs, & cur. 385. emittenda tamen. 386. 387. variæ apud varios formulæ. 387. 388. V. *Menſa.*

*S. Benedictus* quo anno mortuus. 421. an auctor officij parui B. V. 230.

*Benefactores* in eos gratitudo Ordinis Eremitarum. V. *Auguſtiniani.*

*Breuiarium*, eo carens ad quid teneatur. 58. Romanum recitandum. 68. 80. etiam extrà Chorum. 72. *& ſeq.* ſecus non ſatisfit obligationi. 73. 192. *& ſeq.* ità quod nec ſemel liceat alio vti. 76. & quid vbi Romanum non habeatur. 77. 78. an & priuatim eo vti poſſit, alio Breuiario adſtrictus. 74. 75. V. *Commenſales.* ſemper in choro reperiri debet. 177. quiſque tenetur illud ſuæ Religionis ſequi. 179. omiſſo ſemel proprio, & Romano acceptato, non poteſt illud amplius repeti. 180. an pro Regularibus aliquod ſit priuilegium. 68. 80.

*S. CÆſarius*, Monachus, Abbas, Epiſcopus. 421. an S. Benedicto antiquior. 421. *& ſeq.* quo anno mortuus. *ibid.*

*S. Caius Mediol. Archiepiſcopus* alternatæ ibi pſalmodiæ auctor. 539. 572. an verè. 573. *& ſeq.* & rituum aliquorum. 572.

*Caldus vini* poculi genus. 386.

*Calendarium* vndè dictum. 175. quid ſit. *ibid.* antiquus eius vſus. 175. qualiter formandum pro Choro. 177. ibi ſemper reperiendum. *ibid.*

*Candelabrum* triangulare cum. 15. candelis pro Officijs tenebrarum debet eſſe ligneum 95. ex parte epiſtolæ, & cur collocandum. *ibid.*

*Canere in directum* quid. 547. 549. *& ſeq.*

*Cantus* qualis in primitiua Eccleſia. 37. *& ſeq.* varia olim eius forma. 512. cum notulis ad quid inſtitutus. 37. qualis olim Monachorum. 41. & qualis eos magis deceat. 43. 45. ſumptus pro recitatione. 42. 112. 570. ſine nota gratior S. Auguſtino. 44. 45. & hic à nobis tenendus. 37. *& ſeq.* & quæ in eo obſeruanda. 48. an poſſit aliquando Muſica adhiberi. 46. & an cum nota exigatur à ritu Romano. 47. antiquitus vnus tantum canebat, alijs audientibus. 503. 509. vel ad ſummum in fine reſpondentibus. 555. 556. 559.

*Cantus Alternus* à Græcis inuentus. 506. apud eos vſitatus. 508. etiam in occidentali Eccleſia S. Ambroſio antiquior. 539. an eius auctores Diodorus, & Flauianus. 566. *& ſeq.* qualis ipſis debeatur. 568. antè illos Syris notus. *ibid.* & Apoſtolis. *ibid.*

*Cantus Ambroſianus* in Caſſinenſi Eccleſia quando, & à quo prohibitus. 535. V. *Eccleſia Mediolanenſis.*

*Cantus Melodici* origo. 39. in Eccleſia occidentali vbi cœperit. 40. à S. Ambroſio inductus. 513. *& ſeq. per tot.* in orientali vſitatus. 511. & antè S. Ambroſium. 519. 520. 523. ad leniendum mœrorem inuentus. 509. ad id valdè vtilis. 521. *& ſeq.* & ad confortandos in tribulatione animos. 526. cauſa Arianorum inſtitutus. 504. 509. 524. ad 527. & pro eis confundendis. 524. 525.

Mediolano in alias Eccleſias diffuſus. 529. *& ſeq.* & in Romanam. 530. quæ illum moderata eſt. 531.

*Cantus Populi in Eccleſia* à quo inſtitutus. 503. 509. antè Diodorum, & Flauianum in Oriente. 560. *& ſeq.* in occidente antiquus. 554. & antè S. Ambroſium. *ibid.* à Concilio Laodiceno inhibitus. 558. quando ceſſauerit. 563.

*Capellanus* ad quid teneatur impedito Altari Capellaniæ. 58. adſtrictus ad quotidianum ſacrificium poteſt quandoque vacare. 285. *& ſeq.* dummodò aliter non conuenerit. 288. quando, & quo titulo poſſit vti vacantia. 292. & tunc non poteſt pro alijs celebrare. *ibid.* & multò minus ſtipendium accipere. *ibid.* & ſi celebrat, tenetur pro fundatore. *ibid.* Infirmus excuſatur à celebrando. 302. *& ſeq.* ſed qualiter infirmus. 303. 304. in dubio quid. 304. nec per alios tenetur ſupplere. 290. & per quantum tempus. *ibid.* an ob aliam cauſam excuſetur. 311. Nulli apud nos Capellani. 286. an poſſint inſtitui. 290. an eo caſu poſſint vti vacantia. *ibid.* 291.

*Capellanus Monialium* quas Miſſas dicere poſſit in earum Eccleſijs. 328.

*Capitulum*. In eo lectum ex more martyrologium. 127. *& ſeq.* quæ alia fieri ſolita à Monachis. 127. 128.

*S. Caſtritianus* primum templum Mediolani, & quo ſenſu, erigit. 573.

*Cauſa* ad diſpenſandum requiſita. *ibi.* qua ceſſante, ceſſant & conceſſa. *ibid.*

*Celeritas* ad actus communes. 163. *& ſeq.* grata Deo. 166. quomodò intelligenda. 167.

*Ceroferarij* in Miſſa, & Veſperis, vt ſimulacra. 207.

*Charitas* pro vini hauſtu apud Monachos. 387. pro collatione. 388.

*Chorus*, ad quid deputatus. 34. quid pro eo veniat. *ibid.* 49. quæ in eo obſeruanda. 27. 29. qua deuotione aſſiſtendum. 33. an in eo licitus Tabbacci vſus. 34. & *ſeq.* Quot ad Chori obligationem Choriſtæ. 55. & *ſeq.* frequentandus. 146. & *ſeq.* omittentium damna. 145. 146. & vſque ad finem perſeuerandum. 151. & *ſeq.* ſine licentia non recedendum. 152. & *ſeq.* & ſub qua pœna. 143. 152. 153. V. *Pœna* quando ea non requirenda. 157. ad illum feſtinandum. 163. & *ſeq.* In eo quæ ſemper reperienda. 177.

*Chriſtiani* priſci canebant Dei laudes in Eccleſia. 511. quo tempore. *ibi*. V. *Crux*. *Dormire Ieiunium*.

*Cibi* benedictione ſanctificantur, & quomodo. 363. V. *Benedictio menſæ*.

*Circumſtantia* quæ dicatur per ſè intenta, & præcepta. 192.

*Clauſula* in fine poſita quando ad omnia antecedentia referatur, & quando non. 155.

*Clauſtra* Religioſorum veniunt nomine Eccleſiæ. 347.

*Clerici*, eos dedecet Tabacci ſumptio. 36. antiquitus quotidiè communicare debebant. 280.

*Cœtus* quid ſignificet. 159.

*Collatio* ſiuè tentaculum. V. *Ieiunium Eccleſiaſticum*.

*Collegium* ex quot conſtituatur. 55. eius ius in vno ſeruatur. 56.

*Color* violaceus ſignum mœroris. 166.

*Commemorationes Sanctorum*, alio nomine memoriæ, & ſuffragia. 118. quæ olim in Ordine Eremitarum. *ibid.* 119. quæ nunc. 120. Fratrum Soror, &c. defunctorum poſt Primam. 121. quæ poſt Completorium, 122. Fundatorum Religionum in Veſper. & laudib. 125.

*Commenſalis* Cardinalium, & Epiſcoporum poteſt cum illis in officio ſe conformare. 73. 79.
*Commodum* qui ſentit, debet & incommodum. 293.
*Communio* quoties ſumenda à Diaconis, & Subdiaconis. 277. quotidiana an laudabilis. 181. 280. ſic in primitiua Eccleſia frequentata. 280. & apud Monachos. *ibid.* Clericis iniuncta. *ibid.* an de manu Prælati ſuſcipienda à ſubditis in cæna Domini. 315. 316.
*Conditiones* in fundatione poni poſſunt etiam contra ius. 58.
*Confiteor*, an S. P. Auguſtinus in eo nominandus. 121. 127. quando ad *Miſereatur* dicendum *veſtri*, & *noſtri*. 138.
*Conformare* ſe quiſque debet cum quibus viuit. 193. 327. 330.
*Conſcientiæ* antè, & poſt cubitum examen. 133. 134. obſeruatum ab Ethnicis. 134. à nobis bis in die. *ibid.* contritionis actu terminandum. *ibid.*
*Conſecratio*. V. *Eccleſiæ dedicatio. Officium dedicationis.*
*Conſenſus* quando requiritur, ſufficit tacitus. 213.
*Conſuetudo*, vt ſit obligatoria, quid requirat. 316. in dubio talis non cenſenda. 232. V. *Rubricæ*.
*Conſuetum* dicitur quod pluries fieri ſolet. 256.
*Conuentiones* adimplendæ. 58.
*Crux*. in Paraſceue quomodò adoranda. 97. eius ſignum quantæ virtutis 363. 368. qualiter in benedictione menſæ. 374. in omni operis initio adhibitum à Chriſtianis. 391. ſine quo nihil benedicitur. 417. V. *Officium Tenebrarum*.
S. DAtius Mediolan. Archiepiſcopus quot annos ſederit. 475. eius in Dæmones virtus. *ibid.* quo anno mortuus. 474. quid de *Te Deum laudamus* ſcripſerit. 455. qui eius Chronicon admittant. 457. qui impugnent. 456. 458. quibus rationibus. 459. quæ ſoluuntur. 462. & *ſeq.* & licet non reperiatur. 465. & quod nunc eius nomine inſcribitur, eius non ſit. 468. extitiſſe tamen certum. 473. & hiſtorias ab eo ſcriptas. 484. & *ſeq.* ſeu Chronicon. 486. 487. ſed ab alijs ſubindè auctum. 488. aliæ pro eo chronico coniecturæ. 489. & *ſeq.* an de ſe potuerit quædam ſcribere. 475. 479. 480.
*Datius* an alius à S. Datio ſcriptor Chronici. 474. ad 483.
*Dauid* dictus hymnographus, & cur. 452.
*Deo gratias* forma ſalutationis. 403. & *ſeq.* vſitata apud Monachos. 407. 408. 409. deriſa ab Hæreticis. 407. à quo inſtituta. *ibid.* propria Auguſtinianorum. 407. 408.
*Deprofundis*. V. *Pſalmus Deprofundis*.
*Deuotio* in Diuino Officio. 23. qualis ſufficiat. 29. exterior qualis. 33. particularis ſine detrimento actuum communium. 147.
*Deus*, qui nos paſcit laudandus, & benedicendus. 361. & *ſeq.* ſic docente natura. 362. V. *Gentiles*, eum inuocare laudare eſt. 389.
*Diaconus*, quoties communicare debeat. 277.
*Dialogus*, in quo eius forma conſiſtere cenſenda, 447.
*Dictio*, *etiam* quid operatur. 177. *Idem. eodem modo* non extendunt, ſed eadem cum eiſd. qualitatibus repetunt. 65. *Omninò* idem ac penitus, & abſolutè ſine diſpenſatione, & neceſſitatem inducit. 111. idem ac indiſtinctè. 192. *Poſſint*, facultatem non præceptum importat. 195. *Prædictis* repetitionem, & reſtrictionem ad narrata. 143. *Quæque*, non accipit reſtrictionem, & omnia

nia comprehendit. 148. *Quocumque*, omnes amplectitur. 73. *Quouis* omnes actus includit. 156. *Saltem*, non excludit, ſed implicat. 417. *Semper* nullum caſum excludit. 89. *Seù*, quandò ſtet declaratiuè. 157.
*Diodorus*, *& Flauianus* quid circà cantum Eccleſiaſticum egerint. 560. & *ſeq.* 566. 568.
*Diſciplina*, ſeù *flagellatio in communi*, ritus antiquus Monachorum, & in Ordine Eremitarum. 142. à S. Petro Damiani reſtitutus. *ibid.* in memoriam Paſſionis. *ibid.* eius laudes. *ibid.* quoties facienda. *ibid.* per quantum tempus. *ibid.* ab ea nullus abeſſe debet. *ibid.*
*Diſpenſatio*, vt legitima ſit exigit cauſam. 161.
*Dæmones* à Choro, & oratione reuocant. 151. retrahunt. 165. à S. Datio eiecti. 475. benedictione pelluntur. 163.
*Domus B. V. Mariæ* quandò Lauretum translata. 243.
*Dormire*: prius Deo commendandum. 132. mos antiquorum Chriſtianorum. *ibid.* ſub qua formula. *ibid.* quomodò Monachi. 133. V. *Benedictio*.
E*Ccleſiæ* nomine veniunt & Clauſtra. 347.
*Eccleſiæ Collegiatæ* ad Diuinum Officium tenentur. 52. & Miſſas Conuentuales. 106. & duas in Ferijs, & Vigilijs. 108. & ſine Miniſtris, ſi non poteſt cum illis. 58.
*Eccleſiæ Dedicatio* importat *conſecrationem*. 209. 210. omnes conſecrandæ. 212. pro qua re an dos aſſignanda. *ibid.* in ſolis conſecratis de iure antiquo celebrandum. 211. V. *Officium Dedicationis*. *Prælatus Regularis*.
*Eccleſiæ Mediolanenſis*, ritus non omnes à S. Ambroſio. 478. à quo reſtituti. 548. 572. in baptiſmo quales. 501. in ea hymni primò decantati. 448. quis eius antè S. Ambroſium cantus. 515. 527. 528. 565. 569. 570. 574. 580. fortis, & eleuatior. 531. in Eccleſia Caſſinenſi diù obſeruatus. 535. V. *S. Ambroſius*. *Antiphona*. *Cantus*. *Hymni*.
*Eccleſiæ Regularium* an Collegiatæ. 106. non tenentur ratione Rubricarum ad Miſſam Conuentualem ſolemnem. *ibid.* nec ad duas Miſſas in Fer. & Vigil. 108. ſed laudabile eſt eas celebrare. *ibid.* V. *Miſsa Conuentualis*.
*Eccleſiæ Romanæ* omnium matris & magiſtræ. 74. ritus à S. Petro. 530. conſuetudines amplectendæ. 70. 74. cantus modulatus à Mediolanenſi ſumptus. 530. & *ſeq.* ſed ſuauior, & moderatior. 531.
*S. Ephrem* melodici cantus auctor, & cur. 39. 524.
*Epiſcopus* vbi, & qualiter aſſiſtere debeat Officijs Tenebrarum. 95. non poteſt cogere Sacerdotes ad celebrandū ſingulis Dominicis. 278. licet debeat id curare. 277. 278. Non poteſt addere Calendario Rom. officia ſine licentia. 178.
*Examen conſcientiæ* dictum expiatio. 133. V. *Conſcientia*.
*Exemptio* ab actibus communibus qualiter, quibus, & à quibus concedi poſſit. 160. & *ſeq.* ſemper cum cauſa. 161. & ea tantum durante. *ibid.* abutentes ea priuandi. *ibid.* quæ licita, & quæ non. 162.
F*Aldiſtorium* pro Epiſcopo celebrante vbi aptandum. 95. in medio quando reponendum, & remouendum. *ibid.*
*Fames* ingens tempore Vigilij Papæ. 484.
*Familiæ*, & *familiarium* nomine quid veniat. 358.
*Feſta*, de quibus officium in Martyrologio enuncianda. 181. & quando vbi transferantur. *ibid.*

Fe-

*Feſtum Annuntiationis* ſi in Paraſceue nemo tenetur Miſſæ aſſiſtere. 318. etſi in Sabbato Sancto, Miſſa debet eſſe de die. 322.

*Feſtum SS. Corporis Chriſti* à quo inſtitutum. 90. eius encomium. *ibid.* V. *Officium SS. Sacramenti* Indulgentiæ. 91. quæ in eius expoſitione, & repoſitione obſeruanda, 92. & quæ in priuata expoſitione. 93.

*Filij* apud Anglos bis in die petunt benedici à maioribus. 416.

*Flauianus*. V. *Diodorus, & Flauianus*.

*Fundatores Religionum* earumdem Patroni. 125. illis communia, quæ Patronis locorum. *ibid.* eorum nomina in *Confiteor*. 127. an de eis ſemel in menſe Officium. 195. V. *Commemorationes*.

S. GElaſius Papa I. plura quoad Diuina Officia diſpoſuit. 425. hymnos compoſuit, & Miſſale digeſſit. *ibid.* hymnum *Te Deum laudamus* induxit. *ibid.* 442.

*Gentiles* cibos ſumpturi primitias Dijs libabant, 361. quo ritu. *ibid.* atque ſupplicabant. 362. gratitudinis ergò, *ibid.* item poſt cænam. 377. conſcientiam ad examen reuocabant. 134.

*Genuflexio* ad orationem in Miſſa quid ſignificet. 97. ſimplex facienda antè Crucem in Paraſceue. *ibid.* in Choro ad orationem Miſſæ Fer. V. hebdomadæ maioris. 97. & quibus alijs temporibus. *ibid.* an in benedictione Menſæ, & gratiar. actione in triduo Tenebrarum. *ibid.* an ad antiphonas finales B. V. & quando. 115. ad quæ genuflectendum etiam tempore Paſchali, 116. 117. toto tempore Orationis Serotinæ. 136. in tardo acceſſu ad Chorum, & alios actus communes. 168. & ſeq. & quos. 170. & quando non. *ibid.* quando habeatur loco pœnæ. 170. quare inflicta pro pœna. 173. item dum petitur benedicto à Prælato. 416. in offic. SS. Sacramenti ad verſ. *Tantum ergò*. 202. an in abſolutione ad Tumulum, Proceſſione & ſimil. dum eleuatur Hoſtia. 203. ad 207. quando ad preces in Offic. Defunctor. 240. ad Litanias. 266.

*Gloria in excelſis*. V. *Hymnus Gloria in excelſis*.

*Græci* antiphonarum inuentores. 506. 508. quis eorum cantus, *V. Cantus*.

*Gratiarum actio* Deo habenda poſt menſam. 362. 364. 367. 377. & *ſeq.* præcepta à Moyſe. 378. à Iudæis obſeruata, & quo ritu *ibid.* & *ſeq.* à Chriſto Domino. & qualiter. 379. à priſcis Chriſti fidelibus *ibid.* à Monachis. 380. ad eam nos inſtructi. 381. ſed quam malè obſeruetur. 382. vndè & confundendi. *ibid.* an per eam deleantur venialia. 383. an in Eccleſia perſoluenda. 384. iuxtà Monachorum morem. *ibid.* 389. & an à Religioſis particularibus. 384. nulla in Breuiario pro collatione in ieiunijs. 385. & *ſeq.* ab antiquo tamen vſitata. 387. & qua forma. *ibid.* 388.

S. *Gregorius* auctor Litaniarum maiorum. V. *Litaniæ maiores*.

HArmonius hæreticus occaſio cantus modulati in Eccleſia 39.

*Hebdomada maior* cæteris inſignior. 94. eius myſteria remiſſiuè. *ibid.* V. *Offic. Tenebrarum*.

*Hebdomadarius*, eius officium, 100. locus. 111 non debet inchoare officium niſi ad ſignum Prælati. *ibid.* manuum percuſſione dandum. *ibid.* an etiam dum celebrat cum Pluuiali. *ibid.* nil debet dicere mentaliter. 102.

S. *Hilarius Pictauienſis* auctor *Te Deum laudamus*. 430. ſed falsò. 433. & *ſeq.* nec *Gloria in Excelſis*. 435.

*Horæ Canonicæ*. quot. 5. 7. 10. 12. earum myſteria remiſſiuè. 5. quæ diurnæ, & nocturnæ,

ćturnæ. 7. quale earum principium. 11. 12. Prima vbi terminet. 127. & *ſeq.* quæ eius additamenta. *ibid.* & hæc vndè orta. 129. Hora tertia, hora ſancta, & cur. 105.

*Hora Miſsæ* inchoandæ. 338. & *ſeq.* protrahendæ. 341. & *ſeq.* antiquorum veſcendi in ieiunijs 385. Matutini. V. *Nox.*

*Hoſpes* ad quale Officium Diuin. teneatur. 193. gaudet beneficio Altaris priuilegiati, vbi hoſpitatur. 357. quis à nobis recipiendus. 400. 402. quomodò. 400. & *ſeq.* in eo recipitur Chriſtus. 400. ei pedes abluendi. *ibid.* & *ſeq.* etiam ſi calceatus incedat. 402.

*Hymni* quid ſint. 453. 516. an exigant cantum. 516. 517. dicti Ambroſiani, etſi aliorum, & cur. 448. in Eccleſia Occidentali primùm Mediolani decantati. *ibid.* 453. 504. S. Ambroſij dicti de Trinitate, & quarè. 449. metricam formam important. 451. 452. ſaltem à S. Ambroſio compoſiti. 453. 517.

*Hymnus Gloria in excelſis*, hymnus matutinus Græcorum. 426. 427. dictus Angelorum, etſi in eo parua Angelorum verba. 432.

*Hymnus* Græcorum matutinus, & veſpertinus, qualis. 426. & *ſeq.*

*Hymnus Te Deum laudamus* Matutini pars non Laudum. 21. dicitur loco lectionis de Trinitate. *ibid.* hymnus Dominicalis, & cur. 22. quibus diebus olim in Roman. Eccleſia decantatus. 22. 424. quandò primùm organicè. 420. eius antiquitas. 421. 424. & *ſeq.* in Regula S. Benedicti præſcriptus. 421. & Cæſarij. 423. à Gelaſio I. inductus. 425. non deſumptus à Græcorum hymnis. 426. & *ſeq.* ſed ex ſcriptura. 427. 428. de eius auctore variæ opiniones. 429. & *ſeq.* dictus hymnus SS. Patrum. 432. & Angelorum. *ibid.* & quo ſenſu. 432. an à ſolo S. Ambroſio compoſitus. 443. & *ſeq.* dictus hymnus Ambroſianus. 443. & cur. 448. hymnus de Fide Chriſtiana. 444. 450. non hymnus, ſed canticum per aliquos. 452. communiter dicitur SS. Ambroſij, & Auguſtini. 441. 455. 457. 489. ad 497. & communis, & vetus opinio. 494. & *ſeq.* qui teneant ex M.S. 494. & *ſeq.* ex impreſſis. 497. & cenſetur traditio Eccleſiæ. *ibid.* ab Albino Flacco verſibus expoſitus. 491. quæ & cuius roboris Tentzelij obiecta. 426. & *ſeq.* ſuſcepturus *hominem* an corrigendum in *humanitatem*. 433. 434.

I*Actura* pro damno. 167.

*Ianitor* quomodò pulſantibus reſpondere debeat. 403. & *ſeq.*

*Ieiunium Eccleſiaſticum* vnicam admittit comeſtionem. 385. Ientacula permiſſa ex indulgentia. 385. apud Monachos, & priſcos Chriſtianos inaudita. *ibid.* qui ſemel ad Veſperas veſcebantur. *ibid.* vel ad ſummum ad horam nonam. *ibid.* exceptis Dominicis diebus. *ibid.* quin quandoque ad Solis occaſum. 385. ad ſummum adhibitus vini hauſtus. 386. & *ſeq.* aliquid cibi ſumere à quo tempore captum, & cur. *ibid.*

*Ientacula* veſpertina in ieiunijs. V. *Charitas. Ieiunium.*

*Ieſus* nomen inuocandum. 389. & *ſeq.* antè omnia opera. 392. ſemper cum addito: *Dominus noſter.* 393. & reuerenter. *ibid.* quando capite detecto. *ibid.* an in menſa. 394. eius virtus. 392. & inuocationis vtilitas. *ibid.*

*S. Ignatius* primus auctor antiphonarum. 506. & cantus alterni. 567. & *ſeq.* per aliquos ſolum reſtaurator. 568.

*Ignoranti* non currit tempus. 187.

*Infirmitas* cauſa iuſta excuſationis. 302. nec pro infirmo poſita lex. *ibid.* qualis excuſet à celebrando. 303. & *ſeq.* an illam alleganti credendum. 306. 307.

quan-

quando cenſenda ceſſaſſe. 309. V. *Capellanus*. *Miſſa*, *Sacerdos*.
*Intentio* ad Officium Diuinum requiſita; & quæ. 31.
*S. Ioannes Chryſoſtomus* contrà Arianos cantum inſtituit. 524. 525.
*Iure* ſuo nemo ſine culpa priuandus. 187.
K*Yrieleiſon* ex qua Chori parte incipiendum. 137.

L*Andulphus* ſenior, & iunior Scriptores Hiſtoriæ Mediolanen. 467. 468. diuerſæ à Chronico S. Datij. 470. 471.
*Laudes* quo olim tempore celebratæ. 9. 14. an hora alia à Matutino. 10. *& ſeq.* pars tamen ab illo diſtincta. 14. inchoatæ ad ſonum campanarum. *ibid.* poſſunt ſeorſim recitari. 14. *& ſeq.* etiam ſine cauſa 17. non tamen in choro. 20. qualiter tunc incipiendæ. 19.
*Lauretum* quando tranſlata B. V. domus. 245.
*S. Lazarus Mediol. Archiep.* auctor litaniarum Minor. V. *Litan.* 55.
*Lectio* in menſa à Ieſus nominis inuocatione incipienda. 389. & cur. 390. *& ſeq.*
*Legatum* omni meliori modo ad implendum. 58.
*Lex* non reſpicit quæ fiunt per accidens. 11. non ceſſat eius obligatio durante vna ex eius cauſis finalibus. 284. quibus eius verba non competunt, nec ipſius diſpoſitio. 286. ſpecialis poſterior derogat priori. 287. V. *Infirmitas*.
*Liber*: propter aliqua falſa non omnia in eo falſa. 461. nec hæc ſatis ad eius auctorem denegandum. *ibid.* 464. nec diſcrepantia in narrationibus. 463. aliqua quandoque ab alijs addita. 478.
*Licentia* vbi requiritur, non ſufficit tacita. 156. 313. pro abſentia à Choro, & alijs actibus requiſita. 143. 156. ad 159. pro receſſu. 143. 152. ad 159. à quo petenda pro abſentia. 143. 158. pro receſſu. 143. 152. ad 156. quando non requirenda. 157.
*Litania quid* ſignificet. 242. 252. eius definitio. 242.
*Litaniæ B. Virginis* quid. 242. earum auctor ignotus. 243. poſteriores litanijs Sanctorum. *ibid.* vndè dictæ Lauretanæ. *ibid.* antiquitas. 244. *& ſeq.* laudes. 246. vtilitas. 247. 248. pergratæ B. Virgini. 247. qualiter recitandæ. 248. non poſſunt alterari. 249. 267. 268.
*Litaniæ Sanctorum* quid. 250. antiquæ in Eccleſia. 251. 252. olim idem cum Proceſſionibus. 251. S. Gregorio vetuſtiores. 253. *Maiores*, *& Minores*, & quæ. 254. illæ an à S. Gregorio inſtitutæ. 255. ad 261. *Septiformis* S. Gregorij vndè dicta. 256. & cur ab eo inſtituta. 256. *& ſeq.* vnde denominatio *Maioris*. 258. *Minores* non à S. Mamerto. 262. *& ſeq.* ſed à S. Lazaro Mediolan. 263. quando, & quomodo recitandæ ex præcepto. 264. 265. quoue ritu. 266. nullatenus alterandæ & quo ſenſu. 267. 268. 270. an dum ex Superiorum libito recitantur in Choro, dicendæ poſt antiphonas finales B. V. 271. *& ſeq.* præter Sanctorum, & B. V. aliæ prohibitæ. 246. 261. quid priuatim. 269.

M*Artyrologium* dicitur poſt Primam. 127. apud Monachos, & alios in Capitulo. *ibid.* ſemper in Choro exiſtere debet. 177. V. *Feſta*.
*Matuta* nomen datum Auroræ. 9.
*Matutinum* quid importet. 8. 9. Vndè ſic dictum. 9. an vna hora cum Laudibus. 10. *& ſeq.* Media nocte antiquitus decantatam. 85. & à multis Religionibus obſeruatur. 86. & à Nobis. 88. 89. & cur. 85. 86. & media nocte V. *Nox*. Quando de die celebrandum. 89. 90.

*Mendicantes* eorum priuilegia circa Officium Diuin. V. *Priuilegium*.

*Menſa* benedicenda. V. *Benedictio Menſæ*. Tardè accedentibus cur inflicta pœna. 367. cur maior quam tardè ad Chorum. 173. ad eam duplex ſignum præmiſſum, & cur. 398. qualiter accedendum. *ibid.* & pſalmum recitando. *ibid.* V. *Ieſu nomen*. *Salutatio Angelica*. *Silentium*. poſt eam gratiæ reddendæ. V. *Gratiarum actio*.

*Minores Reformati*, qualis ex inſtituto eorum cantus. 46. 47.

*S. Mirocles Mediol. Archiepiſc.* an ibi auctor cantus. 528. qualis. 574.

*Miſſa* nullatenus mentaliter dicenda. 66. omni die audienda etiam à Sacerdotibus non celebrantibus. 110. 111. ad eleuationem hoſtiæ quando non pulſanda campanula. 203. ſaltem vnà quotidiè celebranda. 274. in quibus Eccleſijs. *ibid.* ſecus peccarent Prælati. *ibid.* an ab omnibus Sacerdotibus quotidiè celebranda. V. *Sacerdotes*. Etſi propria Sacerdotis ſit eius applicatio. 295. *&* *ſeq.* nec alijs propriè competat. 296. tamen iuxtà mentem Superioris applicanda. 293. caſu, quo aliter applicetur, quibus proſit. 294. 297. habet effectum iuxtà mentem Sacerdotis. 295. *&* *ſeq.* nec poteſt à Prælato irritari. 295. 296. peccarent tamen Sacerdotes. 297. vnica non poteſt pluribus obligationibus ſatisfieri. 298. *&* *ſeq.* an ſaltem ſub conditione. 301. ab infirmo qualis poſſit recitari. 310. & qua cautela ſi infirmitas ſit oculorum. *ibid.* 325. Feria V. in Cæna Domini poteſt tutè recitari. 316. an publicè, & in Eccleſia. 317. an poſt Miſſam ſolemnem. 320. nullatenus Feria VI. in Paraſceue ſine peccato. 318. etiamſi occurrat Feſtum SS. Annonciationis. *ibid.* an in Sabbato ſancto. 319. & antè Miſſam ſolemnem. 320. an ſaltem in Oratorijs priuatis. 321. & vndè incipienda. 322. Etiam priuata debet concordare cum Officio. 323. quando poſſit alia dici. 323. 325. *&* *ſeq.*, & an ratione feſtiuitatis in alia Eccleſia. 327. non tamen, quæ ſit particularis illius Eccleſiæ. 328. aut alicuius Religionis. *ibid.* quæ tunc dicenda. *ibid.* & quid ſi de Roſario. *ibid.* an vbi feſtum ſit de Beato poſſit ab exteris de eo celebrari. 329. *&* *ſeq.* 332. de Titulari Altaris quando, & quomodo. 214. 216. Qua hora celebranda. 338. *&* *ſeq.* & ad quam poſſit differri. 341. *&* *ſeq.* an poſt mediam noctem Natiuitatis Domini poſſint omnes tres celebrari. 344. In Eccleſijs, aut publicis Oratorijs dicenda. 345. in Oratorijs intrà Clauſtra. 346. Grangijs. 347. in Cellis Religioſorum. 348. an in Capellis priuatis ſæcularium. 349. quo ad hoc prohibitiones quandò valeant. *ibid.* & reſpectu quorum intelligendæ. 350.

*Miſſa Conuentualis* dicitur de Officio, etſi non de Horis. 103. reſpectu tamen Eccleſiarum Collegiatarum. 108. eam celebrari facere tenentur Prælati. 103. an requirat ſolemnitatem, & cantum. 104. & *ſeq.* quid ſufficiat vt dicatur Conuentualis. 106. 108. ab Hebdomadario celebranda. 103. qua hora. 104. & *ſeq.* concordare debet cum Officio. 108. Quæ Eccleſiæ ad eam teneantur. V. *Eccleſiæ Collegiatæ*. *Eccleſ. Regulares*. Sufficit pro Conuentuali Miſſa cantata pro Defunctis Religioſis. 109. Qui illis intereſſe debeant. 110. an ſub præcepto. *ibid.* Poſt eam antiphona B. V. canenda. 112. & *ſeq.* & quæ non. 114.

*Miſſa de Requiem* priuata quando licita. 334. 359. & an requirat cauſam rationabilem. 334. an in Feſtis præſente corpore. *ibid.* prohibita in duplici. *ibid.* & in Octaua Corporis Chriſti. 90. tunc per illam de Officio ſatisfit oneribus. 334. 335. Solemnis permiſſa etiam in feſto præſente cadauere. 336. ſeù in Ec-

cleſia. *ibid.* quando & in duplici non feſto. *ibid.* 337. quæ pro Religioſis procul defunctis. 337. V. *Altare Priuilegiatum.*
*Miſſa Votiua* quando poſſit dici. 323. & *ſeq.* an dum extra Dominicam fit de Dominica Officium. 326. & an in Feſto duplici ad libitum. 333. Non poteſt in Octaua SS. Sacramenti. 90.
*Miſſæ ſtipendium* accipi poteſt pro Miſſa Conuentuali. 109. non tamen in die Commemorationis omnium defunctorum. *ibid.* nec pro ea, quæ pro Defunctis Religioſis celebratur. 298. V. *Capellanus.*
*Modulatio* hymnorum propria. 516. & antiphonarum. 549. & *ſeq.* ſed reperitur & in cantu plano. 577.
*Monachi* extrà Conuentum piſces extrà aquam. 415. ad lectionem poſt Primam conueniebant. 127. & *ſeq.* V. *Aqua benedicta. Benedictio menſæ. Cantus. Capitulum. Communio. Diſciplina. Deo gratias. Dormire. Gratiarum actio. Ieiunium. Martyrologium. Oratio Serotina. Pedes. Salutatio.*
*Mores* eorum, cum quibus viuimus, ſequendi. 193. 327. 330.
*Muſica* triſtitiam animi remouet, & conſolatur. 521. & *ſeq.*
*Myſteria* remiſſiuè ſeptenarij numeri. 5. pſalmodiæ mediæ noctis. 86. Hebdomadæ maioris. 94. lateris ſiniſtri, ſeu ex partæ epiſtolæ. 95.
S. NIcetius auctor *Te Deum laudamus.* 430. ſed falsè. 438.
*Nocturni* ſeparatim olim recitati. 15. 84. modò non. 16. & *ſeq.* qualiter concludendi, ſi ſeparentur à Laudibus. 19. 21. per quid abſoluantur. 128.
Nox quæ eius partes, & quæ media. 87. 88.
*Numerus Septenarius.* V. *Myſteria.*
OBedientia Deo grata. 147. cum celeritate. 164. 166. præceptis quando obedire quis teneatur. 203.
*Obligatio*, vbi adſit, adimplenda meliori modo. 58. ex fundatione fortior. *ibid.* V. *Conditio* reſpectu Chori. V. *Officium Diuin.* Celebrandi. V. *Miſſa. Sacerdotes.* ex coniecturis, & quibus dignoſcitur, an ſit ſub mortalis. 237.
*Officium Diuinum*, vndè dictum. 2. quid importet. 3. eius partes. 5. nocturni, & diurni diuiſio. 6 quid ad vtrumque ſpectet. V. *Horæ Canonicæ. Laudes. Matutinum. Nocturni.* Eius olim varia forma. 512. Duplex maius per quid differat à minore. 218. Quæ ad eius recitationem requiſita. 33. & *ſeq.* V. *Attentio. Cantus. Chorus. Deuotio.* vbi recitandum. 49. & *ſeq.* illud tenentur perſoluere in Choro Regulares. 52. an ibi tantum. 54. quos afficiat hæc obligatio. 53. quot ad id ſufficiant Choriſtæ. 55. 56. quid ſi tres tantum, & ſit obligatio ex fundatione. 57. 58. & ſaltem priuatim Profeſſi omnes, & ſi non in ſacris. 59. & ore proferre. 60. ità quod ſe ipſos ſaltem poſſint audire. 61. 62. non verò mentaliter. 64. 65. & iuxtà ritum Romanum. 70. & *ſeq.* etiam extrà Chorum. 72. 73. ſecus non ſatisfit obligationi. 73. V. *Breuiarium Ritus.* & quotidiè, vt nec ſemel omitti poſſit. 76. & hoc numero, & pro hac die aſſignatum. 184. cum præceptum ſit non tantum de officio, ſed de tali. 184. 191. 192. cui nihil poteſt addi, aut detrahi, & qualiter. 124. 126. 131. Quæ addita apud Nos 118. *ad* 123. & an validè, & licitè. 125. *ad* 131. V. *Commemorationes.* Aſſignatum in Calendario non poteſt in aliam diem mutari. 184. an poſſit aliquando ex Prælati diſpenſatione. 185. quid in caſu alicuius feſtiuitatis. 185. & ob deuotionem. *ibid.* & quando ob obliuionem non ſit de aliquo Sancto ſua die celebratum. 187. & *ſeq.* item ſi ex errore de aliquo factum, de quo non erat facien-

faciendum. 198. quæ militant, & in priuata recitatione. 191. 192. loco choralis ſubſtituta. *ibid.* an, & reſpectu hoſpitis. 193. quàndo poſſit transferri. 186. 188. 196.

*Officium Dedicationis* duplex primæ claſſis cum octaua. 209. ſi Eccleſia ſit conſecrata. *ibid.* non verò benedicta tantum. 210. 211. & durante conſecratione. 211. item Titularis Eccleſiæ. 213. non verò conſecrationis Altaris. 214. quando, & quomodo de Titulari Altaris. 214. & *ſeq.* Dedicationis Cathedralis ſub præcepto. 221.

*Officium Defunctorum* à quo inſtitutum. 234. 235. non cadit ſub præcepto. 236. etiam vbi erat conſuetudo. *ibid.* præterquam in die Commemorationis omnium defunctorum. 236. 237. quoties, & pro quibus à Nobis ſpecialiter perſoluendum. 238. & quando. 239. 272. quo ad preces ritu. 240.

*Officium Laicorum* quid. 225. quotidiè ab eis recitandum. *ibid.* quomodo. 226. an ſub mortali. 227. & *ſeq.*, & an cum myſteriorum meditatione. 229. cum qua attentione. *ibid.*

*Officium paruum* B. V. à quo inſtitutum. 230. non ex præcepto recitandum in choro. 231. 232. quid vbi conſuetudo. *ibid.* multò minus priuatim. 233.

*Officia propria Ordinis*, quæ dicantur. 178. 194. alia à conceſſis vetita. 178. ad inſtar librorum prohibitorum. 182. nec Sancti nouiter Canonizati ſine licentia. 178. ad ea tenentur Religioſi. 179. nec ab vllo particulari poſſunt renunciari. 180. prænuntianda in Martyrologio. 181. quando vbi transferantur. *ibid.* eo modo recitanda, quo conceſſa. 182. & ſub eodem ritu. 183. & die illis obſignata. 184. conceſſa cum iiſdem obligationibus Breuiarij Romani. *ibid.* de S. P. Auguſtino ſemel in menſe. 194. & *ſeq.* & ſub præcepto. 195. item de SS. Monica, & Nicolao. *ibid.* Exceptis aliquibus menſibus, & quibus. 196. & prima die non impedita, ſecus non. *ibid.* & quæ pro eis impedita cenſeatur. *ibid.* & quo ordine. *ibid.* Item de SS. Sacramento, & de Conceptione, & S. P. Auguſtino in qualibet hebdomada quandò, & quomodò. 194. 195. 197. quandò non. 197. quali item ordine. *ibid.* an poſſint omitti. 198. 199. an de S. P. Auguſtino ea hebdomada, in qua factum eſt pro menſe. 200. quo ſenſu dicantur officia deuotionis. 199. qualiter de Sanctiſſimo faciendum. 201.

*Officium Reliquiarum Sanctorum* faciendum. 217. quæ tamen ſint approbatæ. *ibid.* & quid ad id ſufficiat. *ibid.* & de quibus. 218. ſub quo ritu. *ibid.* 219. qua die. *ibid.* & in ea ſola Eccleſia. 220.

*Officium SS. Sacramenti* à quo compoſitum. 90. pro octaua Corporis Chriſti priuilegiatum, & quomodo. *ibid.* & *ſeq.* quis ritus ad *Tantum ergò Sacramentum*. 202.

*Officium Sanctorum* de quibus ſit in Diæceſi item faciendum. 221. & cum proprijs Diæceſis officijs. 224. Quid de Patronis. 222. quid in concurrentia cum Titularibus & Patronis proprijs, & alijs Feſtis Religionis. 234.

*Officium Tenebrarum.* In eius initio cruce obſignandum. 96. Oratio *Reſpice &c.* genu flexo dicenda. 97. an in Refectorio. *ibid.* verba *Qui tecum viuit &c.* ab omnibus ſubmiſsè recitanda. *ibid.* quæ in his officijs omittenda. 98. Quid importet Rubrica *cum ſilentio diſcedant*. 99. V. *Candelabrum*. *Epiſcopus*. *Genuflexio*. *Sacroſancta*. *Salutatio*.

*Onera Miſſarum*. V. *Miſſa*. *Prælatus*. *Sacerdotes*.

*Oracula viuæ vocis* reuocata. 64. & quæ. 69.

Oratio

*Oratio* eſt locutio, & mentis aſcenſio.25. de eius ſubſtantia attentio.*ibid*.35.ſicut & vocalis vox, & pronuntiatio.60.& qualis. 61. in ea vſque ad finem perſeuerandum. 151. & *ſeq.* ad illam celeriter conueniendum. 183. & *ſeq.* V. *Actus communis*. *Licentia*, præmittenda in exitu è Conuentu.415.& in regreſſu.419.
*Oratio Sacroſancta*. V. *Sacroſanctæ*.
*Oratio Serotina* à quo reſtituta in noſtro Ordine.132.vbi facienda.*ibid.* antiquus Chriſtianorum ritus. *ibid.* & Monachorum.133. in quibus conſiſtat. 134. 135. 139. 140. quæ in triduo Tenebrarum.135 quomodo differat ab antiqua. 136. à nobis fit genu flexo.*ibid.*nemo debet abeſſe. 140. eius fructus. *ibid.* indulgentiæ.141. V. *Aqua benedicta*. *Benedictio Confiteor*. *Conſcientia*. *Celeritas*. *Licentia*. *Salue Regina*.
*Ordinarij locorum*. V. *Epiſcopus*.
*Oſculum Pacis* ſalutatio Religioſorum.410. quomodo dandum. *ibid.*
*Paulus Samoſatenus* ſua dogmata cani faciebat à mulieribus. 561.
*Pax vobis* ſalutationis forma. 406. per quam bonum optatur. *ibid.* qualiter exequenda. V. *Oſculum Pacis*.
*Pedes* abluti baptizatis in Mediolan. Eccleſ. 501. abluendi hoſpitibus. 406. & *ſeq.* conſuetudo antiqua.*ibid.* præſertim Monachorum.*ibid.* & quis eorum ritus.401. & *ſeq.* quæ preces tunc recitatæ. *ibid.*
*Pellagiani*, eorum error circa defunctorum ſuffragia. 234.
*Perfectio Religioſi* in omnium actuum communium obſeruantia. 144.
*S.Petrus Damiani* an inſtituerit ritum diſciplinarum. 142. an officium paruum B. Virg. 230.
*Pœna* leuis quæ.171. non recitantium poſt profeſſionem officium. 59. ſine licentia ad actus communes non accedentium. 143. 155. & *ſeq.* vel ab illis recedentium.143.152.& *ſeq.* tardè ad chorum, & actus communes. 168. & *ſeq.* poteſt in aliam mutari. 170.174. cur tardè accedentium ad menſam.367. cur maior quam tardè accedentium ad Chorum. 173.
*Populus* quod in Eccleſia caneret, à quo inſtitutum. V. *Cantus*.
*Prandium* à precibus dictum, & cur.362.
*Præceptum* an poſſit eſſe de interioribus.26.293. quando eis parendum.293.
*Prælatus* tenetur ſub mortali curare, vt Officium perſoluatur in choro. 53., & poteſt ſubditos adſtringere.*ibid.* & Miſſam Conuentualem.103. 274. non debet ex libito è choro recedere. 152. V. *Officium Diuinum*, an poſſit præcipere, vt ſui Sacerdotes quotidiè celebrent. 283. & Miſſæ applicantionem. 293. V.*Sacerdos*, tenetur curare onera Miſſarum adimpleri. 293. Poteſt Eccleſiam benedicere. 210. ſuorum vota irritare. 294. & *ſeq.* cur. 295. non verò Miſſæ applicationem. *ibid.* & *ſeq.*quando aſſignare diem pro officijs Reliquiarum. 219. V. *Altare priuilegiatum*.
*Præſidens* quis habeatur. 153. quæ eius facultas. *ibid.*
*Priuilegium*, ſuum an quis poſſit, & qualiter renuntiare. 179. 180. quod circa officij recitationem. 67.69. non illud recitandi. 63. à noſtris recenſatum. *ibid.* recitandi mentaliter, nullum. 64.65. ſicut & ex Breuiario non Romano. 68. 80. etſi quod contrarium, reuocatum. 80. quibus fruatur Auguſtiniana Religio. 63. quæ Reformatis conueniant. *ibid.* circa horam Miſſæ. 338. ad 343. quoad eius locum. 345. ad 350. pro Defunctis. V. *Altare Priuilegiatum*.
*Proceſſio* eius ritus in Eccleſia antiquus. 251.

*Profeſſi* ad Diuinum officium tenentur. 59. & vndè. *ibid.*

*Pſallere* pro recitare. 571. in directum. V. *Cancre in directum*.

*Pſalmi*, dicti hymni. 452. 516. metricè compoſiti. 452. *Deprofundis* quando ſpecialiter recitandus. 397. & *ſeq.* quando *Miſerere*. 399. inter pænitentiales principalior. *ibid.* vterque porrò in pedum ablutione. 400.

*Pſalmodia*. Nocturnæ myſteria remiſſiuè. 86. varius olim eius in Eccleſia ritus. 512.

*Pſalterium M.S.* à Carolo Magno Adriano Papæ donatum quale. 490. & quæ in eo contenta. *ibid.*

R*Egula S.* Benedicti, quando, & vbi ſcripta. 423. S. Cæſarij antiquior. *ibid.* *Regulares* qualiter ad chorum tene. atur. 55. non tam ſtrictè, ac Clerus. 56. 506. debent quoad officia Diuina propria ſtatuta ſeruare. 83.

*Reliquiæ* quæ dicantur inſignes. 218. V *Officium Reliquiar.*

*Res*. Eius apellatione venit tota res non pars. 299.

*Ritus* particulares non attendendi. 10. priuata auctoritate non mutandi. 20. Romanus quid importet. 70. 81. intelligendus tam quoad Officium, quam quoad Miſſam 81. & quando hæc dicantur iuxtà ritum Romanum, 82. 83. ab Ordine Eremitarum obſeruatus. 70. à Nobis tenendus. *ibid.* & ſub præcepto. 71. etiam extrà Chorum. 72. & *ſeq.* V. *Breuiarium*. Eccleſiæ ſuæ ab vnoquoque ſeruandus. 75. & Romanus etiam Mediolani à Romanis. 82. Officiorum, & cantus olim varij. 512. Romanæ Eccleſiæ à S. Petro. 530. *Ambroſiani*. V. *Eccleſia Ambroſiana*. Genuflectendi. V. *Genuflexio*.

*Rubricæ Breuiarij* non tollunt laudabiles Religionum conſuetudines. 114.

S*Acerdos* aliquandò celebrare tenetur. 275. ex Chriſti præcepto. *ibid.* & omninò omittens, ſuo nomine indignus. *ibid.* an ſufficiat quater in anno. 276. & *ſeq.* & quoties. 277. 278. non tenetur quotidiè celebrare. 279. poteſt tamen. *ibid.* & qui ità conſueuerint. *ibid.* quod ſanè laudabile, & conſulendum. *ibid.* & cur. 280. & *ſeq.* & omittens multorum damnorum cauſa. 281. an poſſit à ſuperiore ſub mortali ad id adſtringi. 283. an ſub cenſura. *ibid.* & quomodò ſubditus teneatur. *ibid.* 293. 297. ſaltem noſtri vi Conſtitutionum. 287. & *ſeq.* etiam præciſis oneribus Miſſarum. 284. qui tenetur quotidiè poteſt quandoque vacare. 285. & *ſeq.* quomodò, & de quibus intelligendum. 286. 290. 295. dummodò non expreſsè conuenerit. 288. V. *Capellanus*. Et qualiter applicare. V. *Miſſa*. excuſatur à celebrando ob infirmitatem. 302. qualem. 303. & *ſeq.* ad 310. an ſufficiat quod aſſerat, non poſse. 306. & *ſeq.* ob alias item cauſas, & quas. 311. an vlterius requiratur conſenſus Superioris. 312. & qualis ſufficiat. 313. Quomodo ſe gerat in Miſsæ Sacrificio. 294. nomine cuius offerat. 298. & *ſeq.* Quibus diebus, qua hora, vbi &c. poſſit celebrare. V. *Miſſa*.

*Sacroſancta* priuilegium. 69. commune & Clericis. *ibid.* quæ in eius recitatione obſeruanda. *ibid.* an dicenda in Officijs Tenebrarum. 98. 99.

*Salue Regina*. V. *Antiphona Salue Regina*.

*Salutatio Angelica*, an, & quomodò in Menſa perſoluenda. 395. 396.

*Salutatio* inter amicos conſueta. 404. & *ſeq.* aliquid boni optatiua. 405. variæ formulæ. 403. ad 410. Chriſti, & Apoſtolorum qualis. 406. Monachorum reſpectu ſæcularium. 403. 404. 406. inter ſe. 404. 407. & *ſeq.* 410. Chriſtianorum per benedictionem. 409. quæ tamen conſuetæ in Religionibus obſeruandæ.

dæ. 411. an tempore ſilentij licitæ. 412. poſt Officia Tenebrarum omittenda. 99.
*Sancti*, qui quotidiè Miſſam celebrare conſueuerunt. 279. Canonizati à Beatis in quo differant quo ad cultum. V. *Beatus*.
*Seruorum Dei* ſigna quæ. 307. & qui tales. *ibid.*
*Signum*, pro pulſatione. 166. incipiendi officium datur manuum percuſſione. 101. Crucis. V. *Crux*.
*Silentium.* Quid *cum ſilentio diſcedant* in Officijs Tenebrarum. 99. in Menſa ſeruandum, 157.
*Singularitas* etiam ſpiritualis quando mala in Religionibus. 147. & *ſeq.*
*S. Siſebutus* an auctor *Te Deum Laudamus*. 430. 437. quo ſenſu. 440.
*Subdiaconus* quoties communicare debeat, 277.
*Subreptio* inualidat conceſſionem. 356.
*Suffragia Sanctorum.* V. *Commemorationes*. Quæ pro defunctis in Ordine Eremitar. V. *Auguſtiniani*.
*Superbia* omnia bona perdit. 391.
*Supprior*, quod eius munus. 158. 159.
*Stipendium* pro Miſſa. V. *Miſſæ ſtipendium*.
T*Abbacum* ſumere in Choro illicitum. 34. & *ſeq.* & an peccatum, dum recitatur officium. 35. poteſt prohiberi. 36. Clericos dedecet. *ibid.*
*Tarditas* quando cenſenda reſpectu Chori, & aliorum actuum, 168. & *ſeq.*
*Te Deum laudamus.* V. *Hymnus Te Deum laudamus*,
*Therapeutæ*, de quibus Philo, Religioſi, ſeù Monachi, 367.
*Theodorus Archiepiſcopus Mediol.* auctor lib. *ſpeculum Matutinal. Offic. iuxtà morem B. Ambroſij*. 547. & *ſeq.* reparator Rituum Ambroſianorum. 548.
*Titularis* Eccleſiæ, & Altaris. V. *Miſſa*. *Officium Dedicationis*.
V*Enialia*, an deleantur benedictione Prælati. 140. an gratiarum actione poſt menſam. 383. 415.
*Verba* talia non ſunt niſi audibilia. 61. 62.
*B. Virgo* antè cubitum inuocanda. 140. Cuſtos Religioſorum in nocte. *ibid.* inuocata in Salue Regina eos ſuo Filio commendat. *ibid.* eius apud eum efficacia. 247. ſuis gaudet Litanijs. *ibid.* V. *Auguſtiniani*. *Lauretum*.
*Voluntas* propria Deo non grata. 147. diſponendi non eſt diſpoſitio. 179.
*Vota Religioſorum* cur poſſit Prælatus irritare. 295.
*Vox* talis non eſt, niſi audibilis. 61. 62.

FINIS.

Errores omnes cauere, & aquam cribro continere velle, idem eſt Lector beneuole; vrgentiorum accipe correctiones.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Num. 39 | lin. | 26 | placuere | placuere |
| 63 | lin. | 6 | eſt nobis | eſt ; nobis |
| 101 | lin. | 2 & 13 | Pluiali | Pluuiali |
| 114 | lin. | 12 | declarauerit | declarauit |
| 137 | lin. | 3 | prætatum | præfatum |
| 195 | lin. | 27 | omittuntur Rubricæ | omittuntur. Rubricæ |
| 223 | lin. | 9 | deereto | decreto. |
| 235 | lin. | 1 | eum | cum |
| 292 | lin. | 10 | Vti | Vbi |
| 294 | lin. | 19 | intendit, Prælatus | intendit Prælatus, |
| 303 | lin. | 11 | exurgere | exurgeret |
| 323 | lin. | 6 | Miſſa votiuæ | Miſſæ votiuæ |
| 370 | lin. | 19 | continentur | contineatur |
| 371 | lin. | 2 | *quod fi* | *quod ſi* |
| 374 | lin. | 3 | in enodabiliter | inenodabiliter |
| 392 | lin. | 7 | *fiue* | *ſiue* |
| 399 | lin. | 14 | *part. cap.* | *part. 4. cap.* |
| 405 | lin. | 11 | ipſe S. Ambroſio | ipſo S. Ambroſio |
| 497 | lin. | 18 | *Alexiacon.* | *Alexicacon* |
| | | 28 | ſentient | ſentiunt. |
| 524 | lin. | 13 | Conſtantineopolitanus | Conſtantinopolitanus |
| 525 | lin. | 29 | ritam | ritum |
| 536 | lin. | 27 | ſuauiuocum | ſuaui vocum |

Cæteros aut tolerabis, aut tù facilè dignoſces.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA